JUS GENTIUM
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

IN QUO

JUS GENTIUM NATURALE

AB EO,

QUOD

VOLUNTARII, PACTITII

ET

CONSUETUDINARII

EST,

ACCURATE DISTINGUITUR;

AUCTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANAE CANCELLARIO ET SENIORE, JURIS NATURAE ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM PARISINAE, LONDINENSIS AC BORUSSICAE MEMBRO.

CUM PRIVILEGIIS

HALAE MAGDEBURGICAE M DCC XLIX.

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

CELSISSIMO ET SERENISSIMO
DOMINO
WILHELMO
CAROLO
HENRICO
FRISONI,
ARAUSIONENSI ET NASSOVIO
PRINCIPI
&c. &c. &c.

TOTIVS FOEDERATI BELGII GUBERNATORI HÆREDITARIO, ARMORUM TERRA MARIQUE PRÆFECTO SUPREMO, ET INDIARUM ORIENTALIUM RECTORI PERPETUO
&c. &c. &c.

DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO.

CELSISSIME ET SERENISSIME PRINCEPS,

Æternum illud ac immutabile Jus, quod ipſa natura conſtitutum eſt, omnes regit actus ſicuti ſingulorum hominum, ita etiam Gentium, præſcribendo officia cum erga ſeipſas, tum erga alias. Et ſicuti arctiſſimo vinculo inter ſe colligavit homines ſingulos & ſocietatem quandam inter eos inſtituit, ut homini homine opus ſit, nec quicquam utilius ſit homine; ita non minus tenaci vinculo gentes copulavit, & in civitatem maximam

ximam redegit, ut genti gente opus ſit, nec quicquam utilius ſit gente. Conſulit nimirum quemadmodum hominum ſingulorum, ita etiam gentium ſingularum felicitati, quæ mutuo adjutorio promovetur & conſervatur. Totum igitur genus humanum aſſimilatur corpori vivo, cujus ſingula membra ſunt gentes ſingulæ, & quod ideo ſalvum ac incolume eſt, quia ſingula functionem ſuam rite obeunt. Rectores gentium animant membra hujus corporis, cum nuda veluti agendi potentia inſtructa ſint & vis recte agendi ab ipſis in ea derivetur, dum ſapientia atque prudentia eorundem reguntur, ut ſana conſerventur & ad ſanitatem

 totius

totius corporis contribuant, quod debent. Ea de caufa Rectores civitatis tanto altius eminent fupra gentes, quanto magis anima excellit corpus, & ficuti in ipfis jus gentis fuæ refidet, ita etiam is intellectus eaque voluntas, fine quibus eodem uti non datur. Juris hujus fcientiam ea methodo dare lubuit, qua in omni Jure naturæ ac ceteris philofophiæ partibus ufus fum, ut veritas intime perfpici poffit. Enimvero cum exemplorum maxima vis fit cum in intelligendo, tum in agendo, exemplum apponendum erat. Sed quid ego vetus conquiram, cum mihi liceat uti præfenti atque vivo? TVA enim CELSITVDO exemplum præ-

præbet, cui ſi ſe adderent Rectores gentium omnes, nullæ forent de temporum calamitate querelæ. Tua rerum gerendarum ſcientia, ſapientia atque prudentia tua, amor generis humani natura inſitus, ſtudium tuum curaque de ſalute eorum, qui omnem fiduciam ſalutis TIBI habent, tua fortunas alienas ſine utilitate amplificandi cupido, gloria denique, ut alia taceam, ſumma atque perfecta, qua excellis, totius Belgii foederati cives permovit, ut quaſi divino quodam ſpiritu afflati difficillimis temporibus unanimi conſenſu TE, PRINCEPS SERENISSIME, Gubernatorem, armorum terra marique Præfectum ſupremum & Indiarum

diarum orientalium Rectorem perpetuum habere vellent. Quæ Tua est benignitas, precibus eorum facile annuisti & onus gravissimum lubens suscepisti. Nunc fulges instar Solis inter planetas inter Provincias foederatas, sed nunquam otiosus. Quemadmodum enim Sol virtute sua planetas in orbitis suis retinet ac mutuis actionibus atque reactionibus systema totum conservatur, ut singuli periodos suas circa eundem constante lege absolvant; ita quoque CELSITVDO TVA provincias foederatas arctissimo societatis vinculo conjunctas continet, & dum amore mutuo exacta utrinque efficitur officiorum præstatio

totum

totum earum ſyſtema ſubſiſtit, ut ſingulæ iis fruantur, quæ civitatem beatam faciunt. Eleganter hoc in nummo aureo, quo Gubernationis hæreditariæ totius Belgii foederati in CELSITVDINEM TVAM collatæ memoria ad poſteros propagatur, expreſſit ejus inventor. Cum a Te, DOMINE GRATIOSISSIME, præter omnem ſpem & expectationem eodem donatus fuiſſem; ubivis locorum eruditi Tuam in literas propenſionem inde collegerunt & publice collaudarunt, ego autem abunde convictus fui, CELSITVDINI TVÆ non diſplicere meum philoſophiam certam ac generi humano utilem efficiendi ſtudium, & vim tam ſplendidi muneris in animum, quæ munerum a Principibus in eruditos collatorum propria eſſe ſolet, indies

experior, dum ad opus, quod ante annos complures coeptum eſt, continuandum animum appello. Certiſſima igitur ſpe fretus fore ut, PRINCEPS SAPIENTISSIME, non improbes, ſi doctrinæ meæ Nomine Tuo ſplendorem atque autoritatem comparem, volumen præſens humillima mente CELSITVDINI TVÆ offero. Servet TE Deus, PRINCEPS CELSISSIME ac SERENISSIME, ut exemplo Tuo doceas, quomodo Gentes reddantur felices atque aliis utiles: id quod fovet

CELSITUDINIS TUÆ

Cultor humillimus ac devotiſſimus
CHRISTIANVS L. B. DE WOLFF.

PRÆFATIO.

Cum Gentes inter se non alio utantur jure, quam quod natura constitutum est; superfluum videri poterat Jus Gentium a Jure naturæ separatum tradi. Enimvero qui ita sentiunt, jura Gentium non satis æqua lance pensitant. Gentes utique non aliter spectari possunt, quam personæ singulares in statu naturali viventes, ac ideo ad eas applicanda sunt officia cum erga seipsum, tum erga alios & inde nascentia jura, quæ lege naturæ præscribuntur atque dantur ho-

minibus ſingulis, quatenus natura liberi naſcuntur, nec alio quam naturæ vinculo copulantur. Et quod ita prodit jus, quæ hinc reſultant obligationes, ab immutabili iſta lege, quæ a natura hominum ortum trahit, veniunt, ſicque Jus Gentium indubitate Juris naturæ eſt, ac ideo dicitur Jus Gentium naturale, ſi originem ejus ſpectes, neceſſarium vero, ſi vim obligandi. Atque hoc jus Gentium omnium commune eſt, ita ut quæcunque Gens, quæ contra id quid facit, jus omnium Gentium commune violet ac injuriam committat. Enimvero cum Gentes ſint perſonæ morales, ac ideo nonniſi ſubjecta certorum jurium & obligationum, quæ ex ſocietate contracta vi Juris naturæ prodeunt, natura & eſſentia eorum a natura & eſſentia ſingulorum hominum, individuorum phyſicorum, omnino plurimum differt. Quando igitur officia, quæ lex naturæ hominibus ſingulis præſcribit, quando jura, quæ ſingulis ad explenda officia dantur, ad Gentes applicantur, cum nonniſi talia eſſe poſ-

ſint

ſint, qualia permittuntur a ſuis ſubjectis, illis convenienter immutanda ſunt, ut novam quandam formam induant. Atque ita Jus Gentium non per omnia idem manet cum Jure naturæ, quatenus ſingulorum actus regit. Quid itaque obſtat, quo minus tanquam Jus Gentibus peculiare ſeparatim tractetur? Sane qui Jus naturæ & Gentium dicit, eo ipſo ſignificat, niſi dare velit ſine mente ſonos, inter Jus naturæ & Jus Gentium aliquid diverſitatis intercedere. Quodſi vero quis obſtinatior fuerit, quam ut admittat, Jus Gentium a Jure naturæ ſeparari; per nos volumen præſens, quod de eo condidimus, partem nonam Juris naturæ appellet. Abſonum enim exiſtimamus de lana caprina ſerram contentionis reciprocare. Enimvero quemadmodum ea eſt hominum conditio, ut in civitate rigori Juris naturæ per omnia ex aſſe ſatisfieri non poſſit, ac propterea legibus poſitivis opus ſit, quæ neque in totum a naturali jure recedunt, nec per omnia ei ſerviunt; ita ſimiliter gentium ea eſt conditio, ut rigori Juris Gentium naturali

per omnia ex asse satisfieri nequeat, atque ideo Jus istud in se immutabile tantisper immutandum sit, ut neque in totum a naturali recedat, nec per omnia ei serviat. Quoniam vero hanc ipsam immutationem ipsa Gentium communis salus exigit; ideo quod inde prodit Jus non minus Gentes inter se admittere tenentur, quam ad Juris naturalis observantiam naturaliter obligantur, & non minus istud, quam hoc salva Juris consonantia pro Jure omnium Gentium communi habendum. Hoc ipsum autem Jus cum *Grotio*, quamvis significatu non prorsus eodem, sed paulo strictiori Jus Gentium voluntarium appellare libuit. Absit vero, ut existimes, Jus Gentium voluntarium ab earum voluntate ita proficisci, ut libera sit earum in eodem condendo voluntas & stet pro ratione sola voluntas, nulla habita ratione Juris naturalis. Sicuti enim in parte octava Juris naturæ demonstravimus, leges civiles non esse meræ voluntatis, sed ipsum Jus naturæ præscribere modum, quo ex lege naturali condenda sit civilis, ut non sit quod in ea reprehendi possit; ita quo-

que

que Jus Gentium voluntarium non a libera Gentium voluntate dependet, sed ipsum Jus naturale præscribit modum, quo ex naturali efficiendum sit voluntarium, ut non admittatur, nisi quod necessitas imperat. Cum Gentes in civitatem maximam ipsa natura coëgerit, quemadmodum eidem convenienter in civitates particulares coiverunt singuli; modus quoque, quo fit jus Gentium voluntarium ex naturali, prorsus idem est, quo leges civiles in civitate ex naturalibus condi debent. Ea de causa Jus Gentium, quod voluntarium dicimus, non, quemadmodum *Grotio* visum est, ex factis Gentium probandum, quasi inde colligatur communis earum consensus; sed ex fine civitatis maximæ, quam perinde ac societatem inter omnes homines instituit ipsa natura, ut in Jus istud consentire debeant Gentes, non vero libertati earum relictum sit, utrum consentire malint, an nolint. Non desunt, qui cum jus Gentium voluntarium damnent, id pro Jure naturali venditant, ut in verbis dissentire saltem, in re autem convenire videantur: si tamen

men rem curatius examinare velint, diffiteri non poterunt, obligationem, quæ ex naturali venit, per voluntarium minime tolli, etsi hoc impunitatem agendi det inter homines & tolerari permittat, quæ sine majore malo vitari minime poterant, consequenter omnino necesse est, ut naturale a voluntario sit discernendum, quibuscunque tandem nominibus diversa hæc jura appellare malueris. Nobis arridet mos terminos in scientiam semel introductos absque cogente necessitate non immutandi, sed notiones iisdem respondentes, sicubi opus fuerit, determinandi & rectificandi, ut veritati consentiant. Nimis enim puerile videtur impotentis animi arrogantia terminos, vel eorum significatum immutare, & propterea laudem inventoris affectare inter eos, inter quos etiam luscus Rex est. Castissimum istud naturæ Jus usum suum constanter retinet, ut recte faciamus, nec quæ impune fieri possunt facere velimus, nisi & recte fiant, sicque recte factorum conscientia in fructu sit, quatenus ea magna felicitatis pars est, & recte facta gloriam

riam veram magnam pariunt, cujus delectatio ipsi quoque felicitati minime fucatæ imputanda. Sicuti autem singuli ex pactis jura acquirere & per ea obligationes contrahere possunt; ita quoque Gentes a Gentibus ex pactis jura acquirunt & per ea obligationes contrahunt. Jus hoc Gentium pactitium convenienter dicitur, ac firmitatem a jure naturali habet, quod pacta servari jubet. Urget autem naturale, ut pacta fiant cum sensu officii, etsi voluntarium validitatem eorum ab iisdem non suspendat, & violatio naturalis impune fiat atque toleranda. Pei se liquet, jus pactitium esse nonnisi Jus Gentium particulare, quod non valet nisi inter eas, quæ contraxerunt. Exploratum dudum est, tacite non minus, quam expresse conveniri posse, & naturaliter conventionibus expressis quibuscunque inesse tacitas, cum Jus naturæ non ferat differentiam inter contractus bonæ fidei ac stricti juris. Tacitis hisce conventionibus nituntur ea, quæ moribus inter gentes introducta sunt & Jus consuetudinarium Gentium, quod diximus, ab-

 solvunt.

ſolvunt. Aſſimilatur hoc juri pactitio, nec ideo tenet niſi Gentes, quæ mores iſtos diuturna obſervantia ſuos fecerunt. Quamvis vero per præcipitantiam quæ ſunt hujus juris ad Jus Gentium commune referantur, Gentium tamen errantium multitudo errori patrocinium non parit, ut vel pro naturali, vel pro voluntario habendum ſit. Nos non ſequimur morem turbæ Juris civilis peritorum, qui ante de re ſtatuunt, quam rationes, cur ita ſtatuendum ſit, expenſæ fuerint, & ut ſententiam præoccupatam tueantur, rationes demum conquirunt, cur ita ſtatuant. Non admittimus tanquam verum, niſi quod ex antea demonſtratis per neceſſariam conſequentiam infertur, non vero comminiſcimur principia precaria, ut fucum faciamus imbecilli ingenio præditis, quibus longius proſpicere datum non eſt. Non fert has artes methodus, qua Jus naturæ & Gentium tradere inſtituimus & in omni philoſophia utimur: requirit ea veritatem ſine pigmentis fucoque puerili. Quamobrem in præſenti quoque opere Jus Gentium ita demonſtravimus,

ut

ut quod naturale eſt ab eo, quod voluntarium, ſed omnium Gentium commune, quod conſuetudinarium ab utroque, quod denique pactitium ab omni reliquo fuerit diſcretum & a lectore attento facile dignoſcantur, quæ ex diverſo fonte fluunt. Sicuti vero errare humanum eſt, ita nec mirum videbitur, Gentes etiam doctiores & cultiores per errorem pro Jure naturæ habuiſſe, quæ eidem e diametro repugnant, & perverſos mores inde manaſſe, quibus jus in libidinoſam licentiam converſum, quam nos cum Jure Gentium voluntario minime confundimus, ſed ad Jus Gentium conſuetudinarium iniquum referimus, quo caſtiſſimum Juris nomen contaminatur. Atque in eo diſcedimus a *Grotio*, cujus ævo ſyſtema ignotum nomen erat, quod noſtro adhuc tempore abuſui patet, & cui facile condonari poteſt, quod jus Gentium voluntarium cum conſuetudinario in unum confuderit, nec in hoc mores probos ab improbis diſtinxerit. Intereſt con-

autem generis humani, ne tam diversa inter se confundantur, cum Gentes earumque Rectores evadant fabri calamitatum & miseriarum, si sensus officii ab exercitio juris absit & jus in libidinosam licentiam vertatur. Equidem magis optandum, quam sperandum, ut Gentes ad viam rectam reducantur a deviis, ad quæ nimis procul aberrarunt; non tamen propterea veritatis cognitio prorsus inutilis existimanda. Etenim ne simus injurii in supremum Numen, constare debet, quænam sint malorum origo, nec adeo male sperandum est de humano genere, quasi nemo futurus unquam sit, qui veritati manus victas dare nolit. Faxit Deus, ut veniant tempora, quibus si non omnes, saltem plerique Gentium Rectores agnoscant, quid Genti suæ & Gentibus aliis debeant! Halæ d. 9. Aprilis A. 1749.

Juris

JURIS GENTIUM

PROLEGOMENA.

§. 1.

Per *Jus Gentium* intelligimus ſcientiarum juris, quo Gentes, ſive populi inter ſe utuntur & obligationum eidem reſpondentium. *Definitio Juris Gentium.*

Nimirum docere intendimus, quomodo Gentes qua tales actiones ſuas determinare debeant, & per conſequens ad quænam Gens quælibet tum ſibimetipſi, tum aliis Gentibus obligetur, & quænam hinc naſcantur jura Gentium cum reſpectu ſui ipſius, tum reſpectu aliarum Gentium. Naſcuntur enim jura ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), ita ut, ſi nulla eſſe obligatio, nec jus ullum foret (§. 25. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 2.

Gentes ſpectantur tanquam perſonæ ſingulares liberæ in ſtatu naturali viventes. Sunt enim multitudo hominum in civita- *Quomodo Gentes ſpectandæ.*

tem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum civitates spectandæ sint tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes (§. 54. *part. 8. Jur. nat.*); Gentes quoque inter se spectandæ sunt tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes.

Consideramus nimirum hic Gentes, quales origine sua sunt, antequam una alteri ad certas præstationes libertatem civilem, quæ populi est, diminuentes sese obligavit, vel facto sive suo, sive alieno alteri cuidam genti subjecta fuit. Libertatem enim Gentium, quæ originarie ipsis competit, tam tolli, quam diminui posse, ex inferius demonstrando patebit.

§. 3.

Quale sit Jus Gentium originarie. Quoniam Gentes spectantur tanquam personæ singulares in statu naturali viventes (§. 2.), in statu autem naturali homines non utuntur nisi jure naturali (§ 125. *part. 1. Jur. nat.*); *Gentes* quoque *originarie non alio utuntur jure nisi naturali*, consequenter *Jus Gentium originarie non est nisi Jus naturæ ad Gentes applicatum.*

Natura non datur Jus hominum aliud nisi naturale, quod deinde facto hominum eodem non invito per pacta inter singulos quoad ea, quæ sunt juris permissivi, & quoad præstationem eorum, quæ humanitatis sunt, immutari potest, in civitate autem vi potestatis legislatoriæ, quemadmodum in theoria legum civilium naturali (*c. 4. part. 8. Jur nat.*) ostendimus. Similiter natura non datur Jus Gentium aliud nisi naturale, seu ipsum Jus naturæ ad Gentes applicatum, quod deinde facto Gentium isto non invito quoad ea, quæ sunt juris permissivi & quoad præstationem eorum, quæ humanitatis sunt, immutari potest, prouti videbimus in subsequenti tractatione. Absit autem, ut existimes, propterea non esse opus, ut de Jure Gentium sigillatim agamus. Alia enim sunt principia Juris naturæ

naturæ, alia vero eſt applicatio eorundem ad Gentes, quæ diverſitatem quandam parit in eo, quod infertur, quatenus natura Gentis non eſt eadem cum natura humana. E. gr. homo obligatur ſe conſervare naturaliter, Gens quælibet ex pacto, quo perſona quædam moralis facta. Alia vero requirit conſervatio hominis, alio conſervatio Gentis. Similiter jus ſe defendendi adverſus injurias aliorum & homini natura competit, & Genti tribuit ipſa lex naturæ. Modus autem hominis ſe defendendi adverſus hominem alium non prorſus idem eſt cum modo defenſionis Gentibus proprio. Quibus perſpecta eſt vis principii reductionis, cujus eximius prorſus uſus eſt in Arte inveniendi; ei nihil difficultatis ſupererit. Et, ſi quæ nebulæ adhuc obfuſcent nonnullorum mentem, eas diſpellet ſubſequens tractatio. Nil igitur moramur objectiones eorum, qui contendunt, Jus Gentium a Jure naturæ diſtingui minime debere, nec dari aliud Gentium Jus niſi ipſum Jus naturæ. Abundet per nos unusquisque ſuo ſenſu: nos adverſus neminem litem agemus, quibus ſufficit ea expoſuiſſe, quæ nobis veritati conſentanea videntur.

§. 4.

Definitio Juris Gentium necessarii.

Jus Gentium neceſſarium appellamus, quod conſiſtit in Jure naturæ ad Gentes applicato. Vocatur etiam a *Grotio* & aliis, qui eum ſequuntur, *Jus Gentium internum*, quatenus ſcilicet in conſcientia Gentes obligat. Dicitur etiam a nonnullis *Jus Gentium naturale*.

Nimirum Jus Gentium neceſſarium continet ea, quæ lex naturæ Gentibus præſcribit, quæ ſicuti regit omnes actus hominum, ita etiam actus Gentium qua talium.

§. 5.

De immutabile hujus Juris.

Quoniam Jus Gentium neceſſarium conſiſtit in Jure naturæ ad Gentes applicato (§. 4.), jus autem naturæ im-

mutabile est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Jus* quoque *Gentium necessarium prorsus immutabile est.*

Immutabilitas Juris Gentium necessarii ab ipsa immutabilite legis naturalis est, ac tandem ab essentia atque natura hominum tanquam fonte derivatur, unde ipsa Juris naturæ immutabilitas fluit (§. 136. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Actus Gentium ideo regit Jus naturæ, quia homines in civitatem coëuntes & per hoc Gens facti (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*) non exuunt naturam humanam, ac per consequens legi naturæ subjecti manent (§. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*), etiam quatenus vires suas conjungere voluerunt ad commune bonum promovendum (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 6.

Qualis sit obligatio, quæ venit a Jure Gentium necessario.

Similiter quoniam Jus Gentium necessarium consistit in Jure naturæ ad Gentes applicato (§ 4.), ac per consequens obligatio, quæ ex Jure Gentium necessario oritur, a lege naturæ venit, hæc ipsa autem obligatio, quæ a lege naturæ venit, necessaria & immutabilis est (§. 142. *part. 3. Phil. pract. univ.*); *obligatio etiam, quæ a Jure Gentium necessario venit, necessaria & immutabilis est*, consequenter *nec Gens ulla seipsam, nec alia aliam ab eadem liberare potest.*

Probe hæc notanda veniunt, ne quis existimet, quando videt tolerandam esse quandam agendi licentiam inter Gentes, Jus Gentium necessarium esse nullius utilitatis. Id enim perinde foret, ac si quis contenderet Jus naturæ esse nullius utilitatis, propterea quod in statu naturali hominibus permittendus sit libertatis suæ abusus, eadem in licentiam agendi versa (§. 150. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec is prohiberi possit nisi lege positiva in statu civili, ubi a superiore vi compelli possunt ad faciendum, quod sponte sua facere nolunt. Abusus potentiæ illicitus manet etiam in Gentibus, quamvis impendiri nequeat. Nec Gentes probæ faciunt, quæ possunt, sed non

non minus conſcientiæ rationem habent, quam homo quilibet probus, qui jus ſuum non metitur ex potentia, ſed ex obligatione, quæ a lege naturæ venit. Differt Gens proba ab improba eodem modo, quo homo probus ab improbo, aut, ſi mavis, virtuoſus a vitioſo.

§. 7.

De ſocietate a natura inter Gentes instituta.

Ipſa natura ſocietatem inſtituit inter omnes gentes & ad ſocietatem colendam eas obligat. Etenim ipſa natura ſocietatem inter homines inſtituit & ad ſocietatem colendam eas obligat (§. 138. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum hæc obligatio, utpote a lege naturæ veniens (§. 135. *part. I. Phil. pract. univ.*), neceſſaria & immutabilis ſit (§. 142. *part. I. Phil. pract. univ.*), nec per hoc immutari poterit, quod Gentes in civitatem coiverunt (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem ſocietas, quæ inter ſingulos natura inſtituit, adhuc ſubſiſtit inter Gentes & per conſequens poſtquam civitates legi naturæ convenienter fuerunt inſtitutæ (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*), ac inde ortæ Gentes (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), ipſa quoque natura ſocietatem inſtituiſſe dicenda eſt inter omnes gentes & ad ſocietatem colendam eas obligare.

Quodſi ponamus ſocietatem illam magnam, quam ipſa natura inter homines conſtituit, per ſocietates particulares tolli, quas ineunt homines, dum in civitatem coëunt; civitates conſtituerentur contra legem naturæ, ſublata quippe univerſali obligatione omnium erga omnes: quod utique abſurdum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Quemadmodum in corpore humano organa ſingula non deſinunt eſſe organa totius corporis humani, quia quædam ſimul ſumta conſtituunt unum organon; ita ſimiliter homines ſinguli non deſinunt eſſe membra magnæ illius ſocietatis, quæ totius generis humani eſt, propterea quod plures conjunctim particularem quandam ſocietatem contra-

xerunt. Et quatenus jam hi tanquam socii conjunctim agunt, tanquam si unus esset omnium simul intellectus, una omnium simul voluntas; ita etiam conjunctim jam sunt membra societatis illius, quam natura inter homines constituit, & postquam genus humanum in gentes divisum societas illa, quae inter singulos erat, inter gentes subsistit.

§. 8.

De fine illius civitatis.

Quoniam ipsa natura societatem inter omnes gentes instituit, quatenus eam instituit inter omnes homines, prouti ex demonstratione propositionis praecedentis patet (§. 7.), societatis autem naturalis, consequenter ejus, quem ipsa natura inter homines instituit (§. 142. *part. 7. Jur. nat.*), mutuum adjutorium est in se statuque suo perficiendo (§. 144. *part. 7. Jur. nat.*); *societatis* quoque, *quam natura inter omnes gentes instituit, finis est mutuum adjutorium in se statuque suo perficiendo*, consequenter *commune bonum conjunctis viribus promovendum* (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*).

Quemadmodum homo unus sibi solus non sufficit, sed alterius auxilio indiget, ut ideo commune bonum conjunctis viribus sit promovendum; ita quoque gens una sibi soli non sufficit, sed una alterius auxilio indiget, ut ideo quoque commune bonum conjunctis viribus sit promovendum. Quamobrem cum ipsa natura homines consociet, & ad societatem colendam obliget, quia commune bonum nonnisi conjunctis viribus promoveri potest, ita ut nihil homini utilius sit homine; eadem quoque natura gentes consociat & ad societatem colendam obligat, quia commune omnium bonum nonnisi conjunctis viribus promoveri potest, ita ut nihil genti utilius dicendum sit gente. Quamvis enim concipi possit gens per vastam regionem diffusa, quae aliarum gentium ope indigere non videtur; nondum tamen dici potest, eam aliarum auxilio statum suum adhuc magis perficere posse, multo minus, gentes alias

alias ab ea juvari posse, si vel maxime ipsa alieno auxilio non indigeat. Sicuti vero homo homini, ita etiam gens genti prodesse debet.

§. 9.

De civitate, quæ ex gentibus universis componitur.

Gentes omnes in civitatem coivisse intelliguntur, cujus singula membra sunt singulæ gentes, seu civitates particulares. Ipsa enim natura instituit inter omnes gentes societatem & ad eam colendam eas obligat communis boni conjunctis viribus promovendi causa (§. 7. 8.). Quamobrem cum societas hominum communis boni conjunctis viribus promovendi causa contracta civitas sit (§. 4. 9. *part.* 8. *Jur. nat.*); ipsa natura in civitatem consociavit Gentes. Quoniam itaque Gentes, quæ commoda inde nascentia norunt, impetu naturali in hanc consociationem feruntur, quæ genus humanum seu Gentes omnes inter se colligat, ceteræ autem in eam consensuræ præsumuntur, si bona sua nossent; quidni quasi pacto etiam in societatem coaluisse dicendæ sunt (§. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*)? Gentes itaque omnes in civitatem coivisse intelliguntur, cujus singula membra sunt singulæ gentes, seu civitates particulares (§. 5. *part.* 8. *Jur. natur.*).

Propositioni præsenti lucem quandam affundit demonstratio, qua evicimus, ipsam naturam societatem inter homines instituisse & ad societatem colendam eos obligare (§. 138. *part.* 7. *Jur. nat.*). Immo civitas, in quam ipsa natura Gentes coire jubet, revera nititur magna illa societate, quam inter homines omnes instituit, prouti ex demonstratione superiori (§. 7.) abunde liquet. Ne vero dubium moveant ea, quæ de quasi pacto diximus, quo civitas illa maxima inter Gentes facta intelligitur; relegenda sunt ea, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 142. *part.* 7. *Jur. nat.*). In hoc autem quasi pacto stabi-

ſtabiliendo nihil ſumimus, quod a ratione ſit alienum, nec in aliis quaſi pactis admittatur. Quod enim in iſtam ſocietatem Gentes naturali quodam impetu ferantur, ex earum factis apparet, veluti dum foedera ineunt commerciorum & belli cauſa, vel etiam amicitiæ gratia, de quibus infra ſuo loco dicemus. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, nullam prorſus eſſe Gentem, quæ non conſentire intelligatur in civitatem, in quam omnes coire jubet ipſa natura. Quemadmodum vero in tutela recte præſumitur conſentire pupillus, quatenus conſentire deberet, immo conſenſurus eſſet, ſiquidem commoda ſua intelligeret; ita non minus Gentes, quæ defectu acuminis non perſpiciunt, quantæ utilitatis ſit eſſe membrum civitatis illius maximæ, conſentire in hanc conſociationem præſumuntur. Cumque conſtet in ſtatu civili tutorem ad ſuſcipiendam compelli, ſi ſponte ſua conſentire nolit, conſenſum vero vel vi a ſuperiore extortum non obſtare, quo minus tutela quaſi pacto nitatur; quidni obligationi naturali, qua ad ſocietatem ineundam compelluntur Gentes, eandem vim tribuere licet, quam obligationi civili, ut conſenſum extorquere intelligatur etiam quaſi ab invito. Quodſi hæc magis ingenioſa, quam vera, nimisque contorta videantur; miſſis iis, ſufficit, ut agnoſcatur, ipſam naturam Gentes redegiſſe in civitatem, conſequenter quæ ex notione illius fluunt, ſumenda eſſe tanquam ab ipſa natura conſtituta. Neque enim aliud intendimus.

§. 10.

Civitas maxima quænam dicatur.

Civitas, in quam Gentes coiviſſe intelliguntur, & cujus ipſæ ſunt membra, ſeu cives, vocatur *Civitas maxima.*

Magnitudo civitatis æſtimatur numero civium. Major itaque civitas concipi nequit, quam cujus membra ſunt Gentes in univerſum omnes, quippe quæ conjunctim totum Genus humanum complent. Non defuit notio civitatis maxime *Grotio*, nec ignoravit in ea Jus Gentium fundari §. 17. 23. Proleg.

leg. attamen ex ea non derivavit Jus Gentium, quod voluntarium vocat, quemadmodum poterat atque debebat.

§. 11.

De legibus civitatis maximae.

Quoniam civitas maxima civitas quædam est (§. 10.), consequenter societas (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), quælibet autem societas suas habere debet leges & eidem competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46. *part. 7. Jur. nat.*); *civitas* quoque *maxima suas habere debet leges & eidem competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant*, & quia leges civiles, hoc est, in civitate latæ (§. 965. *part. 8. Jur. nat.*), præscribunt media, quibus bonum civitatis obtinetur (§. 969. *part. 8. Jur. nat.*), *leges* etiam *civitatis maximæ præscribere debent media, quibus bonum ejusdem obtinetur.*

Negotium minime facessit, quod leges in civitate ferantur a superiore (§. 965. *part. 8. Jur. nat.*), qualem non habent, certe non agnoscunt Gentes. Quoniam enim Jus naturæ regit voluntatem superioris in ferendis legibus (*not.* §. 965. *part. 8. Jur. nat.*), & quoniam leges præscribere debent media, quibus bonum civitatis obtinetur, *vi præsentis*, inde satis apparet, qualis esse debeant leges istæ, ut in eas consentire debeant, consequenter consensisse præsumantur Gentes; nihil difficultatis occurret in stabiliendo Jure Gentium, quod nec in totum a Jure Gentium necessario recedit, nec per omnia ei servit, quemadmodum ex sequentibus elucescet.

§. 12.

Quomodo Gentes singulæ universis & universæ singulis obligentur.

Quatenus Gentes in civitatem maximam coivisse intelliguntur, singulæ universis se obligasse intelliguntur, quod commune bonum promovere velint, universi autem singulis, quod ipsorum bono in particulari prospicere velint. Etenim si civitas instituitur singuli se obligant universis, quod commune bonum promovere velint,

lint, & universi se obligant singulis, quod sufficientiæ vitæ ipsorum, tranquillitati & securitati, consequenter bono singulorum in particulari (§. 9. & *seqq. part. 8. Jur. nat.)*, prospicere velint (§. 28. *part. 8. Jur. nat.).* Quatenus igitur Gentes in civitatem maximam coivisse intelliguntur, singula quoque se universis obligasse intelliguntur, quod commune bonum promovere velint, universi autem singulis, quod ipsorum bono in particulari prospicere velint.

Ipsa natura Gentes in civitatem maximam coëgit (§. 7. 9.), ac ideo obligationem, quam urget propositio præsens, iisdem imposuit, ut, quia consentire debent, in eandem consensisse præsumantur, aut, eas consensisse recte sumatur, prouti simile quid apparet in societate paterna, quam tanquam quasi pactum naturaliter valere diximus (*not.* §. 635. *part. 7. Jur. nat.*). Quodsi Gentes omnes ea intellectus vi essent instructæ, ut nossent, quomodo ipsorum utilitati velificaretur, & quaenam damna ab ipsis averterentur, si singulæ boni civis officium adimplerent, nec earum Rectores affectuum impetu se in transversum abripi paterentur; nullum profecto dubium superesset fore, ut in universum omnes in id expresse consentirent, ad quod eos ducit natura, quæ consensum supplet ac sustinet etiam in insciis atque invitis. Nobis vero hoc demonstrandum est, quomodo natura consulat felicitati generis humani pro conditione humana. Neque enim fingendi sunt homines, quales non sunt, si vel maxime tales esse deberent. Eaque de causa ex sequentibus elucescet, jura, quæ ex notione civitatis maxime resultant, abire a Jure Gentium necessario, quatenus propter conditionem humanam in civitate maximâ non tam permittenda, quam toleranda sunt, quæ per se illicita sunt, quia vi humana mutari minime possunt.

§. 13.

§. 13.

De Jure universarum Gentium in singulas.

Universis Gentibus in civitate maxima competit jus cogendi singulas, si obligationi suæ satisfacere nolint, aut in eo negligentes se præbeant. Etenim universis in civitate competit jus cogendi singulos, ut satisfaciant obligationi suæ, si vel facere nolint, vel in eo negligentes sese præbeant (§. 29. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes omnes in civitatem coivisse intelligantur, cujus membra sunt singulæ (§. 9.), & quatenus in civitatem maximam coivisse intelliguntur, singulæ universis se obligasse intelliguntur, quod commune bonum promovere velint (§. 12.) ex obligatione autem passiva partis unius nascatur jus alteri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); universis quoque Gentibus in civitate maxima competit jus cogendi singulas, si obligationi suæ satisfacere nolint, aut in eo negligentes se præbeant.

Paradoxum hoc videbitur iis, qui nexum veritatum non prospiciunt & ex factis jura æstimant. Patebit autem in sequentibus, propositione præsenti nos indigere tanquam principio alia demonstrandi, non ægre admittenda. Et in genere notandum est, nobis jam quæstionem esse de Jure, cujus capaces sunt homines pro conditione præsenti, minime vero de factis, quibus jus vel contemnitur, vel violatur. Nullus foret effectus civitatis maximæ, in quam natura Gentes coëgit, nisi inde jus quoddam universis in singulas inde oriretur: quod quale sit, in sequentibus demonstrabitur.

§. 14.

Unde id metiendum.

Jus universarum Gentium in civitate maxima in singulas ex fine civitatis maximæ metiendum. Etenim jus universorum in civitate in singulas ex fine civitatis metiendum (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam in civitate maxima Jus

 quod-

quoddam Gentibus universis in singulas competat (§. 13.); idem quoque ex fine civitatis maximæ metiendum erit.

Quemadmodum in civitate qualibet jus universorum in singulos ultra finem civitatis extendendum non est (*not.* §. 30. *part. 8. Jur. nat.*); ita quoque jus universarum Gentium in singulas ultra finem civitatis maximæ extendi nequit, in quam eas ipsa natura coëgit, ut proinde istiusmodi jus singulæ universis tribuisse intelligantur.

§. 15.

Quale idem sit.

Gentibus universis imperium aliquod competit in singulas. Etenim universis in civitate imperium quoddam competit in singulos (§. 31. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem ut ante (§. 14.) patet, gentibus quoque universis imperium aliquod competere in singulas.

Paradoxum nonnullis videbitur imperium istud. Sed hi erunt, qui civitatis maximæ notionem distinctam non habent, nec utilitatem perspiciunt, cui natura providet, dum civilem quandam societatem instituit inter Gentes. Patebit autem suo loco, minime hinc consequi nisi ea, quæ pro Gentium Jure ultro agnoscunt omnes, aut quod agnoscere debeant, haud difficulter intelligitur. Nec minus patet, imperium hoc esse speciem quandam imperii civilis (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 16.

De æqualitate morali Gentium.

Natura Gentes omnes inter se æquales sunt. Gentes enim spectantur tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes (§. 2.). Quamobrem cum natura homines omnes æquales sint (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*); Gentes etiam omnes natura inter se æquales sunt.

Gentem

Gentem non facit multitudo hominum in civitatem coëuntium, ſed vinculum, quo ſinguli colligantur, & quod non eſt niſi obligatio, qua ſibi invicem tenentur. Eadem eſt ſocietas, quæ ſubſiſtit in multitudine hominum conſociatorum majore, quam quæ in minore. Quemadmodum itaque homo proceriſſimus non magis homo eſt, quam nanus; ita quoque Gens, quantumvis parva, non minus Gens eſt, quam Gens maxima. Quamobrem cum æqualitas moralis hominum nullum reſpectum habeat ad ſtaturam corporum; æqualitas quoque moralis gentium non reſpicit multitudinem hominum, ex quibus componuntur.

§. 17.

In quo ea conſiſtat.

Quoniam natura Gentes omnes æquales ſunt (§. 16.), æquales autem ſunt homines in ſenſu morali, quorum eadem ſunt jura & obligationes eædem (§. 78. *part. 1. Jur. nat.*); *natura* quoque *Gentium omnium eadem ſunt jura eædemque obligationes.*

Gens igitur magna ac potens jus nullum ſibi arrogare poteſt in parvam & impotentem, quale huic in ipſam non competit, nec Gens parva ac impotens ad quicquam obligatur magnæ ac præpotenti, ad quod ipſa non æque eidem ſit obligata.

§. 18.

An natura Genti uni liceat, quod alteri non liceat, & cet.

Quia Gentium omnium natura eadem ſunt jura eædemque obligationes (§. 17.), licitum vero eſt, ad quod agendum jus habemus, illicitum vero, ad quod non agendum, vel non omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*); *Quod natura Genti uni licitum, id etiam alteri licitum, & quod uni non licet, idem nec licet alteri.*

Potentia Genti nulli tribuit prærogativam quandam præ al-

ra, ficuti nec robur homini uni præ altero. Sicuti potentia non est fons Juris naturæ, ut tantum unicuique liceat in alterum, quantum potest; ita nec potentia Gentium est fons Juris Gentium, ut ex ea id sit metiendum.

§. 19.

Qualis forma Reip. conveniat civitati maximæ.

Civitas maxima status quidam popularis est. Civitas enim maxima constat ex gentibus universis (§ 10.), quæ singulæ liberæ (§. 50. *part. 8. Jur. nat.*) & inter se æquales sunt (§. 16.). Quoniam itaque natura Gens nulla genti alteri subjecta est (§. 136. *part. 1. Jur. nat.*), ac per se patet Gentes communi consensu imperium, quod universis in singulas competit, in unam quandam gentem, aut plures non contulisse, immo ne concipi quidem posse per humanam conditionem, ut hoc fiat; imperium istud universis reservatum intelligitur. Quamobrem cum status popularis sit, si imperium sit penes universos, integrum nempe in casu præsenti genus humanum in populos, seu gentes divisum (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*); civitas maxima status quidam popularis est.

Status popularis forma Reip. maxime naturalis est, qui cum ipsa civitate statim incipit & non nisi facto in aliam formam mutatur, quale in civitate maxima ne fingi quidem potest. Quamobrem civitati maximæ non alia forma Reip. convenit, quam status popularis.

§. 20.

Quodnam in civitate maxima habendum pro omnium gentium

Quoniam in statu populari id pro voluntate totius populi habendum, quod parti majori visum fuerit (§. 157. *part. 8. Jur. nat.*), civitas autem maxima status quidam popularis est (§. 19.), eaque ex omnibus gentibus composita (§. 10.); *in civitate* quoque *maxima pro voluntate omnium gentium*

tium habendum erat, quod majori earum parti visum fuerit. Cum tamen in statu populari necesse sit, ut singuli in certo loco conveniant & suam de eo, quod fieri debet, voluntatem declarent §. 173. *part. 8. Jur. nat.*), gentes autem omnes per totum terrarum orbem dispersæ inter se convenire nequeant, quod per se patet; *pro voluntate omnium Gentium habendum, in quod consentire debent, si ductum naturæ secutæ ratione recte utantur,* consequenter patet, *quatenus admittendum, id esse Juris Gentium, quod gentibus moratioribus placuit.* *tium voluntate.*

Agnovit *Grotius* admittendum esse aliquod Jus Gentium, quod a Jure naturæ abit, cujus rigor ut observetur inter gentes fieri omnino nequit. Hoc autem jus ut aliter probetur, quam per exempla & judicia, præsertim consentientia, gentium moratiorum, non esse putat in Proleg. de J. B. & P. §. 46. Enimvero tutiorem viam ingrediemur, si ostendamus, Gentes ratione utentes in hoc, vel istud consentire debuisse, quod pro jure inter ipsas valuit, vel hodienum valet: id quod ex notione civitatis maximæ non minus evidenter demonstrari potest, quam Jus Gentium necessarium, seu naturale.

§. 21.

Quia in civitate maxima pro voluntate omnium Gentium habendum, in quod consentire debent, si ductum naturæ secutæ ratione recte utantur (§. 20.), superior vero in civitate est, cui competit jus in actiones singulorum (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter qui imperium exercet (§. 30. 31.), ideo *fingi potest Rector civitatis maximæ, qui ductum naturæ secutus recto rationis usu definit, quænam Gentes inter se pro jure habere debeant, etsi Gentium juri naturali non per omnia serviat, nec in totum ab eo recedat.* *De Rectore civitatis maximæ.*

Fictiones non inutiliter admittuntur in omni scientiarum genere cum ad veritates eruendas, tum demonstrandas. Ita

e. gr.

e. gr. Aſtronomi motum planetarum computaturi fingunt Planetam motu æquali in orbita circulari Soli concentrica circa eandem latum, & in æquatione temporis fingitur Sol quidam motu æquabili per æquatorem lato. Immo omnes perſonæ morales & ipſa quoque civitas maxima in Jure naturæ ac Gentium aliquid fictitii habet. Talia qui improbant, abunde produnt ſe nonniſi perfunctorie in ſcientiis verſatum eſſe. Rector autem ille fictus civitatis maximæ fini civitatis maximæ accommodare concipitur Jus Gentium naturale, ſeu neceſſarium, quantum fert conditio humana, uſus jure ferendi leges, quod civitati maximæ convenire ſupra oſtendimus (§. 11.).

§. 22.

Juris Gentium voluntarii definitio & quale ſit.

Jus Gentium voluntarium cum *Grotio* dicimus, quod ex notione civitatis maximæ derivatur, conſequenter quaſi ab eius Rectore ficto definitum (§. 21.), ac ideo a voluntate Gentium profectum intelligitur. *Æquipollet* adeo *Jus Gentium voluntarium legibus civilibus* (§. 965. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter *eodem modo efficitur ex Jure Gentium neceſſario, quo Jus civile ex naturali efficiendum oſtendimus* capite quinto partis octavæ Juris naturalis.

Habemus itaque fundamentum certum atque immotum Juris Gentium voluntarii, & ſunt principia certa, vi quorum ex notione civitatis maximæ Jus iſtud derivari poteſt, ut non coeco impetu ſtandum ſit factis & moribus atque judiciis gentium moratiorum, ac inde inferendus quaſi univerſalis quidam omnium conſenſus, quemadmodum *Grotius* ſenſiſſe videtur.

§. 23.

Jus Gentium pactitium.

Jus Gentium pactitium eſt, quod ex pactis oritur inter Gentes diverſas initis. Quoniam pacta ineuntur inter Gentes duas, vel plures, quod ex notione pacti liquet (§. 788. *part.*

part. 3. Jur. nat.), nemo autem sibi alterum obligare potest ultra voluntatem, consequenter multo minus contra voluntatem suam, nec ab eo acquirere jus, quod in eum transferre noluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); *pacta* quoque *non obligant* (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), *nisi Gentes, inter quas inita*, consequenter *jus Gentium, quod ex pactis oritur*, seu *pactitium universale non est, sed particulare.*

Æquipollet Jus Gentium pactitium juri privato civium, quod ex eorum pactis ortum trahit. Quemadmodum itaque jus privatum civibus ex pactis inter se initis quæsitum resultans pro Jure civili, civitati cuidam proprio, minime habetur, ita quoque Jus Gentibus ex pactis cum aliis Gentibus initis quæsitum haberi non posse videtur pro Jure Gentium. Quamobrem patet Jus Gentium pactitium non admittendum esse nisi in significatu quodam generali, quatenus per pacta Gentes sese sibi invicem obligare & jura quædam acquirere possunt, & propria quædam est pactionum istarum materia, ut ideo Jus Gentium pactitium non consideret nisi ea, quæ de pactis Gentium eorundemque materia in genere sunt observanda. Pacta enim particularia & quoad gentes paciscentes inde emergentia jura & obligationes, cum facti unice sint, non ad scientiam Juris Gentium pertinent, sed ad historiam Juris hujus, vel illius Gentis respectu Gentium certarum aliarum ei competentis. Poterat theoria Juris Gentium pactitii generalis referri ad Jus Gentium voluntarium (§. 22.): quod ubi quis facere voluerit, nos minime habebit sibi repugnantes.

§. 24.

Jus Gentium consuetudinarium dicitur, quod longo usu introductum & instar Juris observatum. Vocatur etiam subinde *Consuetudo* simpliciter, idiomate vernaculo das Herkommen. Quoniam Gentes certæ eo inter se utuntur; *Jus* *De Jure consuetudinario Gentium.*

Gentium consuetudinarium tacito consensu Gentium aut, si mavis pacto quodam tacito nititur, & idem non universale, sed particulare esse apparet, perinde ac jus pactitium (§. 23.).

Quæ modo annotavimus de Jure Gentium pactitio eadem tenenda sunt de Jure Gentium consuetudinario.

§. 25.

De Jure Gentium positivo. *Jus Gentium positivum* dicitur, quod a voluntate Gentium ortum trahit. Quamobrem cum facile pateat, *Jus Gentium voluntarium* (§ 22.), *pactitium* (§. 23.) & *consuetudinarium* a voluntate Gentium ortum trahere (§. 24.); Jus istud omne *jus Gentium positivum est.* Et quoniam porro patet, Jus Gentium voluntarium niti consensu Gentium præsumto (§ 22.), pactitium expresso (§. 23.), consuetudinarium tacito (§. 24.), alio autem modo jus quoddam a voluntate Gentium proficisci posse non concipitur; *Jus Gentium positivum vel voluntarium, vel pactitium, vel consuetudinarium est.*

Qui notionem civitatis maximæ non perspectam habent, adeoque ex eadem Jus Gentium voluntarium, quod *Grotius* dixerat, non derivant, & vel prorsus rejiciunt, vel aliquam saltem ejus partem ad consuetudines certarum Gentium referunt; præter Jus pactitium, vel consuetudinarium Jus Gentium positivum aliud minime agnoscunt, perperam vero ad consuetudines refertur, quod instar Juris observandum esse inter Gentes omnes ipsa ratio dictitat.

§. 26.

Scholion generale. Nos equidem Jus Gentium voluntarium, pactitium & consuetudinarium a Jure Gentium naturali, seu necessario sedulo discernemus, non tamen illud ab hoc separatim trademus; sed ubi ostenderimus, quænam sint Juris Gentium necessarii,

cessarii, statim adjungemus ubivis, cur & quomodo id in voluntarium sit mutandum, ac hinc inde, ubi consultum nobis fuerit, adjiciemus jura pactitia & consuetudinaria cum voluntario minime confundenda, præsertim ubi a *Grotio* non satis sollicite ab illo fuerint discreta. Ceterum qua methodo hactenus usi sumus tum in Jure naturæ, tum in ceteris philosophiæ partibus, a nobis jam traditis, & qua etiam in ceteris, suo tempore ac ordine tradendis utemur, eadem quoque utimur in Jure Gentium, cum Jura particularia Gentium nonnullarum propria, quæ vel a pactionibus veniunt, vel consuetudini debentur, non attingamus, utpote ab instituto nostro aliena, quibus nisi ea conveniunt, quæ scientiæ sunt. Cur vero methodo ista utendum sit, ex iis patet, quæ in Prolegomenis de Jure Naturæ demonstravimus (§. 2. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*), ibidemque annotavimus.

Prolegomenorum Finis.

JURIS GENTIUM

CAPUT I.

De officiis Gentium erga seipsas & inde nascentibus Juribus.

§. 27.

Officiorum Gentis erga seipsam definitio.

Per *officia Gentis erga seipsam* intelligo actiones, ad quas committendas & omittendas Gens quælibet sibimetipsi obligatur naturaliter, seu vi legis naturalis.

Consideramus hic Gentem per modum entis unius, quod per certas determinationes essentiales in esse suo constituitur (§. 9.), & iis convenienter vivere potest. Dantur igitur Gentis qua talis actiones, quæ ipsam qua talem respiciunt, & vel determinationibus istis conveniunt, vel disconveniunt, ut ea de causa non perinde sit, quasnam committat, vel omittat. Demonstrandum itaque est, quasnam illarum actionum Gens committere, quasnam omittere debeat, ne sibimetipsi desit.

§. 28.

In quo conservatio Gentis consistat.

Conservatio Gentis consistit in duratione consociationis in civitatem, seu quamdiu manet consociatio in civitatem, Gens conservatur. Populus enim, sive Gens (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), interit, sublata consociatione in civitatem (§. 497. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter quamdiu hæc durat, non interit, ac ideo conservatur. Quamobrem conservatio Gentis qua talis consistit in duratione consociationis in civitatem.

Alia est conseruatio individui physici, alia personæ moralis. Hæc illam supponit, sed eadem salva non subsistit. Quamvis

vis itaque homo corpus & vitam suam conservare obligetur (§. 349. 350. *part. 1. Jur. nat.*), sine quo individuum physicum subsistere nequit; non tamen inde inferre licet, quod etiam Gens qua talis se conservare teneatur. Neque enim natura facit Gentem, sed consensus (§. 4. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Conservatio singulorum, qui faciunt gentem, tanquam individuorum physicorum pertinet ad Jus publicum universale (§. 420. *part. 8. Jur. nat.*); conservatio vero Gentis qua gentis ad Jus Gentium & hic loci demonstranda venit. Atque hinc apparet, officia Gentis erga seipsam dari, quæ a Jure publico universali separanda sunt, & quamvis Jus Gentium necessarium consistat in Jure naturæ ad Gentes applicato (§. 4.); hanc ipsam tamen applicationem non sine cautione fieri debere, ne diversa inter se confundendo demonstrasse videamur, quod erat demonstrandum, id ipsum tamen minime demonstremus. Patebit idem in aliis, quæ deinceps sequentur.

§. 29.

Perfectio Gentis in quo consistat.

Perfectio Gentis consistit in aptitudine finem civitatis consequendi, & status Gentis perfectus est, si in eo nihil desideratur, quo ad eum consequendum ipsa indiget. Quælibet enim Gens est multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter ejus finis causa, ob quam civitas constituta (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum omnis perfectio æstimanda sit ex eorum, quæ enti conveniunt, tendentia ad idem aliquod obtinendum (§. 503. 528. 529. *Ontol.*); perfectio Gentis utique consistit in aptitudine finem civitatis consequendi. *Quod erat unum.*

Enimvero cum status gentis externus constituatur per ea, quæ Genti qua tali adsunt (§. 706. *Ontol.*); perfectio autem accidentalis, qualis est in Gente, quæ a statu externo dependet, (§. 783. *Ontol.*), requirat consensum eorum, quæ

ad eum pertinent, cum iis, quæ perfectionem essentialem Gentis faciunt (§. 528. *Ontol.*), consequenter tendentiam ad finem civitatis *per demonstrationem n. 1.* status perfectio inde æstimanda, si nihil in eo desideratur, quo ad finem civitatis consequendum Gens indiget. *Quod erat alterum.*

Alterum quoque ostenditur hoc modo. Si Gens perfecta esse debet, necesse est, ut sit apta ad finem civitatis consequendum (§. *per demonstrata n. 1.*). Quamobrem porro requiritur, ut in statu ejus nihil desideretur, quo ad eundem consequendum indiget. Status igitur perfectio eandem cum perfectione ipsius Gentis habere debet rationem generalem, per quam intelligitur, cur, quæ ad eum pertinent, talia potius ac tanta sint, quam alia (§. 505. *Ontol.*), consequenter ita comparata, ut eorum ope finem civitatis consequi detur. Status itaque Gentis tum demum perfectus est, si in eo nihil desideratur, quo ad eum consequendum ipsa indiget.

Gentem considerare possumus per modum entis compositi, cujus diversæ veluti partes, seu organa, sunt coetus hominum idem vitæ genus sequentium, quos singulos instar partis, seu organi unius spectamus. Quemadmodum itaque ens compositum perfectum est, si singula organa ad functionem suam obeundam fuerint apta, & per hoc ens ipsum aptum efficitur ad finem suum consequendum; ita similiter Gens intelligitur esse perfecta, si coetus particulares hominum diversa vitæ genera sequentium fuerint apti ad functiones suas rite obeundas, & per hoc Gens apta efficitur ad civitatis finem consequendum. Vix autem Gens apta concipi potest ad finem civitatis consequendum, si careat iis, quibus ad eum consequendum indiget, ubi non solius possibilitatis intrinsecæ, verum etiam extrinsecæ rationem habere velis, ita ut actu finis civitatis obtineri possit. Quamobrem status perfectio cum perfe-

perfectione ipsius Gentis eodem nititur fundamento, ac ideo necesse est, ne in eo quid desit, quo Gens ad finem civitatis consequendum indiget.

§. 30.

Quoniam perfectio Gentis consistit in aptitudine finem civitatis consequendi & status ejus perfectus est, si in eo nihil desideretur, quo ad eum consequendum Gens indiget (§. 29.), constitutio autem Reip. consistit in determinatione modi, quo finis civitatis obtinendus (§. 393. *part. 8. & Jur. nat.*); *ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstrata fuerunt* (§. 394. *& seqq. part. 8. Jur. nat.*), *patet, quænam cum ad perfectionem Gentis, tum ad perfectionem status ipsius requirantur.* *Unde ea pateant, quæ ad perfectionem Gentis & status ejusdem requiruntur.*

Quodsi ea, quæ de Rep. constituenda prolixe demonstravimus, rite expendas, clarissime perspicies, Gentem integram optime considerari posse instar unius hominis, cujus anima est Rector civitatis, corpus vero sunt subditi universi. Patebit etiam, quo intellectu & qua voluntate, quibus facultatibus inferioribus anima instructa esse debeat, & qualia organa habere corpus. Sunt autem organa hujus corporis coetus hominum diversa vitæ genera sequentium, veluti collegia eruditorum, opificuum, artificum, multitudo agricolarum, & operariorum, copiæ militares & ita porro. Quodsi quis singula vitæ genera, quibus indiget Resp. bene constituta, accurate a se invicem distinguere & sufficienter enumerare voluerit; is nobis adæquatam structuræ hujus corporis notionem dabit, observata analogia cum corpore humano. Et ubi præterea expenderit, quænam curæ superior habere debeat, & quænam sint officia ejus; non minus adæquatam quoque notionem animæ is dabit. Patebit etiam, qualis esse debeat unio inter animam & corpus, & quomodo harmonia inter animam & corpus præstabiliatur, formam Reip. determinando, vinculumque unionis esse obedientiam subditorum ac mutuum amorem superioris

perioris & subditorum. Quodsi quis ingenio valet, & sufficientem animæ atque corporis humani, nec non Reip. bene constitutæ cognitionem habet; is non melius concipiet perfectionem Gentis & status ejusdem, quam ope hujus analogiæ. Neque vero existimandum est, quasi hæc analogia saltem lusus quidam ingenii sit. Est enim principium heuristicum, quod in iis, quæ ad Jus publicum universale & Gentium spectant, inveniendis &, ubi jam aliunde patet, firmandis mirifice prodest, ut taceam ejusdem ope hominibus, qui longam demonstrationum seriem non capiunt, persuaderi posse veritatem eorum, cui alias non facile assentitentur. Ast nostrum non est ea jam fusius persequi.

§. 31.

De obligatione Gentis se conservandi.

Quælibet Gens se conservare obligatur. Etenim homines, qui gentem faciunt, cum in civitatem coiverunt (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), singuli obligantur universis ad commune bonum promovendum, & universi singulis ad prospiciendum iisdem de iis, quæ ad sufficientiam vitæ, tranquillitatem atque securitatem requiruntur (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Per se autem patet, huic obligationi neque ex parte singulorum, neque ex parte universorum satisfieri posse, nisi consociatio in civitatem maneat, consequenter cum conservatio gentis in hac consociatione consistat (§. 28.), nisi gens conservetur. Quælibet igitur Gens se conservare obligatur.

Omnis obligatio, qua in civitate singuli universis & universi singulis tenentur, venit ex pacto, quo civitas constituta, quemadmodum ex demonstratione alibi data patet (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Cum vero inde ulterius descendat obligatio se conservandi, vi demonstrationis præsentis; hæc ipsa quoque ex pacto venit, prouti supra jam monuimus (*not.* §. 3.). Obligatio vero ex pacto Juri naturæ approbato (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*) ab eodem vim suam accipit (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*

nat.). Quamobrem Gens quælibet ipsa lege naturæ se conservare obligatur. Non obstat, quod pacta mutuo dissensu dissolvi possint (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter naturaliter quoque liceat consociationem dissensu unanimi dissolvere, quo facto Gens non manet (§. 28.). Obligatio enim Gentis sese conservandi ex eorum numero est, quæ hypotheticæ dicuntur, & facto quodam humano tanquam basi nituntur (§. 19. *part. 1. Jur. nat.*). Hæc vero per se immutabilis non est, quemadmodum absoluta, quæ ex essentia & natura hominis descendit, sed in præsenti casu tamdiu subsistit, quamdiu manet voluntas in civitate manendi. Sed vix ac ne vix quidem concipi potest, ut incolis alicujus regionis unanimis ista voluntas cesset. Immo nisi adsit sufficiens ratio, qualis vix unquam dabitur, ut cesset, cum civitates legi naturæ convenienter sint constitutæ (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*), peccant utique, qui dissensu mutuo consociationem in civitatem tollere volunt, consequenter obligationem se Gentem conservandi insuper habent. Singuli obligantur seipsos conservare & sibi invicem adjutorium mutuum debent in se & statu suo perficiendo (§. 349. *part. 1. &* §. 144. *part. 7. Jur. nat.*). Huic vero adversatur tollere consociationem in civitatem, medium satisfaciendi obligationi isti naturali. Immo nisi singulos, qui gentem faciunt, insanire supponas, vel tam stupidos, ut non animadvertant, interesse maxime, ne vinculum societatis civilis tollatur; spontanea civitatis dissolutio recte pro absurda, seu moraliter impossibili habetur.

§. 32.

De jure Gentium ad ea, quæ ad ipsarum conservationem necessaria.

Quoniam quælibet Gens se conservare obligatur (§. 31.), lex vero naturæ dat hominibus jus ad ea, sine quibus obligationi suæ satisfacere non possunt (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Genti unicuique competit jus ad ea, sine quibus se conservare nequit.*

Probe notandum eſt, nos hic loqui de conſervatione Gentis qua gentis, quæ in duratione conſociationis in civitate (§. 28.), conſequenter in conſervatione civitatis conſiſtit, quatenus in genere, non ſub certa forma ſpectatur. Quamobrem nec hic loquimur niſi de jure ad ea, quæ neceſſaria ſunt, ut civitas maneat, nec gens intereat. Quæ enim ad conſervationem ſingulorum, qui gentem faciunt, neceſſaria ſunt, ea pertinent ad Jus publicum univerſale & ex illis patent, quæ de Rep. conſtituenda prolixe demonſtravimus in parte ultima Juris naturæ.

§. 33.

De periculo interitus avertendo. Similiter quia quælibet Gens ſe conſervare obligatur (§. 31.); *omne* quoque *periculum interitus a ſe avertere*, conſequenter *ea vitare debet*, *quæ interitum afferre poſſunt*, *quantum* ſcilicet *in poteſtate eſt*, cum ad impoſſibile nemo obligetur (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

Conſervatio Gentis & interitus ſibi mutuo opponuntur. Quamobrem cum ſe conſervare debeat, ſibi quoque cavere debet, ne culpa ſua intereat. Quæ enim fortunæ adverſæ tribuenda, quæ poteſtati noſtræ ſubjecta non eſt §. 540. *part. 1. Theol. nat.*), patienter ferenda (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*), & providentiæ divinæ committenda (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*). Conſociatio in civitatem vita veluti Gentis eſt. Quemadmodum itaque homo omne periculum vitæ vitare debet, quantum in poteſtate eſt (§. 371. *part. 7. Jur. nat.*); ita quoque Gens periculum interitus vitare tenetur. Sicuti vero impoſſibile eſt, ut vi majori, qua in periculum vitæ adducitur homo, vel invitus vita privatur, reſiſtat; ita etiam fieri nequit, ut Gens ſibi caveat ab interitu a vi majore imminente, veluti ne terræ motu, aut inundatione majore intereat, aut ne injuria Gentis fortioris diſſipetur, vel vi bellorum inteſtinorum, famis aut peſtis conſociatio diſſolvatur, qualia exempla proſtant

ſtant in Annalibus veterum, quæ hic loci congerere noſtri non eſt inſtituti. Sufficit ea monuiſſe, quæ ad propoſitionem præſentem rectius intelligendam faciunt.

§. 34.

De jure ad ea, quæ ad periculum interitus præcavendum neceſſaria.

Quoniam Gens omne periculum interitus a ſe avertere eaque vitare debet, quæ interitum afferre poſſunt, quantum in poteſtate eſt (§. 33.), lex vero naturæ dat jus ad ea, ſine quibus obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Genti unicuique competit jus ad ea quibus periculum interitus avertere & ea, quæ interitum afferre poſſunt, vitare poteſt, quantum datur.*

Jura Gentium cognoſcantur opus eſt, ut conſtet, quot modis injuria in Gentem committi poſſit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*): unde multa alia deducenda, quæ ad jus Gentium ſpectant. Ex principiis autem generalibus, quæ jam demonſtramus, deducentur deinceps ſpecialia, quorum gratia ea hic præmittuntur. Generalia principia admodum fœcunda ſunt (§. 348. *Log.*) & in ſcientiis ſunt veluti ſemina veritatum.

§. 35.

De obligatione Gentis ſe & ſtatum ſuum perficiendi.

Gens quælibet ſe atque ſtatum ſuum perficere debet. Etenim cum gens ſit multitudo hominum in civitatem conſociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), in civitatem vero coitur certi finis conjunctis viribus obtinendi cauſa (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*); ut finem hunc conſequatur, neceſſe omnino eſt, eam eſſe aptam ad finem iſtum conſequendum, nec deeſſe ea, quibus ad eum conſequendum indiget. Quamobrem cum in aptitudine finem civitatis conſequendi conſiſtat perfectio Gentis, & ſtatus ejuſdem perfectus ſit, ſi nihil in eo deſideratur, quo ad eum conſequendum indiget (§. 29.); Gens quælibet ſe atque ſtatum ſuum perficere debet.

Quomodo officio huic ſatisfiat, ex iis patet, quæ de Rep. conſtituenda prolixe demonſtravimus integro capite tertio partis octavæ Juris naturæ. Atque hinc patet peccare Gentem, ſi in iis, quæ ibidem demonſtrata ſunt, deſiderari patiatur diligentiam ſuam (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 36.

De obligatione cavendi & vitandi perfectioni adverſa.

Quoniam Gens quælibet ſe ſtatumque ſuum perficere debet (§. 35.), qui vero ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum ſimul obligatur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); *Gens quælibet cavere & vitare debet ea, quæ perfectionem ipſius atque ſtatus ejusdem quomodocunque impediunt, aut ipſam vel ſtatum ejusdem imperfectiorem reddunt.*

Recte *Lucilius* inter cavere & vitare diſtantiam eſſe voluit, eſſe plus vitare, quam cavere. Cavet nimirum, qui ſibi providet, ne quid contingat, quod fieri poſſe prævidet, etſi incertus, utrum futurum ſit, nec ne: vitat vero, qui id declinat, cui producendo cauſa aliqua jam actu ſuppetit. Ita incendium cavet, qui non tolerat, ut famuli candelis accenſis ingrediantur in ſtabulum, vel horreum ſtramine refertum: vitat incendium, qui ædibus conflagrantibus tempeſtive ſe ſurripit. Quamobrem in propoſitione præſente inculcatur, ut non modo proſpiciamus ea, quæ contingere poſſunt, & ne forte contingant provideamus; verum etiam ut in caſu emergente nobis conſulamus & malum a nobis avertamus. Facile autem patet, vitandi cauſa cavendum eſſe, cum nemo hominum futura infallibiliter præſcire poſſit. Cavemus incerta; vitamus certa. Quoniam vero, ut dixi, futura infallibiliter præſcire non poſſumus; quod eventu non impoſſibile agnoſcitur recte metuimus pro gradu probabilitatis eventus. Ipſa natura nos huc ducit, quæ metum indidit appetitui ſenſitivo, & ratio jubet, quatenus intellectus ideas confuſas, quæ appetitum ſenſitivum movent, reducit ad notiones diſtinctas, per quas voluntas

luntas & noluntas determinantur. Sed hæc manifestiora evadent, siquidem Philosophiam moralem methodo, qua in philosophando utimur, tradere datum fuerit.

§. 37.

Similiter quia Gens quælibet ad se & statum suum perficiendum (§. 35.) & ad ea, quæ perfectionem ipsius atque status ejusdem quomodocunque impediunt, aut ipsam vel statum ejusdem imperfectiorem reddunt, cavendum & vitandum obligatur (§. 36.), lex vero naturæ jus dat ad ea, sine quibus obligationi nostræ satisfacere non possumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Genti unicuique jus competit ad ea, sine quibus se statumque suum perficere nequit, nec cavere ac vitare ea, quæ perfectionem ipsius atque status ejusdem impediunt, aut ipsam statumque ejusdem imperfectiorem reddunt.* *De jure Genti competente quoad perfectionem sui & status sui.*

Quoniam ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstravimus, patet, quomodo Gens se ipsam atque statum suum perficere possit (*not.* §. 35.), ac per consequens etiam quænam eo fine cavenda & vitanda sint; ex iis quoque intelligitur, ad quænam eidem jus quoddam competat, ut se & statum suum perficere, ea vero, quæ perfectionem impediunt, aut imperfectionem inducunt, cavere ac vitare váleat.

§. 38.

Rectori civitatis competit cura Gentem suam, seu populum suum & statum etiam perficiendi ac conservandi, imperfectionem vero omnem ac interitum, quantum datur, cavendi & vitandi. Etenim Rectoris civitatis est imperium civile exercere (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter ea determinare, quæ ad bonum publicum promovendum, adeoque finem civitatis consequendum (§. 4. 9. *part. 8. Jur. nat.*), requiruntur (§. 60. *part.* *De officio Rectoris civitatis quoad conservationem & perfectionem [Ge]ntis &*

 8. Jur.

status ejusdem. 8. *Jur. nat.*). Quamobrem necesse est, ut curet, Gentem esse aptam ad finem civitatis consequendum & nihil desiderari, quo ad eum consequendum indiget. Quoniam itaque in hoc perfectio Gentis & status ipsius consistit (§. 29.), perfectio autem nulla est, nisi Gens conservetur, quod per se patet; Rectori civitatis competit cura Gentem & statum ejus perficiendi & conservandi, imperfectionem vero ac interitum, quantum datur, cavendi & vitandi.

Cura nimirum conservationis & perfectionis Gentis statusque ejusdem originarie pertinet ad Gentem universam, cujus originarie est imperium civile (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*), seu jus universorum in singulos (§. 31. *part. 8. Jur. nat.*), ex fine civitatis metiendum (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*). Quando igitur hoc in alium, vel alios transfertur, eidem quoque vel iisdem cura conservationis & perfectionis Gentis atque status ipsius demandatur. Idem abunde jam elucet ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstravimus in parte octava Juris naturæ (§. 30.).

§. 39.

De charactere repræsentativo Gentis Rectori civitatis competente. Quoniam cura Gentem conservandi & ipsam statumque ejus perficiendi ad Rectorem civitatis pertinet (§. 38.); *quicquid juris Genti competit sui conservandi suique ac status sui perficiendi causa* (§. 32. 37.), *id penes Rectorem civitatis est*, consequenter *Rector civitatis jus habet*, *quod unicuique Genti competit*, ac ideo *Gentem suam*, *quando cum aliis negotium ipsi est*, *repræsentat* (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*).

Character repræsentativus Gentis Rectori civitatis competens nihil difficultatis habet, modo perpendas quid sit persona moralis. Gens quatenus eidem competunt certa jura sui conservandi suique ac status sui perficiendi causa, persona quædam moralis est (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), & quatenus Gens regit seipsam, id quod obtinet in statu populari (§. 131.

part. 8.

part. 8. Jur. nat.), ipsamet quoque civitatis, in quam coivit, Rector est. Quodsi ergo curam sui conservandi suique ac status sui perficiendi alii, vel aliis damandavit, & per consequens jura quoque eo fine sibi competentia in eum, vel eos transtulit, ut jam Rector civitatis fit subjectum a Gente diversum; persona ista moralis, quæ antea in Gente universa subsistebat, nunc in alio individuo physico subsistit. Atque ita Rector civitatis integram Gentem repræsentat, quatenus ut Rector civitatis spectatur. Absit autem, ut tibi persuadeas, characterem Gentis repræsentativum derogare quiddam de dignitate Rectoris civitatis, veluti monarchæ majestati in statu monarchico! Etenim is potius eandem magis conspicuam facit, quatenus jam unus eam dignitatem habet, quæ ingenti hominum multitudini nonnisi universim competit: unde etiam est, ut eadem major sit in regno, in quo unus eandem habet, quam in Aristocratia, in qua pluribus universim ea competit. Cumque nihil istius dignitatis remanserit in populo, singulis autem nil quicquam ejus competere possit, quoniam quod universis convenit singulis commune non est; ideo Rector civitatis supra gentem eminet, nec dignitas alicujus de gente cum ipsius dignitate comparari potest. Vide, quæ ea de re jam alibi demonstravimus atque annotavimus (§. 160. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 40.

De cognitione sui.

Quælibet Gens seipsam statumque suum cognoscere debet. Seipsam enim statumque suum perficere debet (§. 35.), eaque cavere & vitare, quæ perfectionem ejus atque statum ipsius impedire, aut ipsam vel statum ejus imperfectiorem reddere possunt (§. 36.). Necesse igitur est, ut norit, quales facultates animæ ac corporis vires, & quænam res requirantur ad se statumque suum perficiendum, quidnam perfectionis jam sit consecuta & quanam adhuc imperfectione laboret cum quoad seipsam, tum quoad statum suum. Quamobrem

obrem Gens quælibet seipsam atque statum suum cognoscere debet.

Cognitio hæc Genti maxime necessaria est, nisi omnia fortunæ committere ac nonnisi damno suo sapere, aut cœca imitatione Gentium aliarum unice confidere velit. Non alio fine præcipitur cognitio suipsius, quam ut officiis erga seipsam, quantum in potestate est, gens satisfaciat & ex asse satisfacere studeat. Quodsi cura se statumque suum perficiendi fortunæ potestati unice subjecta est; Gens se statumque suum miminime perficit, quantum poterat. Hinc videmus Gentes plurimas, quæ ad altum perfections gradum ascendere poterant, in humili semper subsistere.

§. 41.

Cognitio Gentis a Rectore civitatis requisita.

Rector civitatis Gentem suam statumque ejusdem cognoscere debet. Patet ex demonstratione propositionis præcedentis, curam se statumque suum perficiendi exigere cognitionem sui statusque sui in Gente (§. 40.). Quamobrem cum cura Gentem atque statum ipsius perficiendi pertineat ad Rectorem civitatis (§. 38.); Rector civitatis Gentem suam statumque ejusdem cognoscere debet.

Quando imperium in alium transfertur, Rector civitatis induit personam Gentis universæ, & ita in eum transit omnis obligatio Gentem statumque ejus perficiendi, consequenter etiam obligatio Gentem, quam repræsentat & cujus personam sustinet (*not.* §. 39.), ejusque statum exacte cognoscendi. Cura huic cognitioni impendenda perpetua est, etsi vulgo apud plerasque gentes negligatur. Sine ea enim impossibile est, ut bene Remp. administret.

§. 42.

De conditione regionis

Quoniam Rector civitatis statum Gentis suæ cognoscere debet (§. 41.), is autem magna ex parte a conditione regio-

regionis dependet, quod facile patet; *Rector* quoque *civitatis conditionem regionis, quam Gens inhabitat*, cumque ubivis locorum non eadem sit, *omnium in illa locorum cognoscere debet.* *& omnium in ea locorum cognoscenda.*

Impossibile est, ut Gentis alicujus status ad eum perfectionis gradum perducatur, ad quem perduci poterat, nisi omnis regionis, quam ea incolit, conditio exacte cognita & perspecta fuerit; quemadmodum fieri nequit, ut Gens ipsa perficiatur, quantum datur, nisi omnium incolarum ubivis locorum dotes naturales, mores ac vitæ genus intime perspexeris. Utraque autem cognitio ita cohæret, ut una ab altera separari nequeat, sive statum Gentis, sive Gentem ipsam perficere, aut imperfectionem cavere, aut mendas de ea eximere volueris. Unde facile patet, ad hanç cognitionem requiri accuratam mappam geographicam totius regionis & singularum partium, quocunque tantem nomine veniant, integram historiam naturalem totius regionis, exactissimam dimensionem omnium agrorum, pratorum, sylvarum, urbium, oppidorum, pagorum & ita porro, descriptionem denique fide dignam incolarum ubivis locorum & eorum, quæ quomodocunque eos respiciunt. Ceterum hæc regionis & incolarum notitia cum in usum Rectoris civitatis & per consequens eorum, quorum in administranda Rep. consilio & ministerio utitur, comparetur; prudentia civilis haud difficulter docebit, quænam tuto in publicum proferri possint, quænam vero celari debeant, ne aliis patria prodatur.

§. 43.

Quæ de majore parte Gentis, vel pluribus in certo quodam vitæ genere prædicanda sunt, ea a singulis in universam Gentem derivantur & per consequens de ea prædicanda sunt. Etenim cum Gens quælibet sit hominum multitudo (§. 5. *part. 8. Jur.nat.*), singulos autem nec natura & fortuna, nec educatio, insti- *De iis, quæ ex derivatione a singulis de gente dicenda.*

tutio & converſatio, ſi vel maxime eadem, eosdem faciat; fieri omnino nequit, ut, quæ ſingulis quaſi propria ſunt, prædicentur de univerſis. Quoniam tamen Gens quælibet ſpectanda eſt inſtar perſonæ unius (§. 2.); quæ ſingulis conveniunt, ea in Gentem ab iis derivantur: ſed cum enti uni contradictoria ineſſe nequeant (§. 28. 30. *Ontol.*), abſonum vero foret, denominationem potius fieri a parte minore, quam majore; quæ de majore parte Gentis prædicanda ſunt, ea a ſingulis in univerſam Gentem derivanda & per conſequens de ea prædicanda ſunt. *Quod erat unum.*

Jam porro a poſteriori ſatis patet, ſi homines vitam commode ac jucunde transigere atque felices eſſe debeant, non omnes idem vitæ genus ſequi poſſe, ſed, ut omnia fiant, quæ in Rep. bene conſtituta fieri debent, prouti abunde demonſtravimus integro capite tertio partis octavæ Juris naturæ, alios hoc, alios aliud agere debere, ſicuti in corpore humano diverſæ ſunt diverſorum organorum functiones ad unum quendam finem univerſalem obtinendum requiſitæ; quæ ſingulis cœtibus hominum idem vitæ genus ſequentium conveniunt, ea in gentem univerſam derivantur. Quoniam vero ut ante patet, fieri non poſſe, ut ſinguli, qui idem vitæ genus ſequuntur, ſint iidem; ut ante etiam patet, quæ de pluribus in certo quodam vitæ genere prædicanda ſunt, ea in Gentem ab iis derivari, & per conſequens de ea prædicanda eſſe. *Quod erat alterum.*

Ut vis & poteſtas propoſitionis præſentis percipiatur, exemplis utique illuſtranda. Dicimus e. gr. Gentem robuſtam & laborioſam, ſi plures in ea dentur viri robuſti & homines plerique ſint laborioſi. Gens dicitur ſcelerata, ſi plurimi omni ſcelerum genere ſeſe polleant: dicitur ebrioſa, ſi communis quidam mos eſt nimio potu delectari: libidinoſa dicitur, ſi com-

commune vitium fuerit libido. Qui de Gentium moribus ſcribunt, alio principio eos dijudicandi uti non poſſunt, quam ut a ſingulis in Gentem ea derivent, quæ ſunt plurimorum. Similiter Gens dicitur opulenta, in qua dantur multi, qui opibus abundant; dicitur docta & erudita, quæ multos habet viros doctos atque eruditos; dicuntur Angli artifices excellentes, quia res artificiales exacte in Anglia conficiuntur; Itali Architecti inſignes, quia apud eos architectura exculta & hodienum excolitur; Batavi mercatores præſtantes, quia mercatura apud eosdem egregie floret. Notandum vero eſt, quando pluralitas eorum, qui in aliquo vitæ genere excellunt, æſtimanda, numerum eorum, qui ſunt in gente una, conferri ſolere cum numero illorum, qui idem vitæ genus ſequuntur apud Gentes alias. Quamvis vero vulgo præjudiciis plurimum tribuatur, id tamen non obſtat, quo minus ipſa principia generalia locum quoque habeant in veritate. Præjudicia enim non aliud operantur, quam ut principia in ſe vera male applicentur, quemadmodum quoque fieri ſolet ab iis, qui ab uno, vel altero, argumentum ducunt ad plures, quia perperam ſumunt, tales ſi non omnes, ſaltem plurimos eſſe debere, qualem unum vel alterum agnoſcunt. Qui vero præjudicio cavet, is novit, non ſumendam, ſed probandam eſſe pluralitatem eorum, a quibus prædicatum aliquod in Gentem derivandum, antequam id eidem tribuatur, nec in probando ſumit, quæ olim fuerunt, ſed quæ nunc ſunt, ubi in præſens ferendum judicium, de eo autem, quod pluribus, aut plurimis tribuit, ex diſtinctis notionibus judicat. Niſi enim ea obſerventur, judicium de Gente falſum erit perinde, ac ſi iis neglectis de rebus aliis judicetur.

§. 44.

De officio ſingulorum inde manante.

Quoniam quæ de majore parte Gentis, vel pluribus in certo vitæ genere prædicanda ſunt, ea a ſingulis in univerſam Gentem derivantur, & per conſequens de ea præ-

prædicanda (§. 43.); *Quilibet, qui est de Gente, non modo sibi* **§. 152.** *part. 1. Phil. pract. univ.* & **§. 522. 523.** *part. 1. Jur. nat.), verum etiam Genti suæ hoc debet, ut se statumque suum pro virili perficiat & labore suo ita defungatur, ut finem per eum intentum ex asse consequatur,* consequenter *in eo, quod sequitur, vitæ genere, quantum fieri potest, excellat.*

Ita non modo nobis obligamur ad virtutes intellectuales & morales acquirendas, verum etiam Genti, de qua sumus, ne nos in culpa simus, quo minus virtuosa audiat, vel hæc aut ista virtus intellectualis sive moralis de ea neganda veniat. Similiter eruditus obligatur Genti suæ, ut doctrina plurimum præstet, ne eidem detrahat laudem Gentis doctæ, & artifex ei obligatur, ut arte, quam exercet, ornetur, ne culpa sua laudem illius deterat. Ipsis communibus notionibus consentaneum est, ea, quæ sunt singulorum, ab ipsis in gentem derivari, ut singuli etiam, qui sunt de Gente, laudes cum aliis, qui de eadem Gente sunt, participare sibi videantur. Contra sensum itaque communem sunt mores turbæ eruditorum in Germania, viros præclare de Rep. literaria meritos diffamantium & quæ in iis contempserant mox in exteris admirantium & cum summa laude ad cœlum extollentium, quasi adulatione laudes cum extera Gente participarent. Novum autem hinc nascitur motivum omnibus officiis lege naturali præscriptis omni animi contentione satisfaciendi (§. 887. *Psych. empir.*), in qua nova fundatur obligatio naturalis, ne in nobis perficiendis quicquam industriæ ac diligentiæ desiderari patiamur (§. 118. ***part. 1. Phil. pract. univ.***)

§. 45.

De dedecore Gentis suæ non inferendo.

Quoniam unusquisque hoc debet Genti suæ, ut se statumque suum pro virili perficiat, & in eo, quod sequitur, vitæ genere, quantum fieri potest, excellat (§. 44.), qui vero ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum

endum simul obligatur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); *Quilibet cavere debet, ne ea faciendo, quæ mala aut minus recta sunt, dedecus inferat Genti suæ*, consequenter cum *Rector civitatis* curæ habere debeat, ne cives faciant quæ officiis lege naturali præscriptis adversantur (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*); idem quoque *tolerare non debet, ut cives dedecus inferant Genti suæ.*

Multa hinc consequuntur particularia, quoniam tam late patet hæc obligatio, quam officia hominis ac civis. Et hinc quoque descendit jus puniendi actus subditorum, quibus dedecus Genti infertur, de quo diximus alias (§. 653. 654. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 46.

Quia in gentem universam derivantur a singulis & de ea prædicantur, quæ de majore parte Gentis, vel pluribus in certo quodam vitæ genere prædicanda veniunt (§. 43.), & per consequens bona quoque fama majoris partis, vel plurium in certo quodam vitæ genere in universam Gentem derivatur; *qui sunt de Gente non modo sibi* (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*), *verum etiam Genti suæ hoc debent, ut fama sua sit bona*, consequenter *pro virili famæ Gentis suæ ac patriæ studere debent.* *De studio famæ Gentis suæ.*

Peccant omnino in Gentem suam eruditi, qui viros de Rep. literaria præclare meritos, famæ Gentis suæ conservatores, conviitiis proscindunt & eorum famæ detrahunt, vel etiam ea propalare omni animi contentione nituntur, quæ, ne labes adspergatur Genti suæ, dissimulanda potius fuerant. Quæ vero dicuntur de Gente universa, ea etiam intelligenda sunt de certis hominum ordinibus, vel coetibus. Ceterum officium, de quo nobis jam sermo est, tanto strictius observandum, quando utilitas Gentis, vel ordinis certi, aut cœtus a fama pendet. Turpius autem peccant, qui contra hoc officium quicquam committunt, si ipsis demandatum fuerit, ut famam

mam ordinis, vel cœtus tueantur. Exempla non addo, ne ſint invidioſa.

§. 47.

Gloria quid ſit.

Gloria eſt conſentiens laus bonorum & peritorum, ſeu bene judicantium. Idiomate patrio dicimus einen groſſen Nahmen. Quamobrem cum facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta laudem pariant (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), eaque laude dignum eſſe hominem probent (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); *ſine virtutibus intellectualibus & moralibus ſolidam gloriam nemo conſequi poteſt, & gloria maxime excellit, qui virtute plurimum præſtat.*

Gloria non differt a laude, niſi quod hæc tribuatur ab uno, in illam autem coſentiant multi. Conſenſus autem multorum ſecundum leges probabilitatis laudem probat meritam. Neceſſe tamen eſt, ut qui judicant bene judicent, conſequenter ut ſint periti, ne fallantur in judicando, utque ſint boni, ne contra conſcientiam immeritis laudibus aliquem ornent. Laudant enim multi, haud raro quoque periti, ut laudentur, & vel ſpe commodi cujusdam proprii, vel ſtudio commoda ejus, quem laudant, promovendi. Hinc haud raro accidit, ut gloriam alii mereantur, alii habeant. Præſtat autem mereri, quam habere & non mereri. Quoniam vero fama hominis eſt communis hominum aliorum ſermo de habitibus intellectualibus & moralibus ejusdem (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); gloria vi definitionis ſine fama non concipitur. Qui enim per ſe judicare nequeunt, ſequuntur judicium peritorum, quod tandem ſit commune. Sed quia contingit pro peritis haberi, qui non ſunt; gloria vera & ſolida a falſa & ventoſa differt.

§. 48.

De Gloria Gentis.

Quoniam gloria eſt conſentiens laus bonorum & peritorum (§. 47.), conſequenter in ſignificatione judicii de per-

perfectione cujusdam, seu commemoratione virtutum intellectualium & moralium atque inde profectorum factorum consistit (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), laus vero ab iis, qui sunt de Gente, in ipsam Gentem derivatur (§. 43.); *Gloria Gentis consistit in laude, quæ consensu bonorum & peritorum eidem tribuitur cum ob perfectionem & facta ipsius, cum ob facta eorum, qui sunt de Gente, ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta.*

Nimirum gloria genti primario ac per se tribuitur, quatenus spectatur tanquam persona una, cui propriæ competunt actiones a virtutibus intellectuabilibus & moralibus dependentes; tribuitur vero etiam, quatenus in eam derivatur laus singulis propria ob actiones seu facta, quæ spectantur ut singulorum. Ita e. gr. bona regiminis fama gloriæ est, itidemque fides in pactionibus cum gentibus aliis servari solita; sed non minus gloriæ est, si habeat viros eruditos in Rep. literaria eminentes, artifices excellentes, mercatores industrios, & quæ alia sunt hujus generis. Illa per se ad Gentem spectant, nec sine ea concipiuntur; hæc vero nonnisi a singulis in Gentem derivantur, per se autem singulorum sunt & de iis concipiuntur, sine ullo respectu ad gentem. Perinde sese res habet ac in homine, vel etiam corpore humano, in quo quædam sunt, quæ ad integrum hominem per se referuntur, seu de eodem per se prædicantur; quædam vero quæ a certis organis, vel facultatibus animæ in eum derivantur, per se autem de hisce prædicantur. Ita sanitas prædicatur per se de toto corpore; ast visu pollere dicitur homo ob oculi constitutionem, a quo visus acies in ipsum derivatur. Quando de Gente quædam prædicanda sunt, acumine opus est, ne ea, quæ sunt & manent singulorum, confundantur cum iis, quæ proprie & per se Gentis sunt, aut a singulis recte in eam derivantur. Et quamvis acumen juvetur, si Gentem cum corpore humano, vel integro homine compares; cautione tamen hic quoque opus est, quatenus cum uno organo corporis confertur integer quidam ordo hominum, seu cœtus idem vitæ genus sequentium, quatenus

tenus nempe pars major repræsentat integrum, quia cœtui tribuenda dijudicari ob conditionem humanam aliter non possunt nisi ex iis, quæ conveniunt plurimis.

§. 49.

De studio gloriæ.

Cum gloria Gentis vera & solida pendeat a perfectione ipsius (§. 48.), *Gens* autem se perficere debeat (§. 35.); eadem *studere debet, ut gloriam mereatur.*

Gloria in laude consistit (§. 47.). Cum vero nemo efficere possit, ut laudetur ab aliis (§. 543. *part. 1. Jur. nat.*); in nostra quoque saltem potestate est gloriam mereri. Loquimur autem de gloria vera & solida, quam consequi non licet nisi ab intelligentibus (§. 542. *part. 1. Jur. nat.*). Sunt equidem qui tecto nomine seipsos laudant, vel etiam in mutuas laudes conspirant, ut fucum facientes aliis per se non judicantibus gloriam consequantur; vera tamen ac solida hæc non est, sed falsa & ventosa, nec in Gente eadem facilitate hoc contingit. Et, si vel maxime istiusmodi gloriæ ventosæ studium nullam aleret difficultatem; nobis tamen minime attendenda foret, qui veritati litamus, non vanitati, nec mala arte decipere alios docemus.

§. 50.

Quatenus id ad singulos pertineat.

Similiter quoniam Gentis gloria etiam supponit facta singulorum ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta (§. 48.), singuli autem hoc Genti suæ debent, ut pro virili se perficiant, & in eo, quod sequuntur, vitæ genere excellant (§. 44.); *singuli*, quoque, *qui sunt de Gente, studere debent, ut gloriam mereantur, & actiones suas ad gloriam Gentis referre.*

Nimirum singuli se perficere & præclara facere debent eo fine, ut per ea, quæ ab ipsis in Gentem derivantur, ea gloriam

am consequatur. Si ea intentione id fiat, non quod suum est quærit, sed quod Gentis suæ, de qua bene mereri studet, consequenter nil committit, quod ad vitium referri possit, cum gloriam propriam non intendat tanquam ultimum actionum suarum finem, id quod hominis ambitiosi est (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*), multo minus affectat honores, quibus dignus non est, id quod arrogantis est (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*), nec plus sibi tribui vult perfectionis, quam revera habet, id quod fastosi est §. 583. *part. 1. Jur. nat.*), immo nec nimium indulget appetitui honoris, id quod modestiæ repugnat (§. 563. *part. 1. Jur. nat.*)

§. 51.

Quia gloria Gentis dependet a perfectione ipsius (§. 48.), cura autem Gentem suam & statum ejus perficiendi ad Rectorem civitatis pertinet (§. 38.); *Rector inprimis civitatis studere debet, ut Gens, cui præest, gloriam mereatur, & actus regios ad gloriam gentis suæ referre*, consequenter *nibil committere, quod eandem imminuere, aut labefactare possit* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). *Quatenus ad Rectorem civitatis.*

Studium gloriæ gentis suæ ad officia Rectoris civitatis pertinet, qui bene de eadem meretur, si in eo nulla ex parte desiderari patiatur diligentiam suam; ast male, si in eodem se præbuerit negligentem. Quando vero is gloriam Gentis suæ intendit, nihil committit, quod redargui possit, sed ab omni vitii labe intacti manent actus ipsius. Quæ modo ad propositionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 50.); ea etiam ad Rectorem civitatis applicanda sunt. Facile autem patet, Rectorem civitatis ad gloriam Gentis plus conferre posse, quam hominem privatum.

§. 52.

Gentem barbaram dicimus, idiomate patrio ein barbarisches Volck, quæ virtutes intellectuales parum colit, consequen- *De Gentibus barbaris.*

sequenter intellectum perficere negligit (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque *Gentes barbaræ* animum doctrina non excolunt, *in determinandis actionibus sequuntur ductum inclinationum & reclinationum naturalium* (§. 895. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *& ab his potissimum pendent ipsorum mores inculti* (§. 687. *part. 2. Phil. pract. univ.*)

Equidem ab initio barbari a Græcis appellabantur, qui lingua minus culta utebantur, consequenter alia, quam Græca, & deinde a Romanis, qui non loquebantur Græce ac Latine; postea tamen a sermone & lingua ad vivendi quoque rationem & morum compositionem vocabulum relatum. Sermonis & linguæ perfectio a perfectione intellectus, consquenter a virtutibus intellectualibus potissimum dependet, etsi contingat, ut asperam & duram pronunciationem vocabulorum & sermonem incultum retineant, qui virtutes intellectuales colunt & cultis utuntur moribus. Quamobrem in definitione nostra non recedimus a recepto vocabuli significatu, quamvis in ea retinuerimus terminos in philosophia usitatos, ut notio Gentis barbaræ in alias anteriores resolvatur, quemadmodum in systemate fieri debet, ne plena luce, quam habere potest ac debet, destituatur: in definiendo enim utendum est terminis antea explicatis, aut ex communi loquendi usu perspicuis (§. 162. *Log.*). Qui vero putant, barbariem introduci, si qui alio, quam Latino sermone studia colant & tradant, propterea quod Romani Græce ac Latine non loquentes barbaros vocarunt, oppido falluntur: nonne tam Græci, quam Latini studia & artes tradiderunt sermone vernaculo? Alia vero quæstio est, an linguæ Græce atque Latinæ notitia erudito utilis sit: alia etiam, an non consultum sit, ut eruditi communi quadam lingua utantur, & num ea esse debeat Latina. De utroque quid nobis videatur ut dicamus, non est hujus loci. Ceterum notio Gentis barbaræ, quam dedimus, admodum fœcunda est, modo quis animo ea complexus fuerit ex anterioribus, quæ eandem ingrediuntur, & arte demonstrandi polleat:

ex

ex ea enim deducuntur, quæ de Gentibus barbaris prædicanda sunt, ne de iis, quæ ipsarum sunt, per errorem judicemus, veluti mores naturales cum virtutibus confundendo, aut absentiam vitiorum, quæ ignorantiæ debetur, virtuti accensendo, aut mores cultos ad incultos referendo, propterea quod abeant a moribus apud Gentes alias minime barbaras communiter receptis. Ea tamen hic persequi instituti nostri non est: sufficit aliorum excitasse attentionem.

§. 53.

De Gente docta & culta.

Gens docta dicitur, quæ virtutes intellectuales colit, consequenter intellectum perficere studet (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque doctrina excolit animum. Et *Gens culta* vocatur, quæ cultis utitur moribus, seu ad normam rationis & suavitatem compositis. Idiomate patrio dicimus ein gesittetes Volck, sicuti respectu morum Gentes barbaræ quoque appellantur, ungesittete Völcker. Quoniam vero Gentes barbaræ moribus incultis utuntur (§. 52.); ideo Genti barbaræ opponitur Gens docta & culta.

Si Gens docta virtutes intellectuales colere absque restrictione sumitur, vix continget, ut eadem non simul sit culta, cum mores culti a virtutibus intellectualibus proficiscantur, quemadmodum inculti ab inclinationibus naturalibus, rationi non subjectis. Enimvero dantur quoque virtutes intellectuales, quæ per se mores minime emendant & barbariem non delent. Hinc non infrequens est, dari eruditos non sine merito celebritatem nominis consecutos, quos mali & agrestes mores deformant. Sublime ingenium requiritur & acumen minime vulgare, si quis in calculo integrali & Geometria sublimiori excellere debet. Quamobrem qui excellit, ejus nomen merito celebratur. Enimvero ad quemcunque tandem gradum calculis integralis evehatur, & ad quodcunque fastigium Geometria sublimior, seu curvarum fuerit evecta, ne minimum ta-

men calculus integralis & Geometria sublimior appetitum perficiunt, consequenter nihil ad morum emendationem conferunt. Quin potius si quis omne tempus in solo calculo & ejus ad Geometriam applicatione consumit, cum se in hoc studio excellere & supra alios eminere animadvertit, gloria, qui affectus dominans est, superbiam gignit (§.888. *part.1. Jur. nat.* & §. 769. *Psych. empir.*) & ignorantia obstetrice fastum (§. 583. *part.1. Jur. nat.*), tandemque arrogantiam (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*), & ambitionem (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*), quibus vitiis seducitur ad ea agenda, quæ cum sibi, tum ordini suo ignominiæ sunt, &, ubi se alienis immiscet, scientiarum incrementis plurimum nocet. Quodsi præterea sibi solus vivit, & consortium hominum, quos morum dulcedo & suavitas commendat, fugit; mores vel nullos habet, vel agrestes, quibus scientiam, quam colit, in contemtum adducit penes eos, qui de ea per se judicare non possunt. Istiusmodi eruditi, qui studia negligunt appetitum perficere apta, & in iis unice acquiescunt, quæ barbariem minime delent, recte pro semibarbaris habentur &, ubi numero ceteros vincunt, Gentem semibarbaram faciunt (§. 43.).

§. 54.

Quod Gentes doctæ & cultæ, non barbaræ esse debeant.

Gentes doctæ & cultæ, non barbaræ esse debent. Etenim Gentes seipsas perficere debent (§. 35.), consequenter & intellectum (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque Gens docta est, quæ intellectum perficit, & per consequens animum doctrina excolit (§. 53.); Gentes doctæ esse debent *Quod erat primum.*

Cum Gens docta esse debeat *per demonstrata* n. 1. ac ideo animum doctrina excolere (§. 53.); in determinandis quoque actionibus non sequi debet ductum inclinationum & reclinationum naturalium (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*),

univ.), sed potius rationis, legem naturæ, tanquam actionum regulam (§. 131. *1. part. Phil. pract.1. univ.)*, præscribentis (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.)* & decorum quoque urgentis (§.204. *part.1. Phil.pract. univ.)*. Quamobrem cum Gens culta sit, quæ moribus utitur ad normam rationis & suavitatis compositis (§. 53.); Gentes cultæ esse debent. *Quod erat secundum.*

Denique cum Gens docta & culta barbara non sit (§. 53. 52.), Gentes autem doctæ & cultæ esse debeant *per demonstrata n. 1. & 2.* Gentes barbaræ esse non debent. *Quod erat tertium.*

Equidem magis optandum, quam sperandum, ut Gentes omnes sint doctæ atque cultæ; propterea tamen negari non potest, esse officium gentis studere, ut sit docta & culta, ea doctrina animum excolens, quæ barbariem delet. Neque enim hic quæritur, quales sint Gentes & cur eas tales esse contingat; sed quales esse debeant. Non accidit naturæ vitio, ut sint barbaræ, quasi ea ipsis denegasset dispositiones ad consequendum doctrinam, quæ barbariem delet, necessarias, sed deficiente opportunitate dispositiones naturales ad habitum evehendi, & oblatis impedimentis, animum ab hac sollicitudine & hoc conatu avertentibus, aut retrahentibus. Ecquis sibi persuaserit Græcorum dispositiones naturales adeo fuisse immutatas, ut hodie sint penitus inepti ad doctrinam, qua olim excellebant, nec sine natura valeat doctrina? Ceterum cum Gens docta esse possit, etsi culta non sit (*not.* §. 53.); singularis cura adhibenda, ut sit culta, animum scilicet excolendo ea potissimum doctrina, quæ barbariem tollit. Ita Sinenses doctrinæ morum & prudentiæ civili operam potissimum navarunt, & sic inter Gentes cultiores ab antiquissimis temporibus eminuerunt hodienumque eminent, sit ita, quod in Metaphysicis & Physicis exigui, immo fere nulli fuerint eorum progressus, multo minus in Mathematicis Europæorum

laudem fuerint consecuti. Sed pleniorem lucem hisce affundet Philosophia moralis ex natura animæ humanæ a priori deducenda. Sufficit in præsenti sequens addere corollarium.

§. 55.

Quæ doctrina Gentibus inprimis conveniat.

Quoniam *Gentes* doctæ & cultæ, non barbaræ esse debent (§. 54.) *ea doctrina animum excolere debent, quæ barbariem delet, & sine qua culti esse nequeunt mores.*

Equidem nulla prorsus datur doctrina, quæ ad emendandum voluntatem aliquid conferre nequeat; non tamen omnis per se ad emendationem ejus tendit. Quamobrem ejus potissimum habenda ratio est, quæ per se ac immediate huc facit: ulterior autem perfectio ab illa expectanda, quæ per se in appetitum minime influit. Sed hæc altioris sunt indaginis, de quibus alio loco rectius dicetur. Pertinet huc exemplum Sinensium, de quo modo diximus (*not.* §. 54.). Voluntatis emendatio equidem a perfectione intellectus dependet; multa tamen cautione opus est, ne intellectum perficiendo voluntatem depravemus: id quod ad ea referendum, quæ altioris indaginis esse monuimus.

§. 56.

Quemnam finem Gentes in perficiendo intellectu sibi propositum habere debeant.

Similiter quia Gentes doctæ esse debent (§. 54.), consequenter intellectum perficere (§. 53.), perfectio autem Gentis consistit in aptitudine finem civitatis consequendi & status Gentis perfectus est, si in eo nihil desit, quo ad eum consequendum ipsa indiget (§. 29.); *Gentes in perficiendo intellectu semper respicere debent finem civitatis & ea, quibus ad eundem consequendum indigent*, consequenter *omnia sua studia huc dirigere.*

Quatenus Gens spectatur tanquam una persona (§. 2.), eidem quoque competit intellectus Genti proprius, seu intellectus humanus spectandus est in relatione ad ipsam Gentem. Quando

do igitur de intellectu perficiendo hic loquimur, quæ de eo dicuntur, non intelligenda sunt sine respectu ad Gentem, quam tanquam Gentem eundem perficere debere contendimus. Quæ de conservatione Gentis annotavimus (*not.*§.28.), ea mutatis mutandis hic quoque & in aliis, quæ de officiis Gentium dicuntur, intellligenda. Quemadmodum vero ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstrata fuerunt, patet, quænam cum ad perfectionem Gentis, tum ad perfectionem status ipsius requirantur (§. 30.); ita etiam inde intelligitur, qualis esse debeat intellectus Genti qua tali tribuendus & per consequens quomodo is sit perficiendus, ut Gens docta per se audiat, & quomodo virtutes intellectuales ad Gentes sint applicandæ, ut qua Genti conveniant, & distinguatur id, quod Genti per se convenit, ab eo, quod a singulis in eandem derivatur.

§. 57.

Similiter quoniam *Gentes* cultæ esse debent (§. 54.), adeoque uti moribus ad normam rationis, consequenter legis naturæ (§. 57. *part. 2. Phil. pract. univ.*), compositis (§. 53.); eodem, quo ante (§. 56.) modo patet, eas *in perficienda voluntate finem civitatis & ea, quibus ad eundem consequendum indigemus, respicere*, consequenter *omnes virtutes morales huc dirigere debere* (§. 321, *part. 1. Phil. pract. univ.* & 547. *part. 1. Jur. nat.*).

Quo respiciendum Genti in emendanda voluntate

Quemadmodum in qualibet Gente concipimus intellectum ipsi qua Genti proprium; ita quoque in eadem concipitur voluntas eidem qua Genti propria. Sicuti igitur intellectus vi ea cognoscit, quæ ad sui statusque sui perfectionem requiruntur, ita voluntas effici debet constans atque perpetua appetendi ea, quæ huc faciunt, & aversandi, quæ perfectioni isti contrariantur. Atque hinc dijudicandum, quænam sint virtutes Genti apprime convenientes & quales esse debeant, & quomodo his virtutes ceteræ ommnes serviant. Datur enim

nexus

nexus quidam inter virtutes morales, quo una efficitur ab altera dependens, ut ideo Christus totius legis transgressorem pronunciet, qui unam transgreditur. Sicuti vero intellectus Gentis, ita etiam voluntas residet in Rectore civitatis, influit autem in intellectum & voluntatem singulorum pro diversitate vitæ generum tanquam in organa corporis sui (*not.* §. 30.). Et quamvis hæc sublimia videantur, a nonnullis, qui de rebus per transennam conspectis per præcipitantiam judicant, inter ideas Platonicas forsitan referenda; sua tamen veluti sponte consequuntur, ubi ea fiunt, quæ de Rep. constituenda in parte octava Juris naturæ demonstravimus, ut opus præterea non sit, nisi ut urgeatur, quod hic in genere præcipitur. Quoniam vero hoc modo motiva virtutum multiplicantur, earum quoque cultura facilitatur, ut talia temere urgeri existimandum non sit.

§. 58.

De Jure Gentis sibi res comparandi ab alia Gente & sua apud aliam vendendi.

Cuilibet Genti competit jus res, quibus indiget, ab aliis Gentibus, quæ ipsæmet iisdem opus non habent, æquo pretio sibi comparandi; non vero jus sua apud aliam Gentem vendendi sine consensu ipsius. Etenim cum Gens seipsam & statum suum perficere (§. 35.), consequenter apta esse debeat ad finem civitatis consequendum, nec perfectus sit status ejus, nisi ea adsint, quæ ad illum consequendum faciunt (§. 29.), ad finem vero civitatis pertineat sufficientia vitæ (§. 13. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter abundantia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur (§. 10. *part. 8. Jur. nat.*); si qua ipsamet non habet, ea sibi ab aliis comparet necesse est. Quamobrem cum homini cuivis jus sit ad res, quibus indiget, ab alio æquo pretio sibi comparandum (§. 126. *part. 3.* & §. 322. *part. 4. Jur. nat.*), nemo tamen jus habeat ad eam rem a te sibi comparandam, qua ipse opus habes (§. 128. *part. 1. Jur. nat.*), naturalia vero hæc jura propter immutabilitatem suam (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*

& §.

& §. 23. *part. 1. Jur. nat.)*, per ſe non tolluntur, quod ſocietates civiles contrahendo Gentes ortæ fuerint; cuilibet quoque Genti competit jus res, quibus indiget, ab iis Gentibus, quæ ipſæmet iisdem opus minime habent, æquo pretio ſibi comparandi. *Quod erat unum.*

Enimvero cum nemo hominum cogi poſſit ad res ab aliis ſibi comparandas, aut potius ab hoc, quam ab alio (§. 318. *part. 4. Jur. nat.)*; nulli quoque Genti jus eſt ſua apud aliam Gentem vendendi ſine conſenſu ipſius. *Quod erat alterum.*

Equidem jus ad res æquo pretio ab aliis Gentibus ſibi comparandi inferri poſſe videtur ex jure ad ea, ſine quibus Gens ſeipſam conſervare nequit (§. 32.), quatenus ſcilicet conſociatio durare nequit niſi ſingulis conſervatis (§. 28.): quoniam tamen jus iſtud reſpicit res, quæ ſunt aliarum Gentium, adeſſe quoque debet obligatio in alias Gentes cadens, unde id oritur (§. 23. *part. 8. Jur. nat.*), qualis eſt obligatio ad res pro æquo pretio ſibi invicem communicandas (§. 322. *part. 4. Jur. nat.*).

§. 59.

De prohibitione rerum peregrinarum in regionem transportendarum.

Quonian Genti nulli competit jus ſua apud aliam Gentem vendendi ſine conſenſu ipſius (§. 58.); *ſi qua Gens nolit res certas peregrinas in regionem ſuam transportari, Genti, a qua veniunt, injuriam non facit* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.)*, conſequenter *ſi mercium peregrinarum advectio & venditio prohibetur, non juſtæ ſunt de hac prohibitione peregrinorum querelæ.*

Conqueruntur exteri ob ceſſans lucrum, quod ab alia gente ipſis non debetur. Quodſi querelæ effundantur in Gentem ipſam, injuſtæ ſunt; ſi vero terminantur in lucro ceſſante, injuſtitia vacant, etſi aliunde vitii quadam

labe infici possint, quatenus officio cuidam naturali repugnant. Quodsi prohibitio, quæ lucrum cessare facit, legitimam non habeat rationem, a fine nimirum civitatis, seu officiis Gentis erga seipsam, desumtam; querelæ non iniquæ sunt, quatenus adversantur officiis humanitatis Genti uni ab altera præstandis. Sed denegatio officii humanitatis ferenda (§. 440. *part. 3. Jur. nat.*). Difficilis vero inspectio est, utrum istiusmodi querelæ sint æquæ, an iniquæ, ob rationes prohibitionis raro intime perspectas. Ne quid obscuri supersit, cogita mercatorem, a quo diu multas merces emisti: sed sunt tibi rationes, cur tales merces non amplius emere velis. Cessat lucrum mercatoris, quod habiturus erat, si quidem emtionem continuasses. Ecquis vero vel per somnium cogitabit, justas esse de te mercatoris querelas, quod merces istiusmodi emere nolis amplius, propterea quod lucrum ejus cesset, quod continuata emtione habere poterat? Quæ de Gentibus prædicantur, non clarius & facilius intelliguntur, quam si consideremus, quid in eodem casu valeat de hominibus singulis in statu naturali viventibus (§. 2.): id enim ad Gentes applicandum (§. 3.). Ceterum quæ diximus de injustitia querelarum & iniquitate earundem ob prohibitas merces in aliqua regione; ea in genere valent de quibusvis querelis ob denegationem officiorum humanitatis ortis, non solum inter Gentes, verum etiam inter privatos.

§. 60.

Commercium quid sit.

Commercium dicitur jus emendi vendendique invicem res quascunque mobiles & moventes, tam necessarias, quam utiles & voluptuarias.

Ita objectum commerciorum sunt vinum, oleum, frumentum, pecudes, cera, sericum, pannum, linteum. Et ubi servitus recepta, emuntur & venduntur quoque servi atque ancillæ, sive mancipia: quod commercium idiomate patrio appellatur der Sclaven-Handel.

§. 61.

§. 61.

Commercia interna dicuntur, quæ exercent, qui eidem imperio civili subsunt: *externa* autem vocantur, quæ exercentur cum gentibus peregrinis. Illa sermone vernaculo appellamus einheimischen Handel; hæc vero auswärtigen Handel. *Divisio commerciorum.*

Solent etiam apud nos commercia dividi ratione objecti & ab ea peculiaria sortiuntur nomina. Ita dicimus Vieh-Handel, si pecudes & armenta; Woll-Handel, si lana; Eisen-Handel, si ferrum; Wein-Handel, si vinum in commercio fuerit & ita porro. Sed divisiones istæ in praesenti nullam habent utilitatem, ut entia præter necessitatem non sint multiplicanda.

§. 62.

Qnoniam exercitium commerciorum in eo consistit, ut res quæcunque mobiles & moventes tam necessariæ, quam utiles & voluptuariæ, invicem emantur & vendantur (§. 60), interna autem exerceant, qui eidem imperio civili subsunt (§ 61.); *commercia interna hunc usum habent, ut unusquisque habere possit ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur*, cumque operæ quælibet pro pecunia ab alio comparari possint (§. 293. *part. 1. Jur. nat.*), res pro pecunia emantur & vendantur (§ 937. *part. 4. Jur. nat.*), *commercia interna hunc* quoque *habent usum, ut eadem pecunia continuo ab uno in alium transferatur & in plurimorum commodum convertatur.* *De utilitate commerciorum internorum.*

Commerciorum internorum summa est utilitas: sunt enim medium unicum, ut singulis prospiciatur de iis, quibus ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem indigent, quantum datur. Experientia abunde hoc docet, ut plura dicere superfluum videatur.

§. 63.

De utilitate commerciorum externorum.

Similiter quia exercitium commerciorum in eo consistit, ut res quæcunque mobiles & moventes, tam necessariæ, quam utiles & voluptuariæ, invicem emantur & vendantur (§. 60.), externa autem commercia exercentur cum peregrinis (§. 61.); *commercia externa hunc habent usum, ut, quæ Genti uni desunt ad vitæ necessitatem, commoditatem, vel jucunditatem requisita, ab alia Gente comparari possint*, cumque res pro pecunia emantur & vendantur (§. 937. *part. 4. Jur. nat.*), *si res plures aliis Gentibus venduntur, quam ab iis emuntur, Gens pecunia augetur, immo ad maximas pecunias venire potest.*

Commerciorum externorum duplex est utilitas. Altera consistit in procuranda vitæ sufficientia (§. 10. *part. 8. Jur. nat.*); altera in augendis divitiis Gentis. Prius facile intelligitur; posterius experientia obvia probant exempla Gentium, apud quas commercia florent.

§. 64.

Obligatio exercendi commercia interna.

Gentes obligantur commercia interna exercere. Cum enim Gens sit multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*); qui gentem faciunt sibi invicem obligantur conjunctis viribus parare ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum commercia interna hunc habeant usum, ut unusquisque habere possit ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur (§. 62.); Gentes obligantur commercia interna exercere.

Non est quod objicias, commercia interna imperare ipsam necessitatem & homines impellere ad ea exercenda. Neque enim

enim sufficit, ut necessitate adacti emant vendantque invicem res suas; sed etiam requiritur, ut hoc faciant cum sensu officii, ne suum saltem commodum respiciant, sed etiam alienum, consequenter ut non sine æquitate & justitia commercia exerceantur. Quamvis autem obligationem deduxerimus ex pacto in demonstratione (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), quam ipsam jam obligatio naturalis servandi pacta (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*) firmat; ipsa tamen, quæ ex pacto venit, nititur obligatione naturali ad dominia rerum in se invicem transferenda (§. 123. *part. 3. Jur. nat.*). Accedit, quod superior commercia interna promovere & possit, & debeat, si officio suo satisfacere velit (§. 420. & seqq. *part. 8. Jur nat.*), idemque curare teneatur, ne in iis toleretur, quod æquitati, vel justitiæ contrariatur. Non unum igitur est, quod quoad commercia interna constituendum est superiori.

§. 65.

Divitiæ Gentis unde æstimentur.

Divitiæ Gentis æstimantur ex pecunia singulorum in unam summam collecta. Quoniam enim Gens spectatur tanquam persona singularis (§. 2.); pecunia, quæ est omnium simul, in unam summam collecta pecunia Gentis est. Quamobrem cum pecunia per se non consumatur, quod per se patet; licet continuo unus ab altero eandem accipiat, non tamen propterea efficitur minor in Gente, sed eadem manet ejus quantitas. Quoniam itaque divitiæ æstimantur ex quantitate pecuniæ superfluæ (§. 353. *part. 4. Jur. nat.*); divitiæ quoque Gentis æstimandæ sunt ex pecunia singulorum in unam summam collecta.

Nimirum quæ singulorum sunt, quatenus singuli simul spectari debent tanquam persona una, Gentis sunt. Gens enim non habet nisi quod per se est singulorum. Quamobrem si quæstio incidit de pecunia Gentis universæ, necesse omnino est, ut pecunia singulorum in unam summam collecta tribu-

atur Genti. Nec abhorret hoc a notionibus communibus: omnes enim Gentem divitem appellamus, si penes eam multum sit pecuniæ, parum solliciti, quomodo inter singulos distribuatur: neque enim necesse est, ut singuli sint divites, si Gens dives esse debeat, sicuti non singuli sunt docti, si Gens docta est. Hinc enatum proverbium, aut saltem non male huc transfertur: Pauper ubique jacet.

§. 66.

Quæam Gens sit dives.

Quoniam divitiæ Gentis æstimantur ex pecunia singulorum in unam summam collecta (§. 65.) consequenter parum refert, quomodo ea inter singulos sit distributa, *Gens dives est, in qua multæ sunt familiæ divites* (§. 43.).

Ita Angli & Batavi audiunt Gentes divites, quia multæ apud utramque Gentem familiæ divites dantur. Quamdiu Gentem spectamus in se tanquam Gentem, vel etiam cum respectu ad alias Gentes; nihil refert, quomodo pecunia inter singulos sit distributa. Alia vero ratio est, si singuli, qui Gentem faciunt, referantur ad se invicem respectu onerum imponendorum, ut nemo nimium gravetur. Ceterum cum ex argento cudi possit moneta; vasa argentea et si qua alia sunt ex argento solido parata æquiparantur pecuniæ paratæ, quoniam in casu necessitatis, quando nimirum ingenti pecuniæ summa extraordinarie opus est, in pecuniam converti possunt.

§. 67.

Quænam Gentem faciant divitem.

Similiter quia Gens dives est, quæ maximas pecunias possidet (§. 65.), pecunia autem augetur ope commerciorum externorum (§. 63.); *commercia externa Gentem facere possunt divitem.*

Sane non alia ratio fuit, cur commercia cum Gentibus sepositis instituerint Gentes maritimæ, veluti Lusitani, Hispani, Angli, Batavi, & cur Gentes aliæ eos imitentur.

§. 68.

§. 68.

Pari modo quia Gentis divitiæ æstimantur ex pecunia singulorum in unam summam collecta (§. 65.), commerciis vero externis pecunia minuitur, si a Gentibus peregrinis plus emitur, quam iisdem venditur, quod per se patet; *commercia externa Gentem faciunt pauperiorem, si plus a Gentibus aliis emit, quam ipsis vendit.* *Quando gentem pauperiorem faciant commercia.*

Plus nimirum pecuniæ erogatur, quam recipitur, ac ideo necesse est, eam continuo decrescere. In commerciis itaque externis multa cautione opus est, ne Genti sint damnosa. Sed hæc in Politica uberius discutienda.

§. 69.

Gens potens dicitur, quæ vi aliarum Gentium, qua vel ipsa, vel res ejus impetuntur, resistere potest. *Quo majores* itaque *sunt vires ad resistendum vi externæ, eo Gens potentior.* Et quoniam ad resistendum vi externæ, consequenter se resque suas adversus Gentes alias defendendum (§. 972. *part. 1. Jur. nat.)*, vel etiam jus suum ab alia Gente, quæ id tribuere denegat, vi consequendum, & militum numerus haud raro ingens, & immanes sumtus requiruntur, id quod a posteriori abunde patet; *potentia Gentis consistit in multitudine hominum, qui militiæ munera exercere valent, & in divitiis ejusdem.* Cumque perinde sit, sive milites sint indigenæ, sive extranei mercede conducti; *Gens adhuc potens censetur, si fuerit adeo opulenta, ut milites extraneos mercede conducere possit, quot opus habet.* *De potentia Gentis.*

Facile tamen patet potentiam Gentis majoris esse faciendam, quæ alienum auxilium mercari opus non habet, sed ipsamet sibi sola sufficit, cum in casu conductionis militis extranei

nei potentia efficiatur dependens a consensu aliarum Gentium, quæ non semper impetrari, nec sine mora, quæ sæpius nocet, impetrari potest. Quot vero homines flagrante bello interencioni dentur, & quot sumtus in rem militarem faciendi; annales omnium temporum docent & nostris diebus experimur. Sane si novellis publicis fides habenda, Galli soli in præsenti bello septenni amiserunt 146000. viros ad arma fortes & 840. milliones librarum Gallicarum, seu 280. milliones thalerorum impenderunt: id quod nisi a Gente præpotente fieri potest. Hinc porro intelligitur, quanta esse debeat potentia gentis, si bellum per plures annos continuandum.

§. 70.

De obligatione ad studium potentiæ.

Gentes pro virili studere debent, ut sint potentes. Etenim quælibet Gens se perficere debet (§. 35.), consequenter studere, ut sit apta ad finem civitatis consequendum (§. 29.). Quamobrem cum ad finem civitatis etiam requiratur securitas (§. 15. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter vacuitas a metu vis, præsertim externæ (§. 12. *part. 8. Jur. nat.*); operam quoque dare debet, ut vi aliarum Gentium, qua impetitur, vel res ejus impetuntur, resistere possit. Quoniam itaque Gens potens est, si resistere valet (§. 69.); Gentes studere debent, ut sint potentes. *Quod erat unum.*

Enimvero quia nemo obligari potest ad id, quod impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pro virili studere debent Gentes, ut sint potentes. *Quod erat alterum.*

Potentia Gentis inter ea referenda, quæ non ex toto a potestate ejusdem pendet, sed fortunæ potestati subjecta est. Obligatio igitur non extendenda ultra id, quod fieri potest. Peccat autem Gens, quæ cum potentiam suam augere possit, hoc facere negligit, & justam impotentiæ suæ dat pœnam, si damnum inde sentit, qualecunque tandem id fuerit.

§. 71.

§. 71.

Ad consequendum finem licitum non uti licet mediis illicitis. Quod enim illicitum est, ad id omittendum obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec uti licet mediis illicitis ad consequendum finem licitum. *An ad consequendum finem licitum uti liceat mediis illicitis.*

E. gr. Quilibet homo vitam suam conservare obligatur (§. 350. ***part. 1. Jur. nat.***), consequenter de cibo ac potu sibi prospicere tenetur. Non tamen ideo furari, aut quæ sunt alterius rapere licet, ut habeas, unde vivas. Hoc enim illicitum (§. 519. 536. ***part. 2. Jur. nat.***), etsi illud sit licitum (§. 383. ***part. 1. Jur. nat.*** & §. 170. ***part. 1. Phil. pract. univ.***)

§. 72.

Quoniam ad consequendum finem licitum non uti licet mediis illicitis (§. 71.); *Gentes* etsi pro virili studere debeant, ut sit potentes (§. 70.), *non* tamen *modo illicito potentiam suam augere debent*, consequenter cum bellum injustum sit illicitum (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*), justa autem belli causa non sit nisi injuria vel facta, vel facienda (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*), *solius potentiæ suæ augendae causa Gentes alias potestati suae subjicere non licet vi armorum.* *De modo illicito potentiam augendi.*

Gens qualibet naturaliter libera est (§ 55. ***part. 8. Jur. nat.***). Quamobrem cum libertas jus perfectum sit (§. 858. ***part. 1. Jur. nat.***); qui solius potentiæ suæ augendæ causa vi armorum gentem potestati suæ subjicit, jus ejus tollendo injuriam ei facit (§. 859. ***part. 1. Jur. nat***). Dantur vero plures modi illiciti potentiam suam augendi, quos tamen omnes sigillatim hic persequi non licet. Facile autem inde agnoscuntur, quod consistant in actibus lege naturali prohibitis, vel quod pugnent cum Jure Gentium, quod in præsenti volumine demonstramus.

§. 73.

An commercia cum alia Gente ſint neceſſario exercenda.

A voluntate Gentis cujuslibet dependet, utrum cum Gente alia commercia exercere velit, nec ne, & qua lege ea velit exercere. Etenim jus ad res ab alio ſibi comparandas imperfectum eſt (§. 356. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter nemo cogi poteſt, ut patiatur res a ſe nobis comparari (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſeu ut eas nobis vendat (§. 938. *part. 4. Jur nat.*). Quamobrem cum commercia conſiſtant in Jure emendi vendendique invicem res quasdam (§. 60.), nec ulla Gens pati obligetur, ut res ab alia Gente in regionem ſuam advehantur ibidemque vendantur (§. 58.); nulla quoque Gens ad commercia cum alia Gente exercenda cogi poteſt, conſequenter a voluntate Gentis cujuslibet dependet, utrum cum Gente alia commercia exercere velit, nec ne. *Quod erat unum.*

Enimvero cum commercia permittendo Genti concedatur aliquod jus (§. 60.), a voluntate autem jus transferentis, conſequenter & concedentis dependet, qua lege alteri jus quoddam concedere velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); a voluntate etiam Gentis cujuslibet dependet, qua lege cum alia commercia exervere velit. *Quod erat alterum.*

Nemini naturaliter competit jus eam rem ſibi comparandi ab alio, qui ipſemet eadem indiget (§. 128. *part. 3. Jur. nat.*). Vi autem libertatis naturalis judicium, num rebus iſtis, quas tibi comparare vis ab alio, ipſemet indigeat, ipſi relinqendum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Ac ideo jus iſtud imperfectum eſt (§. 906. *part. 1 Jur. nat.*), quemadmodum jam alias oſtendimus (§. 356. *part. 3. Jur. nat.*). Regnat igitur in hiſce merum Gentis arbitrium, in quo acquieſcendum. Quamobrem etiam legem dicere poteſt quælibet Gens, qua com-

commercia extraneis vel permittere, vel ad ea sese obligare velit.

§. 74.

Qoniam a voluntate Gentis cujuslibet dependet, utrum cum Gente alia commercia exercere velit, nec ne, & qua lege exercere velit (§. 73.), nemo autem sese alteri perfecte obligare potest nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.)*, consequenter per pacta (§. 788. *part. 3. Jur. nat.); jus perfectum ad commercia cum alia Gente exercenda acquiri nequit, nisi per pacta* (§. 364. *part. 3. Jur. nat.)*, consequenter *jus istud nonnisi pactitium est* (§. 23.). *Quomodo jus perfectum ad commercia externa acquiratur.*

Commercia interna subditis imperare potest superior, qui eidem obedire tenentur (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*). Alia vero prorsus est ratio commerciorum externorum, cum Gentes naturaliter liberæ sint (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque nemo privatus alterum privatum sibi perfecte obligare potest (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*) & jus perfectum exinde contra eum acquirere, nisi promittendo (§. 235. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita quoque Gens nulla jus perfectum ad commercia externa acquirere potest nisi per pacta (§. 788 *part. 3. Jur. nat.*). Per pacta nimirum ex imperfecte debito fit perfecte debitum.

§. 75.

Quoniam jus perfectum ad commercia cum alia Gente exercenda, consequenter ad externa (§. 61.); non acquiritur nisi per pacta (§. 74.); *si Gens una alteri saltem permittit, ut commercia secum exerceat, ex eo jus perfectum ad commercia externa hæc non consequitur*, consequenter cum a voluntate illius dependeat, utrum exercere velit, an nolit, & qua lege exer- *De nuda permissione commerciorum.*

 cere

cere velit (§. 73.), *illa nullam huic facit injuriam, si commercia quomodocunque restringit & de modo ea exercendi pro arbitrio suo quomodocunque disponit, quandocunque ipsi hoc visum fuerit.*

Pertinet huc, quod jam superius ostendimus, quamvis id latius patere videatur, quod mercium peregrinarum advectio & venditio in terris suis a superiore prohiberi possit (§. 58.). Etsi enim Gentes, quemadmodum homines singuli, ad res suas sibi invicem dandum pro mutua indigentia obligentur (§. 124. *part. 3. Jur. nat.*), licet non gratis (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*), immo etsi Gentes in civitatem quandam maximam coivisse intelligantur, cujus singula membra sunt Gentes singulæ (§. 9.), atque hoc respectu commercia externa assimilentur internis (§. 61.); non tamen hinc sequitur, naturaliter ita obligari Gentes ad commercia cum aliis exercenda, ut libertas de iis pro arbitrio statuendi tollatur. Ita olim Sinenses commercio commisceri noluerunt cum aliis Gentibus sui conservandi causa. Nec in eo peccarunt, quia rebus aliarum Gentium non indigent, si vero vel maxime Gentibus aliis usui fuissent res, quibus ipsi carere poterant; officium tamen erga seipsum vicit officium erga alios (§. 229. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quodsi Gentes consideres tanquam concives, & commercia, quibus miscentur, tanquam interna, non aliud inde sequitur, quam a voluntate Gentium unice pendere, utrum invicem commercia colere velint, nec ne, & utrum exercitium esse debeat libertatis, an necessitatis. Nonne enim in civitate unicuique liberum est, a quo emere & cui vendere quis velit, & num certas pactiones de emendo & vendendo facere velint duo, ut jura acquirantur perfecta? Non obstant leges civiles de commerciis latæ universis, quibus libertas ista minime tollitur. Legibus autem istis respondent naturales, quibus Gentes commercio inter se misceri jubentur, quemadmodum paulo inferius demonstrabitur. Nihil adeo a nobis traditur, quod contradictionem involvat, sed una omnium concordia est, una consonantia, modo ingenio perspicaci omnia ponderentur.

Notio

Notio igitur civitatis maximæ omnia mirifice illustrat, quæ de commerciis Gentium tenenda sunt, immo ad ea invenienda nos manu ducit.

§. 76.

Jura meræ facultatis dicuntur, quibus quis uti potest & non uti, prouti sibi visum fuerit, liber ab omni coactione externa. Unde & *Actus meræ voluntatis* dicuntur, qui unice a voluntate nostra dependent, veluti ire & sedere, ac per consequens *actus meræ voluntatis sunt, qui ad exercitium jurium meræ facultatis pertinent*, veluti emere vinum aut merces quascunque, ubi volueris. *Jura meræ facultatis & actus meræ voluntatis quid sint.*

Jura meræ facultatis non subjacent certæ legi, nec nituntur pacto, sed in iis regnat merum exercentis arbitrium. Jura igitur ista prorsus libera sunt, & hoc respectu etiam *Jura libertatis* appellantur a *Grotio* de J. B. & P. lib. 2. c. 4. §. 15. Nec opus est, ut cum eodem a juribus libertatis distinguas ea, quæ non habent quotidianum exercitium, sed semel ubi commodum erit, quale luitio pignoris, si non fuerit conventum de certo tempore, intra quod lui debet. Etenim tum omnino liberum est, quando jure isto uti volueris, nec cogi potes, ut contra voluntatem tuam facias, quod semel faciendum, veluti ut pignus luas, quando alteri visum fuerit. Actus igitur meræ voluntatis est.

§. 77.

Quoniam jus meræ facultatis est, quo quis uti potest & non uti, prouti sibi visum fuerit, liber ab omni coactione externa (§. 76.), a voluntate autem Gentis cujuslibet dependet, utrum cum Gente alia commercia exercere velit, nec ne, & qua lege exercere velit (§. 73.); *commercia* *Quale jus sint commercia Gentium.*

cia Gentium per se, sive naturaliter sunt jus meræ facultatis, consequenter *actus ad ea spectantes meræ voluntatis* (§. 76.).

Ne ulla dubitatio suboriri possit, probe perpendenda sunt ea, quo modo annotavimus (*not.* §. 76.). ex iis autem, quæ mox sequuntur, patet, haud parum referre, ut agnoscamus, quale jus sint commercia Gentium.

§. 78.

De præscriptione jurium meræ facultatis.

Jura meræ facultatis præscribi nequeunt, seu non amittuntur, nisi ex quo tempore intercesserit prohibitio aut coactio, eique paritum est cum sufficienti consensus significatione. Jure enim meræ facultatis uti potes & non uti, prouti tibi visum fuerit, nec alius quisquam te cogere potest, ut utaris, vel non utaris (§. 76.). Ex eo igitur, quod eodem longo tempore sine ulla interruptione utaris, colligi nequit, te eodem uti semper velle, nec tibi liberum esse debere amplius, ut eodem non utaris, si tibi non amplius uti commodum visum fuerit. Et ex adverso, si eodem non utaris cum posses, inde minime colligere datur, te eodem uti nolle, si uti commodum visum fuerit. Quamobrem cum præscriptione amittatur jus proprium ex consensu præsumto (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*); jura meræ facultatis præscribi, seu amitti nequeunt. *Quod erat unum.*

Enimvero si alter prohibet, ne jure, quo uti poteras & hactenus usus fuisti, utaris, vel ut jure, quo continuo usus es, sed amplius uti non vis, utaris te cogit, & tu cum sufficienti consensus significatione prohibitioni, aut coactioni pares; in hoc utique te consentire intelligitur, ut uti, vel non uti tibi amplius liberum esse non debeat, sed eodem vel constanter uti velis, vel non uti, prouti fert casus datus, consequenter jus tuum ex consensu præsumto amittis. Quam-

Quamobrem cum amissio juris ex consensu præsumto præscriptio sit (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*); jus meræ facultatis præscribitur, ex quo tempore intercesserit prohibitio, aut coactio, eique paritum est cum sufficienti consensus significatione. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus tibi liberum esse uti quocunque molendino, per longum autem tempus usum esse certo quodam molendino, non ideo jus tuum utendi molendino quocunque, prouti commodum fuerit, præscribitur, nec dominus molendini præscriptione acquirit jus te cogendi, ut nonnisi suo molendino utaris. Quamobrem etsi per centum & plures annos isto molendino fueris usus, hoc tamen minime obstat, quominus utaris alio, si placuerit. Enimvero ponamus, te alio uti, & dominum molendini illius contradicere, ac prohibere, ne utaris alio, quam suo, te autem hoc facere, cum nulla nenecessitate adigaris, ut facias, nec ullo modo contradicere, cum contradicere posses; te in hoc consentire, ut non alio quam ipsius molendino utaris, recte præsumitur. Atque adeo jus tuum utendi molendino quocunque amittis, & dominus molendini acquirit ab eo tempore jus te cogendi, ut nonnisi suo utaris. Juris autem positivi est, quod præscriptio requirat certum annorum numerum, quem sufficientem declarat ad præsumendum consensum ex silentio.

§. 79.

Quoniam jura meræ facultatis præscribi nequeunt (§. 78.), commercia vero Gentium per se, hoc est si nullum accedat pactum (§. 74.), sunt jura meræ facultatis (§. 78.); *commercia Gentium præscribi nequeunt*, consequenter cum commercia consistant in jure emendi vendendique invicem (§. 60.), *si vel per centum annos Gentes duæ commercio mixtæ fuerint, non tamen propterea Gens una pati tenetur, ut res suas apud eam vendat* *De praescriptione commerciorum.*

dat altera, vel ab ea res emat, seu libertas emendi, vel vendendi res suas non amittitur (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*).

E. gr. Si Gens quædam per quantumcunque tempus frumentum emit ab alia quadam Gente, non tamen propterea hæc illam cogere potest, ut in posterum quoque emat, si noluerit. Et vicissim si Gens quædam vinum vendidit alii cuidam Genti, non tamen hæc pati tenetur, ut in posterum vinum in terras suas advehat ibidemque vendat. Idem intelligitur de mercibus quibuscunque aliis. Manet semper integra emendi vendendique libertas Genti unicuique (§. 73.).

§. 80.

De subjectione voluntaria Gentis.

Si qua Gens minus potens fuerit ad se tuendum adversus injurias aliarum Gentium; Genti cuidam potentiori se certa lege, de qua conventum est, subjicere potest, & jura utriusque metienda sunt ex pacto subjectionis. Etenim Genti unicuique competit jus ad ea, sine quibus se conservare nequit (§. 32.). Quamobrem cum se conservare nequeat, nisi adversus injurias aliarum Gentium se tueri possit (§. 28. *h.* & §. 9. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter si satis potens fuerit (§. 69.), defectus autem potentiæ suppleatur potentia aliena, & Gentes pro virili studere debeant, ut sint potentes (§. 70.); si qua Gens minus potens fuerit ad se tuendum adversus injurias aliarum Gentium, Genti cuidam potentiori se subjicere potest (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam a voluntate uniuscujusque pendet, qua lege jus quoddam in alterum transferre velit (§ 11. *part. 3. Jur. nat.*); a voluntate quoque Gentium dependet, qua lege una se alteri subjicere, seu in tutelam dare, & altera eandem in tutelam suam recipere velit, consequenter de ea convenire debent (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*). Si qua

igitur

igitur Gens minus potens fuerit ad se tuendum adversus injurias aliarum Gentium, cum se alteri cuidam potentiori sui tuendi causa subjicere possit *per demonstrata n. 1.* se eidem subjicere potest certa lege, de qua conventum fuerit. *Quod erat secundum.*

Denique cum istiusmodi conventiones pacta sint (§. 788. 361. *part. 3. Jur. nat.*), nemo autem plus juris ab altero acquirere possit, quam is in ipsum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); si qua Gens minus potens sui tuendi causa sese subjicit potentiori, jura utriusque metienda sunt ex pacto subjectionis. *Quod erat tertium.*

Naturaliter quælibet Gens libera est (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*). De jure autem hoc suo pro arbitrio statuere potest, prouti sibi commodum visum fuerit, consequenter commodi sui causa libertatem imminuere: id quod fit, si certa quadam lege se alteri subiicit, seu jus quoddam in se alteri concedit, qualecunque tandem illud fuerit (§. 135 *part. 1. Jur. nat.*). Ceterum an Gens minus potens sit ad se tuendum adversus injurias aliarum Gentium, & non alio pacto sibi consulere possit, quam se subjiciendo, seu in tutelam dando Genti alteri potentiori; vi libertatis naturalis judicium relinquendum est ipsi genti (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem standum est pactis conventis, non vero quæritur, num prudenter fecerit Gens, quæ se alteri sui tuendi causa subjicit, cum alio modo sibi consulere potuisset, sed in eo acquiescendum, de quo conventum fuit.

§. 81.

An hoc facto summitati imperii derogetur.

Quoniam Gens quælibet se alteri sui tuendi causa subjicere potest ea lege, de qua conventum, & ex pacto subjectionis metienda sunt utriusque jura (§. 80.); *si Gens quædam sese alteri in tutelam dat, id fieri potest vel cum imminutione, vel sine imminutione imperii summi.*

 Ita

Ita sine imminutione summi imperii hoc fit, si saltem quotannis certum tributum solvendum: tunc enim Gens, quæ tutelam debet, non aliud habet jus nisi exigendi tributum tanquam debitum. Obligatio autem solvendi Genti alteri quotannis certam pecuniæ summam, quæ oritur ex contractu do ut facias, non afficit ipsum imperium civile (§. 60. *part. 8. Jur. nat.*), multo minus summitati ejus derogat (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*). Enimvero si Genti, quæ tutelam debet, concedatur jus nova tributa, prouti visum fuerit, imponendi, vel quædam ad exercitium imperii civilis spectantia sine ipsius consensu fieri nequeant, aut ipsa per se facere talia possit; subjectio utique facta cum imminutione imperii summi, quia exercitium imperii quoad certos actus dependet a voluntate Gentis tutelam debentis.

§. 82.

De non præstita tutela. *Si Gens potentior tutelam promissam non præstet, minus potenti se alteri in tutelam dare, seu eidem sui tuendi causa subjicere licet.* Etenim si Gens, quæ tutelam debet, non præstet, a pacto discedit, quod per se patet. Sed si uns paciscentium a pacto recedit, alteri etiam recedere licet (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem minus potens pacto stare non tenetur, si potentior tutelam promissam non præstet, consequenter cum jam libera sit ab obligatione, qua ex pacto tenebatur, nil obstat, quo minus sese alteri cuidam Genti in tutelam dare, seu sui tuendi causa subjicere possit (§. 80.).

Non est quod excipias, eidem competere jus cogendi, ut tutela debita præstetur. Desunt enim Genti minus potenti vires ad cogendum potentiorem: quæ si adessent, facere hoc poterat. Vi per se resistere posset injuriam facienti, ut aliena tutela non indigeret, si quidem vires eidem essent sufficientes Gentem potentiorem ad tutelam sibi debitam præstandum cogendi. Alia longe est ratio

tio, si Gens, cui tutela debetur, non solvat tributum pro ea debitum annuum.

§. 83.

De Gente, in jus debet, minus potentis involante.

Si Gens, quæ tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet; vi resistere & auxilium alienum quæ tutelam implorare licet. Etenim si Gens, quæ tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet, hoc fit contra jus minus potentis (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter illa huic injuriam facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque eandem lædit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum unicuique competat jus a quocunque exigendi, ne ipsum lædat, &, ubi lædere conatur, eundem cogendi, ne faciat (§. 914. *part. 1. Jur. nat.*); si Gens, quæ tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet, vi resistere licet (§. 727. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum minus potens resistere per se nequeat potentiori, quod per se patet, cuilibet autem naturaliter competit jus defendendi alterum, immo ad defendendum, quantum in potestate sua positum est, obligatur, si ipse sibi defendendo non sufficit (§. 990. *part. 1. Jur. nat.*); auxilium alienum utique implorare licet. *Quod erat alterum.*

Consultum omnino est, pacto subjectionis adjici clausulam commissoriam, ut id sit nullum, si Gens, quæ tutelam debet, sibi plus juris arroget, quam de quo expresse fuit conventum: ita enim jus alieno auxilio resistendi stat fide pactorum, & omnes exceptiones arcentur. Convenit hoc maxime moribus Germanorum antiquorum, qui cum ipsis nihil antiquius esset fide data, omnia fere jura sua pactis stare volebant, nec quicquam turpius habebatur, quam fidem datam fallere.

§. 84.

De praescriptione Gentis tutelam debentis adversus minus potentem.

Si Gens, quae tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet, & haec non contradicit; illa tandem longa patientia hujus jus, quod usurpat, acquirit, immo haec imperium summum prorsus amittere & illi subjici potest. Quodsi enim Gens, quae tutelam debet, sibi plus juris arrogat in minus potentem, quam ex pacto habet, nec haec contradicit, sed longo tempore jus usurpari patitur; ex diuturno silentio jus suum derelinquere & in usurpationem ejus consentire praesumitur (§. 1058 1054. *part. 12. Jur. nat.*). Quamobrem cum in acquisitionem dominii, in quo etiam sunt res incorporales (§ 216. *part. 2. Jur. nat.*), tacite consentiat, qui rem derelinquit (§. 1025. *part. 3. Jur. nat.*); Gens quae tutelam debet, jus in minus potentem, quod sibi arrogat, tandem longa ipsius patientia acquirit. *Quod erat unum.*

Quoniam vero idem eodem modo valet de jure quocunque ad imperium summum pertinente; Gens minus potens imperium summum eodem modo prorsus amittere & potentiori, quae tutelam bebebat, subjici potest. *Quod erat alterum.*

Nihil in hisce difficultatis, aut obscuritatis superesit, modo satis perspecta sint, quae de usucapione & praescriptione integro capite demonstravimus in parte tertia Juris naturae. Ex derelictione nimirum vim novam capit apprehensio, ut, quae antea erat injusta, cum destitueretur consensu domini, nunc jus pariat, tacito hujus consensu accedente (§. 1015. *part. 3. Jur. nat*). Si dubium moveat, quod vulgo dicitur, quae ab initio non valent ex post facto convalescere non posse; id jam sustulit *Grotius* de J. B. & P. lib. 2 c. 4. §. 12. Habet nimirum regula ista hanc exceptionem, nisi causa nova jus per se parere idonea intercesserit, qualis in praesenti casu est accedens

dens tacitus Gentis minus potentis consensus, in quem potentior jus quoddam usurpat.

§. 85.

Si Gens quædam regionem vacuam occupat; imperium in ea simul occupat. Etenim cum Gens sit multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*); eidem quoque competit imperium civile (§. 31. 32. *part. 8. Jur. nat.*), sive id per se, sive per alium quocunque modo exerceat (§. 37. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo regionem quandam vacuam occupat, ut eam inhabitet & in ea rem suam habeat; quin in eadem imperium habere velit, dubitandum non est. Quodsi vero velit imperium sibi habere in ista regione; haud pati velle intelligitur, ut alius in eadem jus quoddam ad id pertinens exerceat, vel eidem non subsit. Quoniam vero hoc sufficit ad imperii in regione vacua occupationem (§. 219. *part. 3. Jur. nat.*); si Gens quædam regionem vacuam occupat, imperium in ea simul occupat. *De occupatione imperii in regione vacua.*

Nondum hic loquimur de occupatione bellica, quæ fit expulsa Gente, quæ antea regionem occupatam inhabitaverat. De ea enim dicendum suo loco. Absonum vero foret, si quis contendere vellet, imperium saltem Genti competere in eos, qui civitatis membra sunt, non vero terris inhærere, quæ sunt in dominio Gentis. Nemo non facile videt, id adversari tranquillitati publicæ (§. 11. *part. 8. Jur. nat.*), quæ ad finem civitatis pertinet (§. 13. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum imperium civile ex fine civitatis metiendum sit (§. 30. *& seqq. part. 8. Jur. nat.*); idem omnino extendendum ad personas quaslibet, quæ in regione quacunque de causa commorantur, vel in eam ingrediuntur. Et ita imperium in tota regione habet populus, qui eandem inhabitat.

§. 86.

Casus alter. *Si familiæ in eadem regione habitantes in civitatem coëunt, imperium in tota ista regione, quo vacabat, conjunctim occupant.* Perinde est, sive familiæ in eadem regione habitantes, postquam jam antea singulæ partes quasdam occuparunt, seu occupatio facta fuerit per fundos, in civitatem coëant, sive postquam in societatem coiverunt regionem occupent per universitatem (§. 196. *part. 2. Jur. nat.*): dominium enim fundorum semper distinctum manet ab imperio, nec hoc ullo modo afficit. Quamobrem eodem prorsus, quo ante (§. 85.), modo patet, si familiæ in eadem regione habitantes in civitatem coëunt, eas imperium in tota ista regione, quo vacat, occupare.

Occupatio facta supponitur per fundos, si ante imperium civile concipiantur familiæ segregatæ, sive domus liberæ: quæ enim non occupata sunt, in communione primæva relicta sunt. Enimvero quando in civitatem coëunt, imperium occupatur in ea regione & cum eo simul occupantur loca a dominio adhuc vacua, quæ jam subjiciuntur dominio universorum, ac ideo populi sunt.

§. 87.

De occupatione regionis. *Si tota quædam regio a Gente quadam occupatur; quæ in singulos non dividuntur, ea universorum sunt.* Etenim si tota quædam regio a Gente quadam occupatur, qui Gentem faciunt conjunctim dominium acquirunt (§. 189. *part. 2. Jur. nat.*), atque ideo tota regio est Gentis illius (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam vero ea fiunt singulorum, quæ in singulos dividuntur (§. 191. *part. 2. Jur. nat.*); quæ in singulos non dividuntur, ea manent in dominio totius Gentis, adeoque universorum sunt (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*).

Gens

Gens spectatur tanquam persona una (§. 2.). Quæ igitur occupat, ea sunt in dominio ipsius (§. 175. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter si ad actum occupationis nullus alius accedat, omnibus non competit nisi usus rerum occupatarum indifferenter, prouti scilicet unicuique opus fuerit. Quamobrem solo occupationis actu non introducitur nisi communio mixta (§. 129. *part.* 2. *Jur. nat.*): a qua non receditur nisi conventione vel expressa, vel tacita, qua alia transeunt in dominia singulorum, alia in communionem positivam (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*), quæ vero dominio singulari non subjiciuntur, vel communioni positivæ, ea in mixta relinquuntur. Quodsi vero quædam fuerint in dominio singulorum, antequam imperium in regione occupetur, hoc est, antequam familiæ in civitatem coëunt; cum imperio occupantur cetera, quæ adhuc fuerant in communione primæva (§. 7. 9. *part.* 2. *Jur. nat.*) & in mixtam reducuntur, ex qua ut ante vel in dominia singulorum, vel in communionem quandam positivam transeunt, vel in mixta relinquuntur. Quodsi quædam non occupentur, ea manere in communione primæva, per se patet: quo inprimis spectat jus occupandi res dominio vacuas, veluti feras & pisces, aliasque inanimatas, veluti thesauros, metalla & mineralia, & res omnes a domino derelictas, sive casu quadam dominio exemtas: de quibus abunde diximus cap. 2. part. 2. Jur. nat.

§. 88.

Quæ facta occupatione in communione primæva relicta sunt, a JCtis Romanis dicuntur *Res communes*; quæ in communionem mixtam Gentis totius deducta & in ea manserunt, *Res publicæ*; quæ in communionem quandam certorum cœtuum, aut communitatum mixtam venerunt, *Res universitatis*; quæ denique dominio singulorum subjecta fuerunt, *Res singulorum* apellantur. *De rerum divisione.*

In-

Intricata vulgo habetur divisio rerum a Romanis facta, præserrim si res communes a publicis distinguendæ. Quodsi vero perpendas ea, quæ modo diximus de occupatione regionum (*not.* §. 87.); per nostras definitiones res omnes a se invicem, prouti a Romanis dividuntur, satis perspicue distinguuntur, ut nihil obscuritatis supersit. Facile autem patet, multum hic tribuendum esse arbitrio occupantium, ubi enumerandæ sunt res in specie ad hoc vel istud genus pertinentes. Apud Romanos habebantur communes aër, aqua profluens, mare, littora, pisces, aves ac feræ: res enim hæ omnes in communione primæva ab ipsis relictæ sunt. Res publicæ erant flumina omnia, quippe quæ in dominio populi sunt, quoad usum tamen singulis communia censebantur, ita ut cuilibet pro lubitu in iis piscari & navigare liceret. Res universitatis erant theatra, stadia & his similia, veluti fontes, forum, curia, plateæ in urbibus. Huc etiam hodie pertinent in pagis pascua, silvæ cæduæ, nemora communia. Referenda etiam huc sunt templa & res ecclesiasticæ in urbe, vel pago. Res hæ omnes sunt in communione mixta certorum cœtuum, quatenus proprietas est penes certam universitatem, usus autem singulis patet, qui sunt de universitate. Quoniam vero hæc jura facto hominum immutari possunt, prouti inter eos, quorum sunt, convenitur, & quia usus rerum vel universis, vel singulis competit; ideo subtilius adhuc res universitatis subdistingui poterant, ac inde enatæ sunt difficultates, quæ torquent Juris Romani interpretes. Ita vi conventionis ad communionem positivam accedere videntur, quæ per se ad mixtam referenda erant, veluti si in pascuum commune singulis agere non licet nisi certum pecudum numerum, aut fœnum in prato communi nascens certa ratione inter singulos distribuendum. Communio autem mixta nihil mutationis subit, si unicuique eam lignorum quantitatem cædere licet, qua indiget, aut in prato communi gramina falce resecare pro indigentia sua, vel etiam in pascuum commune tot pecora agere, quot libuerit. Similiter usus templorum com-

communis respicit universos, ast usus pratorum & pascuorum communium ad singulos pertinet. Immo rerum quoque illarum usus, quem nonnisi universi habere possunt, vel directe universorum est, vel indirecte. Illius exemplum sunt templa, in quibus conjunctim sacris vacant universi; hujus vero sunt bona ad sustentationem pastoris ecclesiæ assignata, quorum usus nonnisi indirecte uniuersorum est. Similis differentia attendenda quoque venit in rebus publicis: id quod fusius persequi superfluum existimamus. Quodsi vero hæc probe consideres in definitionibus nostris, qua res occupatas a Gente discrevimus, nihil obscuritatis, nihil difficultatis superesse videtur. Si vero subtilius eas subdistinguere libuerit, non refragabimur. Difficulter tamen in sermone latino reperientur vocabula ad res ita discretas significandum apta.

§. 89.

De modo acquirendi derivativo res universitatis.

Quilibet ex re sua rem universitatis sive directe, sive indirecte talem facere potest; vel simpliciter, vel sub certa lege, quomodo visum fuerit. Quilibet enim dominium rei suæ transferre potest in alium, quem voluerit (§. 12. *part. 3. Jur. nat.*), & quocunque modo voluerit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem etiam dominium rei suæ in certum quendam coetum hominum, seu communitatem transferre potest, quomodo ipsi visum fuerit, consequenter cum res universitatis sint, quæ in communionem quandam mixtam, sive directe, sive indirecte talem veniunt (§. 88.); quilibet ex re sua rem universitatis sive directe, sive indirecte talem facere potest, vel simpliciter, vel sub certa lege, quomodo visum fuerit.

Ita dominus rem suam universitati donare, aut vendere, vel moriens legare potest, immo etiam universitatem quandam hæredem instituere. Atque hinc patet, non modo originarie res universitatis acquiri; verum etiam dari modum acquirendi

res universitatis derivativum (§. 176. 177. *part.* 2. *Jur. nat.*) Huc etiam pertinet, si quis suo sumtu extrui curet fontem in foro, vel alia area, quæ est universitatis, ad communem usum.

§. 90.

De alienatione & oppignoratione rerum universitatis.

Res universitatis ab universitate alienari nequeunt pro lubitu, nec oppignorari, nisi indispensabilis adsit necessitas, aut manifesta universitatis utilitas id suadeat. Quoniam ecclesia particularis est universitas quædam, seu communitas (§. 484. *part. 8. Jur. nat.*), res autem ecclesiasticæ sunt naturaliter ecclesiæ particularis in certo quodam loco (§. 507. *part. 8. Jur. nat.*); eædem res universitatis sunt (§. 88.). Quamobrem eodem modo demonstratur, res universitatis alienari & oppignorari pro lubitu non posse, quo idem ostendimus de rebus ecclesiasticis (§. 510. 516. *part. 8. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Eodem etiam modo patet, quod in casu indispensabilis necessitatis alienare, vel oppignorare liceat, quo idem de rebus ecclesiasticis evicimus (§. 514. 516, *part. 8. Jur. nat.*). *Quod erat secundum.*

Denique si manifesta universitatis utilitas suadeat, rem universitatis alienari, vel oppignorari, cum nihil fiat in præjudicium universitatis pro tempore futuro, sed eidem potius consulatur; nihil obstat, quo minus alienatio & oppignoratio fieri possit, quippe cum alienationi & oppignorationi nihil obstet, quam præjudicium, quod universitati sit pro tempore futuro, quemadmodum apparet ex demonstratione de restrictione juris ecclesiæ in rebus ecclesiasticis (§. 511. *part. 8. Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Cum

Cum in Jure publico universali de rebus ecclesiasticis ageremus, de rebus publicis, quas ad Jus Gentium referre debuimus, nihil adhuc dictum erat. Quamobrem fieri non poterat, ut, quæ de alienatione & oppignoratione rerum universitatis tenenda sunt, primum demonstraremus, & deinde eadem ad res ecclesiasticas applicaremus; sed demonstratio generalis ad casum specialem applicanda erat. Neque hoc aliquid vitii habet. Ita *Euclides* cum in Elementis de circulo tanquam specie quadam curvarum ageret, quæ de omnibus curvis valent, in specie de circulo demonstrat, & ejus exemplo *Apollonius* eadem de singulis sectionibus conicis evincit. Poterant autem eodem modo in genere de curvis eadem demonstrari, & deinde ad circulum & sectiones conicas tanquam ad species sub genere contentas applicari, prouti deinceps generales demonstrationes dedit *Barrovvius* in Lectionibus Geometricis. Si rationes fuerint, cur de specie quadam agendum sit, antequam de genere agatur; aliter fieri nequit, quam ut, quæ in genere demonstrari poterant, in specie etiam ita demonstrentur, ut demonstratio generalis tantummodo ad speciem applicetur. Atque hinc contingit, in genere eodem modo demonstrari quid posse, quomodo idem in specie demonstratum fuit. Talia in gratiam eorum moneri consultum ducimus, quibus accurata methodus curæ cordique est, & ut avertantur præcoces sciolorum censuræ, qui sibi reperisse videntur non quod pueri in faba, si taxent ea, quæ defectu acuminis non satis intelligunt.

§. 91.

An ad alienationem & oppignorationem requiratur consensus Rectoris civitatis.

Si res universitatis ab universitate alienari vel oppignorari urgeat necessitas, aut manifesta suadeat utilitas; id fieri non debet sine consensu superioris, seu Rectoris civitatis. Quoniam enim Rectori civitatis competit jus vi adigendi subditos, ut minimum actus externos ad legem naturæ compoant (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*); is quoque permittere non debet, ut universitates

tes res, quæ sunt universitatis, pro lubitu alienent & oppignorent, cumque id facere non liceat nisi in casu extremæ necessitatis, aut manifestæ utilitatis, (§. 90.), de necessitate & utilitate cognoscere debet Rector civitatis. Quamobrem si res universitatis ab universitate alienari, vel oppignorari urgeat necessitas, aut manifesta suadeat utilitas; necesse est ut id fiat consensu superioris (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.)*, consequenter sine ipsius consensu alienatio, vel oppignoratio fieri non debet.

Ad publicam omnino utilitatem pertinet prospicere, ne res universitatis alienentur, vel oppignorentur in præjudicium universitatis pro futuro tempore, & ne qui nunc universitatem faciunt jure quodam privent eos, qui eandem facient tempore futuro, cum jus eorum imminuant. Cura autem utilitatis publicæ ad alium non pertinet, nisi ad superiorem, seu Rectorem civitatis, cui etiam subsunt actiones eorum, qui universitatem faciunt, quatenus finem civitatis respiciunt. Universitates, cum ex distantibus constent (§. 489. *part. 8. Jur. nat.*) ac ideo eædem maneant, etiamsi decedentibus aliis alii in eorum locum succedant (§. 494. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiamsi omnes fuerint mortui, qui nunc in universitate sunt, hoc respectu minorennibus æquiparantur (§. 768. *part. 7. Jur. nat.*), qui curatore opus habent in administratione bonorum suorum (§. 842. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter sine curatoris consensu res suas alienare, vel oppignorare nequeunt. Curatoris itaque vicem gerit superior, seu Rector civitatis. Hæc vero etiam ratio est, cur leges civiles universitatibus conferant jura minorum. Solent etiam universitates æquiparari pupillis, quorum tutor est Rector civitatis. Obligatio naturalis non alienandi vel oppignorandi res universitatis in præjudicium futuri temporis non sufficit, ut eidem pro futuro tempore sufficienter prospiciatur. Quamobrem necesse est, ut accedat vinculum externum, quale est, si validitas

actus

actus alienandi vel oppignorandi suspendatur a voluntate superioris, seu Rectoris civitatis.

§. 92.

De dominio eminente in res universitatis.

Rectori civitatis competit dominium eminens in res universitatis. Etenim Rectori civitatis competit dominium eminens in res civium (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum res universitatis etiam sint res civium (§. 88. *h.* & §. 6. *part. 8. Jur. nat.*); Rectori civitatis competit dominium eminens in res universitatis.

Dominium eminens non confundendum est cum jure Rectoris civitatis, a quo dependet consensus in alienationem & oppignorationem (*not.* §. 91.), quemadmodum ex effectu apparet (§. 93.).

§. 93.

Ejus effectus.

Quoniam Rectori civitatis competit dominium eminens in res universitatis (§. 92.), vi dominii autem eminentis salutis publicæ causa in casu necessitatis de rebus propriis civium disponere is potest (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*); *Rector civitatis* quoque *de rebus universitatis salutis publicæ causa disponere potest in casu necessitatis.*

Respectu utilitatis publicæ utilitas universitatis seu communitatis cujusdam habetur pro privata, sicuti & ipsæ res universitatis cujusdam respectu totius civitatis, seu Reip. pro rebus privatis habentur, etsi alio respectu publicæ quoque dicantur & dici possint (§. 23. *part. 8. Jur. nat.*). Atque hinc elucet differentia dominii eminentis Rectori civitatis competentis in res universitatis a jure in eas alias ipsi competente, quam modo diximus (*not.* §. 92.). Vi nimirum dominii eminentis consulitur utilitati publicæ, seu totius civitatis, jure autem reliquo nonnisi utilitati universitatis, seu illius coetus, cujus

sunt res. E. gr. ponamus in urbe aliqua esse granarium publicum, quod ejus defendendæ causa sit destruendum. Id destruere licet vi dominii eminentis, cum intersit Reip. ut urbs optime defendatur.

§. 94.

De usu rerum universitatis. *Rebus universitatis singuli, qui in ea sunt, utendi ac fruendi jus habent & usus vel indifferenter patet singulis, prouti commodum unicuique visum fuerit, vel certa lege circumscriptus.* Quoniam enim res universitatis sunt in communione mixta certorum coetuum, aut communitatum (§. 88.), quæ autem in communione mixta sunt, earum proprietas competit universitati, singulis autem usus earundem indifferenter, prouti scilicet unicuique opus fuerit (§. 129. *part. 2. Jur. nat.*); rerum quoque universitatis usus singulis, qui in ea sunt, indifferenter patet, prouti unicuique commodum visum fuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero quodsi res eum usum non admittat, qui unicuique commodus visus fuerit, necesse est ut certa lege circumscribatur, de qua inter singulos convenitur. Cumque de usu rerum universitatis singuli conjunctim tanquam de re sua disponere possint pro lubitu (§. 118. 216. *part. 2. Jur. nat.*); inter se quoque ob rationes quascunque convenire possunt de modo, quo rebus istis sit utendum & hoc pacto lege quadam usum earundem circumscribere. Quamobrem cum pactis sit standum (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); in hoc casu rebus universitatis singuli uti non possunt nisi ea lege, qua usus circumscriptus. *Quod erat alterum.*

Ita in sylvis cæduis, quæ sunt pagi alicujus, singuli tantam lignorum copiam cædere possunt, quanta indigent, si quidem sufficiens fuerit lignorum copia. Quodsi vero in casu opposi-

to

to certa lege definitum fuit, quantam unicuique cædere liceat; ea quoque unusquisque contentus esse debet. Ast in theatro publico singulis civibus spectare licet, prouti commodum visum fuerit. Et eodem modo singuli in campo jaculatorio jaculari, in balneo publico lavare possunt.

§. 95.

Quinam ab eo prohibeantur.

Rebus universitatis nemo uti potest, qui extra niversitatem est, nisi id eidem consensu universitatis concedatur. Etenim res universitatis sunt in communione mixta universitatis (§. 88. *h.* & §. 112. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum qui in communione mixta sunt jure suo excludant omnes, qui sunt extra universitatem (§. 130. *part. 2. Jur. nat.*); rebus quoque universitatis nemo uti potest, qui extra universitatem est. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen de usu disponere pro lubitu possunt omnes conjunctim, quemadmodum modo demonstravimus (§. 94. *n. 2.*); quin aliquem rerum universitatis usum, qui in universitate sunt, communi consensu extraneo concedere possint, dubitandum non est. *Quod erat secundum.*

Ita nemo in pascuo communi pecudes pascere potest, vel gramina in prato communi resecare falce, qui est extra universitatem, nisi id ipsi ab universitate concedatur. Nihil vero obstat, quo minus concedi possit, cum eorum tantummodo intersit, qui nunc in universitate sunt, ne quis extra eandem pecudes suas in pascuo communi pascat, vel in prato communi gramina falce resecet.

§. 96.

De usu convenienté rei universi-

Nemo qui est in universitate prohiberi potest citra injuriam, quo minus re universitatis utatur eo modo, qui ipsi convenit. Ponamus

tatis prohibito. mus enim aliquem, qui est in universitate, arceri ab usu rei universitatis, qualem lex, qua is definitur, permittit. Cum singuli, qui in universitate sunt, habeant jus utendi fruendi re universitatis vel indifferenter, prouti commodum visum fuerit, vel ea lege, qua usus circumscriptus (§. 94.); invito aufertur jus suum. Enimvero invito auferri nequit jus suum (§. 336. *part. 2. Jur. nat.).* Ergo etiam nemo, qui est in universitate, prohiberi potest, quo minus re universitatis utatur eo modo, qui ipsi convenit. *Quod erat unum.*

Quoniam igitur si prohibetur, jus ejus tollitur, *per demonstrata*, consequenter id fit contra jus ipsius (§. 239. *part. 1. Phil. pact. univ.)*, quanodo vero quis facit, quod est contra jus ipsius, injuriam ei facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.);* si quis in universitate prohibeatur, quo minus re universitatis conveniente modo utatur, injuria ipsi fit. *Quod erat alterum.*

Ita citra injuriam prohiberi nequit, ne quis in sylva cædua lignorum quantitatem cædat, quam singulis, qui in universitate sunt, lex permittit, aut ne cædat pro indigentia sua, si indifferenter fuerit permissum unicuique eam lignorum quantitatem cædere, qua indiget.

§. 97.

An jus in re universitatis in alium transferri possit. *Naturaliter nil obstat, quo minus quis jus suum, quod habet in re universitatis, pro lubitu in alium quemcunque & quocunque libuerit modo transferat: potest tamen aliter conveniri.* Etenim cum unusquisque jus suum quodcunque in alium quemcunque pro lubitu (§. 12. *part. 3. Jur. nat.)* & eo, quo visum fuerit, modo transferre possit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.)*, naturaliter quoque nihil obstat, quo minus jus, quod quis in re uni-

ver-

versitatis habet, pro lubitu in alium quemcunque & quocunque libuerit modo transferat. *Quod erat unum.*

Quoniam vero quod licitum est, ad id agendum non obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter necesse non est, ut faciamus (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); libertati nostræ relictum est, ut faciamus, vel non faciamus, prouti commodum visum fuerit. Quamobrem etsi naturaliter nil obstet, quo minus quis jus suum, quod habet in re universitatis, pro lubitu in alium quemcunque & quocunque libuerit modo transferat, *per demonstrata n. 1.* potest tamen aliter conveniri. *Quod erat alterum.*

Patet itaque naturaliter jus re universitatis non minus in extraneum, quam in consocium, seu alium, qui in eadem universitate est, transferri posse non minus titulo lucrativo, veluti si gratis concedatur, vel oneroso, veluti si concedatur, ut vicissim aliquid præstetur, tam ad certum tempus, quam revocabiliter, sive integrum, sive pro parte. Ita si quis in pascuo communi pascere potest centum oves, alteri concedere potest, ut pascat triginta, ipse vero septuaginta. Similiter fœnum ex prato communi sibi debitum vendere, vel donare potest alteri, aut cum re alia permutare. Enimvero si ita fuerit institutum, ut ultra centum oves pascere nequeat in pascuo communi, nec pascere possit nisi suas; etiamsi quinquaginta saltem habeat oves, non tamen alteri concedere potest, ut alias quinquaginta ibidem pascat, neque jus suum pascendi oves centum locare alii potest. Facile autem patet, in hoc casu jus pascendi oves quinquaginta, qua non utitur, minime accrescere ceteris, quippe qui nec ipsi ultra numerum definitum pascere possunt.

§. 98.

De proprietate & usu

Res publicæ sunt in dominio totius populi, omnibus vero nonnisi indifferenter competit usus earundem, prouti scilicet unicuique eo-

rerum publicarum. dem opus fuerit. Etenim res publicæ in communionem mixtam totius Gentis seu populi deductæ sunt & in ea manserunt (§. 88.). Quamobrem cum res in communione mixta sint in dominio universitatis, omnibus tamen non competit nisi usus earundem indifferenter, prouti scilicet unicuique eodem opus fuerit (§. 129. *part. 2. Jur. nat.);* res publicæ sunt in dominio totius populi, omnibus vero nonnisi indifferenter competit usus earundem, prouti scilicet unicuique eodem opus fuerit.

Ita e. gr. flumen est in dominio totius populi, seu res populi propria, quilibet tamen e populo pro lubitu in eodem navigare & piscari potest, nisi jus piscandi fuerit occupatum & vel in dominium privati, vel universitatis cujusdam cesserit. Notandum vero est flumen non confundendum esse cum aqua profluente. Etsi enim flumen consistat ex alveo & aqua, aqua tamen non spectatur tanquam profluens, sed quatenus alveum implet. Unde aqua profluens proprie dicitur, quæ nunc est in hac alvei parte, veluti dum hauritur, non vero quatenus continuo alia aliaque eandem alvei partem implet. Hoc enim respectu ad flumen pertinet. Atque ideo non implicat aquam profluentem esse communem, quæ in nullius dominio est (§. 88.); flumen autem, quod sine aqua non concipitur, esse totius populi, seu in dominio ejusdem, vi præsentis, & quod usus aquæ profluentis pateat hominibus omnibus, quacunque ex Gente sint, usus autem fluminis ad certam Gentem restringatur. Ea nimirum differentia est inter res communes & res publicas, ut illæ sint in dominio nullius, hæ vero in dominio certæ cujusdam Gentis, usus vero illarum sit omnium hominum communis, harum vero usus comunis alicujus saltem populi. Manifesta vero etiam est differentia, quæ inter res publicas & res universitatis intercedit. Publicæ nimirum sunt in dominio totius populi & omnibus usus earum indifferenter patet, *vi præsentis*; ast res universitatis sunt in dominio certi cujusdam cœtus seu communitatis, & usus

usus communis est singulis, qui sunt in isto cœtu, seu communitate (§. 88. 94.). Differunt itaque res publicæ a rebus universitatis, quemadmodum magis generales a specialibus. Quodsi cœtum quendam hominum spectes tanquam populum, cum uterque sit universitas quædam (§. 112. *part. 2. Jur. nat.*); vi principii reductionis quæ de rebus universitatis demonstrantur facile suo modo applicantur ad res publicas.

§. 99.

De dominio rerum publicarum in Rectorem civitatis translato.

Quoniam res publicæ sunt in dominio totius populi (§. 98.); *populus quoque rerum publicarum dominium in Rectorem civitatis transferre potest* (§. 12. *part. 3. Jur. nat.*), *usu tamen vel omni, vel saltem aliquo manente penes populum.*

Ita dominium fluminis in Rectorem civitatis transferi potest, usu navigandi & piscandi, pecora ad flumen appellendi & ibi potandi lavandique manente apud populum, vel jus etiam piscandi Rectori civitatis adscribi potest, ut de eo disponat, quemadmodum visum fuerit. Similiter viarum publicarum dominium in Rectorem civitatis transferri potest usu eundi & vehendi manente apud populum.

§. 100.

De modo utendi re publica.

Quilibet re publica ita uti debet, ne usui publico, seu omnium communi ullo modo noceatur. Usus enim rei publicæ omnibus indifferenter competit, prouti scilicet unicuique eodem opus fuerit (§. 88.) Quodsi ergo quis re publica ita utatur, ut usui publico omnibus communi quocunque modo noceatur; id fit contra jus omnium commune (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo quid facere debeat contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*); nemo quoque re publica ita uti debet, ut usui publico, seu omnium communi ullo modo noceatur.

Ita nemini licet molem in fluvium injicere, vel molendinum in eo extruere, vel aquam ducere in praedium ſuum, quia navigatio redditur deterior, ſive id ipſum navigabile ſit, ſive aliud navigabile faciat. Ædificare in flumine publico etiam ea de cauſa non licet privato, quia fundus eſt totius populi, in quo privatus nullum jus habet, cui tantummodo competit jus ad uſum ceteris, qui de populo ſunt, minime nocuum. Similiter ſi quis agrum viæ publicæ adjacentem foſſa cingere velit; foſſam effodere debet in agro ſuo, nullo ſpatio de via publica detracto, nec terræ molem, quæ effoditur, in via publica aggerere licet.

§. 101.

De jure piſcandi privato in flumine publico.

Si jus piſcandi dominio privato ſubjicitur, ipſum tamen flumen publicum manet. Etenim uſus fluminis publici, quorum in numero piſcatio eſt, tales ſunt, ut unus ſubſiſtere poſſit ſine altero. Quamobrem nihil obſtat, quo minus uſus aliquis fiat privatus, ceteris manentibus communibus. Quoniam itaque jus piſcandi dominio ſubjici poteſt (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*); ſi jus piſcandi dominio privato ſubjicitur, mininime inde ſequitur, ipſum flumen eſſe in dominio privato. Quare ſi id ſolum dominio privato ſubjicitur, ipſum flumen publicum manet (§. 88.).

Piſces in flumine proprie res communes ſunt (§. 88.); jus vero eos occupandi, conſequenter jus piſcandi dominio ſubjici poteſt (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), & naturaliter cum ipſo flumine a populo occupatum videtur. Et ea de cauſa jus piſcandi abiit in rem publicam perinde ac flumen (§. 88.), ac propterea piſcatio ad uſum fluminis relata, perinde ac ſi avium in aëre volitantium occupationem ad uſum aëris, aut ſi in agris fiat ad agrorum uſum referre velis. Quamobrem nil obſtat, quo minus flumina fiant res publicæ, & jus piſcandi maneat res communis, ita ut cuilibet etiam peregrino in flumine publico piſcari liceat. Atque eodem modo jus piſcandi fieri pot-

potest privatum, ipso flumine manente re publica. Pisces per se ad flumen non pertinent, sicuti nec aves ad aërem, in quo volitant, vel ad agros, quibus insident, nec feræ ad sylvas, in quibus circumvagantur. Usus igitur fluminis qua talis distinguendus est ab eo, quem habere potest, quatenus eidem occupabilia insunt.

§. 102.

Rectori civitatis imperium in locis publicis & dominium eminens in rebus publicis competit. Imperium civile, quod Rector civitatis exercet (§. 42. *part. 8. Jur. nat.)*, proprie est jus in actiones singulorum de populo, quatenus ad commune civitatis bonum, seu publicum refertur (§. 35. *part. 8. Jur. nat.)*. Et quoniam populus regionem occupando suam fecit (§. 175.*part.2.Jur.nat.)*; imperium exercendum in qualibet ejus parte, seu ubivis locorum, sive ea in privata dominia transierint, sive publica manserint. Rectori igitur civitatis imperium competit in quovis loco, qui ad res publicas referendus. *Quod erat primum.* *De imperio & dominio eminente in rebus publicis.*

Quod vero dominium eminens habeat in rebus publicis, eodem modo patet, quo idem de rebus universitatis ostendimus (§. 92.). *Quod erat alterum.*

Ita imperium Rector civitatis habet in fluminibus & viis publicis, in locis desertis, seu nondum cultis, etsi dominium istarum rerum sit penes populum, nec intelligatur in Rectorem civitatis translatum (§. 99.). Imperium enim a dominio semper distinctum manet, nec duo hæc jura unquam necessario per se cohærent. Quamvis itaque dominium rerum publicarum sit penes Rectorem civitatis, non tamen ideo imperium eidem in locis publicis competit, quod per se ad omnia loca extenditur, quatenus in iis homines certas actiones edere possunt, in quas jus est imperium habenti. Quemadmodum ve-

ro dominium eminens tanquam pars potentialis in ipſo imperio continetur (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*); ita confundendum non eſt cum dominio rerum publicarum a populo in Rectorem civitatis translato (§. 99.), & quæ vi hujus facere poteſt, ea probe diſtingvenda ſunt ab illis, quæ vi dominii eminentis fiunt: id quod tenendum, ſi ſingula accurate demonſtrare & genuinas omnium eorum, quæ Rector civitatis facit quoad res publicas, rationes aſſequi volueris. Quælibet enim deducenda ſunt ex eo fonte, quo fluunt. Ceterum flumina publica & viæ publicæ duplici modo conſiderari poſſunt, vel quatenus homines in iis agere poſſunt, quæ ad illarum uſum minime ſpectant, veluti ſi quis alterum in flumine, aut via interficiat, vel plagis afficiat, aut injurias eidem dicat; vel quatenus certum præſtant uſum, veluti ut in flumine navigetur, aut pecora ad aquandum & lavandum ad id appellantur, & ut in via publica quis eat, aut vehat. Priori reſpectu flumina publica & viæ publicæ proprie ſunt loca publica; poſteriori autem reſpectu res publicæ (§. 88.). Ac ideo in iſtis imperium habet Rector civitatis tanquam in locis publicis, & loca publica pertinent ad territorium ejusdem (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*). Diſtinctio iſta cum fundetur in notionibus rerum (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*), & imperii; vi eorum, quæ modo dicta ſunt, non temere fingitur.

§. 103.

De effectu dominii eminentis in rebus publicis. Quoniam Rectori civitatis dominium eminens competit in rebus publicis (§. 102.), vi dominii autem eminentis diſponitur de rebus publicæ ſalutis cauſa in caſu neceſſitatis (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*); *Rector civitatis de rebus publicis ſalutis publicæ cauſa in caſu neceſſitatis diſponere poteſt, prouti ipſi viſum fuerit.*

Ita vi dominii eminentis commerciorum cauſa per alveum artificialem duo flumina navigabilia connectere poteſt, vel etiam aquas ex uno flumine in aliud ducere, ut id navigabile efficia-

efficiatur, etiamsi usui communi aliquo modo noceatur. Atque hinc clarius elucescit differentia, quæ intercedit inter dominium eminens in rebus publicis & dominium earundem, quod vel penes populum est, vel in Rectorem civitatis translatum (§. 98. 99.).

§. 104.

De legibus civilibus de usu rerum publicarum & universitatis ferendis.

Rector civitatis leges ferre potest de usu rerum publicarum & universitatis. Rector enim civitatis ex naturaliter licito lege civili debitum vel illicitum; ex eo autem, quod imperfecte debetur, perfecte debitum facere potest, prouti fini civitatis convenit (§. 977. *part. 8. Jur. nat.)*, &, si quid pluribus modis fieri potest, ut hoc vel illo modo fiat præcipere potest (§. 978. *part. 8. Jur. nat.).* Quamobrem cum usus rerum publicarum & universitatis naturaliter licitus sit (§. 94. 99. *h.* & §. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.)*, & usus iste pluribus modis fieri possit, prouti a posteriori abunde constat; Rector quoque civitatis de usu rerum publicarum & universitatis leges ferre potest, quibus vel ex licito fit illicitum, vel debitum, vel ex imperfecte debito perfecte debitum & quibus usus illarum certo modo definitur.

Ita leges fere potest de piscatione in fluminibus, veluti ut prohibeatur piscatio communis in certa fluminis parte, vel ne pisciculi minores capiantur, nec uti liceat retibus, nisi ex quibus pisces non justæ magnitudinis elabi possunt, aut ut certo tempore piscatio sit illicita, alio debita. Cum adhuc alii dentur modi, quibus ex legibus naturalibus efficiuntur civiles, & quos (*c. 5. part. 8. Jur. nat.*) in theoria naturali legum civilium demonstravimus, præter eos, ad quos provocavimus in demonstratione; facile patet, multas admodum leges non modo de piscatione, verum etiam de usu omni rerum quarumcunque publicarum & universitatis ferri posse. Dum vero de re-

rebus publicis & univerſitatis agimus, in generalibus ſubſiſtimus, nec ad ſpecialia deſcendimus, quæ plerumque per modum corollarii inde inferri, aut non nimis difficili demonſtratione deduci poſſunt. Quodſi enim ad res publicas & univerſitatis in ſpecie deſcendere vellemus; tractatio foret prolixior, quam præſens fert inſtitutum Neque etiam mirum videri debet, ſi poteſtatem legislatoriam extendamus ad uſum rerum communium vel totius gentis, vel univerſitatis cujusdam alterius. Etenim ea quoque ſeſe exerit circa dominia privata, ſeu uſum rerum privatarum. Imperio enim civili ſubjacent omnes actiones ſubditorum, quatenus ad finem civitatis quomodocunque referuntur, & leges non ſunt niſi media, quibus finis civitatis obtinetur, conſequenter præſcribunt, quomodo ſubditi actiones ſuas ad finem civitatis dirigere debeant. Abſonum itaque foret, ſi quis uſum rerum publicarum vel univerſitatis poteſtati legislatoriæ ſubducere vellet, ut cuilibet relinquatur liber abuſus earundem, aut quod in uſu fini civitatis contrariatur.

§. 105.

De uſu conveniente rei publicæ prohibito.

Nemo de populo prohiberi poteſt citra injuriam, ne re publica modo conveniente utatur. Oſtenditur eodem modo, quo idem de uſu rei univerſitatis demonſtravimus (§. 96.).

Ita nemo prohiberi poteſt, ne eat in via publica, aut vehat, vel ne in publico flumine naviget. Notavimus jam ſupra (*not.* §. 98.), res publicas ad res univerſitatis reduci poſſe, cum totus populus etiam ſit univerſitas quædam (§. 112. *part.* 2. & §. 5. *part.* 8. *Jur. nat.*).

§. 106.

De flumine duo territoria diſterminante.

Si flumen duo territoria diſterminat, dominium & imperium in flumine erit ejus Gentis, quæ prior id occupavit: dominia & imperia Gentis utriusque ad medietatem fluminis utrinque pertingunt, ſi ſimul

simul occupant, & in casu dubio hoc præsumitur. Quodsi res pactionibus definita, iis standum. Etenim occupando acquiritur dominium originarie (§. 178. *part. 2. Jur. nat.*), &, si Gens quædam regionem vacuam occupat, imperium in ea simul occupat (§. 85.). Quodsi ergo flumen duo territoria disterminat, & Gens una idem prior occupavit; dominium & imperium in flumine toto erit istius Gentis. *Quod erat primum.*

Quodsi duæ Gentes regiones, quod flumen disterminat, eodem tempore occupent, cum fluminum usus utriusque utilitati serviat, hoc quoque simul occupasse intelliguntur. Ac ideo cum naturaliter utriusque Gentis æquale jus sit (§. 78. 81. *part. 1. Jur. nat.*); dominia & imperia utriusque Gentis ad medietatem fluminis utrinque pertingunt *per demonstrata n. 1. Quod erat secundum.*

Quodsi non constet, utrum Gens una prior flumen occupaverit, nec ne, neque etiam num pactionibus de dominio & imperio in flumine aliquid definitum fuerit; id præsumendum, quod magis naturale est. Quamobrem cum natura Genti nulli prærogativam tribuat præ altera (§. 94. *part. 1. Jur. nat.* & §. 2. *h.*), naturali autem æquitati maxime conveniat, ut dominia & imperia ad medietatem fluminis usque utrinque pertingant; hoc in casu dubio præsumitur. *Quod erat tertium.*

Denique cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 2. Jur nat.*); quicquid de dominio & imperio in flumine pactionibus fuerit definitum, eo standum. *Quod erat quartum.*

Cum nostra tempora longissime absint a prima occupatione; vix dabitur in præsenti casu Jus Gentium aliud, quam pactitium. Equidem concipi quoque poterat casus, quo Gentes utriusque ripæ ejusdem fluminis accolæ flumen reliquerint

in communione primæva, vel idem fecerint rem utrique Genti communem; ast cum uterque casus non satis conveniat imperio, quod facile assequi datur, vix dabilis erit, nec difficulter pro moraliter impossibili habetur. Facilius admittitur flumen dominio, quam imperio vacuum, & communio positiva quoad usum fluminis, quam imperii. Ast cum in utroque casu facillime oriantur difficultates nimium molestæ; hæ ipsæ Gentes permovent, ut certi quid pactionibus inter se definiant. Patet vero, sive flumen fuerit Gentis unius, sive utriusque dominia & imperia utrinque ad medietatem ejus pertingant, de usu fluminis & exercitio imperii in eodem varia conveniri posse, quæ tum juris sunt pactitii (§. 23.).

§. 107.

De alveo fluminis derelicto.

Si flumen, quod duo territoria disterminat, derelicto alveo veteri alia irruperit; in alveo dominium & imperium retinet Gens, quod habuerat in flumine, & dominia & imperia utrinque ad medietatem alvei pertingunt, si ad medietatem fluminis pertingebant. Etenim naturalis alveus a flumine ad aliam partem fluente derelictus ejus manet, a quo ante fuerat occupatus (§. 372. *part. 2. Jur. nat.).* Quamobrem si dominium & imperium in flumine, quod duo territoria disterminat, fuerit penes Gentem unam; ubi alveus derelinquitur a flumine, dominium & imperium hujus Gentis in eodem subsistit. *Quod erat unum.*

Et eodem modo patet, dominia & imperia utriusque Gentis ad medietatem alvei pertingere debere, si antea ad medietatem fluminis peringebant. *Quod erat alterum.*

Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 3. §. 17. hanc reddit rationem, quod ea mens populorum fuisse censenda sit, ut, si flumen esse desiisset, tum quisque teneret, quod tenuisset. Ast non

non opus esse videtur, ut rationem e longinquo petamus. Cum enim flumen constet ex alveo & aqua profluente; quale jus in flumine Gens habet, tale etiam in alveo habet. Quamobrem etiamsi flumen ad aliam partem fluens alveum in universum derelinquat, consequenter intereat, ut nullum amplius flumen sit, ubi ante fuerat; nulla tamen ratio est, quæ jus in parte, quod adhuc superest, tollat. Sane si ædificium conflagrat, jus tuum in fundo interitu ejus minime tollitur, sed dominium in eo retines. Par utique ratio est, si flumen alveum in universum derelinquat.

§. 108.

Si territoria, quæ flumen disterminat, fuerint arcifinia; Gentes utrinque jus alluvionis habent. Patet eodem modo, quo idem ostendunus de agro arcifinio (§. 363. *part. 2. Jur. nat.*). *De territoriis arcifiniis.*

Nimirum quod alluvione territorio alterutri adjicitur, ad territorium pertinet, cui adjicitur. Damnum, quod patitur Gens oppositæ ripæ accola, ex interitu rei suæ nascitur, nec dici potest, Gentem, quæ jus alluvionis habet, locupletiorem fieri ex re alterius: id quod juri naturæ repugnat (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*). Vide, quæ ea de re annotavimus (*not.* §. 357. 358. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 109.

Quoniam Gentes, quorum territoria sunt arcifinia, jus alluvionis habent (§. 108.); alluvione non mutatur jus, quicquod in flumine habent, cum id tanquam terminus naturalis territoria disterminans (§. 362. *part. 2. Jur. nat.*), non intereat, sed subsistat, quacunque ex parte alluvio territorium augeat, vel minuat. Quamobrem *si flumen totum fuerit Gentis unius, facta alluvione dominium & imperium in toto retinet; si vero utrinque dominium & imperium ad medietatem pertingat, alluvione facta adhuc ad medietatem fluminis pertinget.* *An alluvione tum quicquam mutetur in jure fluminis.*

In casu dubio territoria, quæ flumine aliquo disterminantur, arcifinia præsumuntur, quoniam ad ea distinguenda nihil aptius est, quam id, quod non facile transitur. Ceterum quæ de fluminibus diximus, ea etiam intelliguntur de montibus, qui territoria disterminant, non autem eadem facilitate de sylvis, præsertim vastis: ubi res pactionibus definienda.

§. 110.

De ponte flumini pro parte dimidia ad Gentes accolas pertinenti imponendo.

Si flumen duo territoria disterminans pro parte dimidia pertinet ad Gentes utrinque fluminis accolas; pons eidem imponi nequit nisi utriusque consensu. Quoniam enim dominus jure suo, quod in re habet, excludit omnes alios, in quorum dominio res non est (§. 120. *part. 2. Jur. nat.);* Gens quoque, quæ dominium non nisi in dimidia parte fluminis habet, in parte dimidia altera, quæ ad Gentem vicinam pertinet, pontem extruere nequit. Quodsi ergo flumini pons imponendus, id fieri nequit nisi utriusque Gentis consensu.

Idem eodem patet de alio quocunque, quod fieri debet in parte dimidia ad Gentem vicinam pertinente, veluti si per transversum fluminis molendini extruendi causa agger excitandus.

§. 111.

De jure præventionis in usu rei publicæ, vel universitatis.

Si res publica, vel universitatis non admittit simultaneum omniam usum; qui actu utitur, eum alius ab usu depellere nequit, sed expectare debet, donec usus fuerit absolutus. Etenim si res publica, vel universitatis non admittit usum simultaneum, impossibile est ut uno eodemque tempore omnes, qui jus utendi habent, re utantur. Qui vero actu utitur, jure suo utitur. Quamobrem cum nemo hominum habeat jus impediendi alterum, quo minus jure suo utatur (§. 180. *part. 1. Phil. pract. univ.);* nemo quoque eum, qui actu utitur, ab usu depellere

re potest, consequenter etsi ipsi etiam competat jus utendi re ista, expectare tamen debet, donec usus fuerit absolutus.

Ita si quis ex puteo communi, qui res universitatis est, hauriat actu aquam, vel prior ad hauriendum accesserit, non potes eum depellere, ut prior haurias, sed expectandum, donec hauserit tibique locum fecerit. Similiter si quis in flumine publico actu piscetur, non potes eum depellere, ut in eo loco pisceris, sed expectare debes, donec piscari absoluta fuerit, si in eodem piscari velis.

§. 112.

Si res publicæ, vel universitatis non admittant usum nisi qui in abusu consistit, hoc est, si usus consistat in apprehensione rerum, quæ usu consumuntur; qui actu rem apprehendit, vel ad eam apprehendendam prior venit, is ab ea apprehendenda arceri nequit. *Idem porro expenditur.* Etenim si usus consistit in apprehensione istiusmodi rerum, quæ usu consumuntur; impossibile est, ut plures, qui jus utendi habent, eandem rem apprehendant. Quamobrem porro ut ante patet (§. 111.); qui actu rem apprehendit, vel ad eam apprehendendam prior venit, eum ab ea apprehendenda arceri non posse, ut tu eandem apprehendas.

Ita si in sylva cædua qui jus cædendi ligna habet actu cædit, vel ad ea cædenda prior venit; tu eum impedire nequis, ut hæc ligna cædat, propterea quod tu eadem cædere malles. Idem intelligitur, si quis gramina falce resecat in prato communi. Obtinet hic idem, quod in communione primæva juris est (§. 35. 36. *part. 2. Jur. nat.*). Usus enim rerum publicarum & rerum universitatis cum sit communis populo universo, ac singulis de universitate (§. 88.), imitatur usum rerum in communione primæva, immo cum eodem convenit.

§. 113.

Leges & pactiones de usu & conservatione rerum publicarum & universitatis faciendæ.

De usu rerum publicarum & universitatis ac conservatione earundem Rector civitatis leges ferre potest, prouti e re populi vel universitatis fuerit, & de usu rerum universitatis ac earum conservatione convenire quoque possunt pactis, qui sunt de universitate. Usus enim rerum publicarum ad commune bonum civitatis pertinet (§. 9. *part. 8. Jur. nat.* & §. 88. *h.).* Et cum universitates sint de civitate, usus quoque earundem ad bonum civitatis pertinet. Quamobrem cum leges civiles præscribant media, quibus bonum civitatis obtinetur (§. 969. *part. 8. Jur. nat.)*, & Rectori civitatis competat potestas legislatoria (§. 813. *part. 8. Jur. nat.);* Rector quoque civitatis de usu rerum publicarum & universitatis leges ferre potest. *Quod erat primum.*

Quoniam vero usus subsistere nequit, nisi substantia rei salva; facile porro patet, Rectorem quoque civitatis leges ferre posse de conservatione rerum publicarum & universitatis. *Quod erat secundum.*

Et quia res publicæ utilitati totius populi, res universitatis utilitati universitatis inservire debent (§. 495. *part. 1. Jur. nat.* & §. 88. *h.);* leges de usu rerum publicarum & universitatis ferendæ sunt, prouti e re populi, vel universitatis fuerit. *Quod erat tertium.*

Denique cum usus rerum universitatis sit universitati proprius (§. 94.), quilibet autem de re sua pro lubitu disponere possit (§. 118. *part, 2. Jur. nat.*); de usu rerum universitatis &, ut is haberi possit, de conservatione earundem inter se convenire possunt qui sunt de universitate (§. 698. *part. 3. Jur. nat.)*, cumque sese sibi invicem obligare nequeant nisi

nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.)*, pacta inire (§. 788. *part. 3. Jur. nat.)*. *Quod erat quartum.*

In casu particulari dantur rationes particulares, cur & quales leges de rerum publicarum & universitatis usu ac conservatione sint ferendæ. Desumuntur autem ex Jure publico universali, quod in parte octava Juris naturæ explicavimus. Ita constat, Rectori civitatis curæ esse debere, ut quilibet sit tutus ab injuria aliorum (§. 532. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem si verendum, ne in usu rei publicæ, vel universitatis unus alteri injuriam facile faciat; usus ea lege circumscribendus, qua cavetur, ne injuria in eodem committatur, & pœna ad cohibendam legis transgressionem sufficiens eidem addenda (§. 585. *part. 8. Jur. nat.*). Observanda hic eadem sunt, quæ de theoria legum civilium, seu modo efficiendi leges civiles ex naturalibus (§. 966 *part. 8. Jur. nat.*), in genere demonstravimus (*cap. 5. part. 8. Jur. nat.*). Similiter Rector civitatis consulere quoque tenetur universitati pro futuro tempore. Quamobrem cavere debet, ne in usu præsenti quid committatur, quod noceat usui futuro. Quodsi qui sunt in præsenti de universitate negligentes sint in re conservanda; vi eos adigere potest, ut faciant ea, quæ ad conservationem rei necessaria sunt, & ne faciant, quæ eidem adversantur (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*). Ita si in sylva cædua unicuique tantam lignorum copiam cædere licuerit, quantam voluerit; sylvarum conservandarum causa Rector civitatis lege præscribere potest, quantam cædere quotannis liceat & præcipere ea, quæ ad incrementum lignorum promovendum requiruntur. Poterant etiam talia pactionibus definiri, modo omnes satis prompti essent ad ea facienda, quæ æquitati naturali consentanea sunt, nec utilitatem suam præsentem præferrent utilitati futuræ posterorum. Earum igitur defectum supplere debent leges civiles (§. 395. 982. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 114.

§. 114.

Cujusnam sumtu res universitatis conservandæ.

Res universitatis sumtu universitatis sunt conservandæ. Quoniam universitas est multitudo hominum certo fine consociatorum (§. 112. *part. 2. Jur. nat.*), ac ideo ex distantibus constat (§. 489. *part. 8. Jur. nat.*); ea subsistit, etiamsi decedentibus iis, qui nunc eandem faciunt, alii in ejus locum succedant (§. 494. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter usus rerum universitatis non modo ad præsentes, verum etiam ad futuros pertinet, ita ut, quam primum quis ad universitatem accedit, usum quoque habeat (§. 94.). Ut igitur res usum habere possint pro futuro etiam tempore, eædem omnino sunt conservandæ. Quamobrem cum per se pateat, rem conservandam esse ab eo, cujus est usus, & qui eadem uti nequit, nisi salva substantia, ne futuro usui præjudicetur; res universitatis sumtu universitatis sunt conservandæ.

Res universitatis respectu totius civitatis habetur pro privata. Quemadmodum itaque res tua privata tuo sumtu conservanda, ut usum habere possis, & absonum foret prætendere, ut alieno sumtu, veluti publico, conservetur; ita quoque res universitatis sumtu universitatis conservanda, nec prætendi potest, ut publico totius populi, vel aliorum quorumcunque, qui extra universitatem sunt, sumtu conservetur, nisi sufficientes sint rationes, cur ab aliis beneficium petatur, quod sicubi necessarium fuerit Rector civitatis in perfecte debitum mutare potest (§. 977. *part. 8. Jur. nat.* & §. 26. *part. 4. Jur. nat.*).

§. 115.

De reparatione rerum universitatis

Quoniam *res universitatis* sumtu universitatis sunt conservandæ (§. 114.), conservari autem nequeunt, nisi reparentur in melius, quando id necesse fuerit; eædem quoque *sumtu universitatis sunt reparandæ.*

E. gr.

E. gr. Si fons in foro, ex quo omnibus, qui in urbe sunt, aquam haurire licet, vetustate collabatur, vel quodcunque accidat, quod usui obstet; communi incolarum sumtu reparandus. Censetur autem idem fieri, si magistratus oppidanus, qui rerum universitatis curam gerit, ex iis, quæ eo fine incolæ contribuunt, sumtus faciat. Ad sumtus vero in reparationem rei universiatis faciendos etiam referuntur operæ in eam impendendæ. Perinde nimirum est, sive qui de universitate sunt operas ipsimet præstent, sive pro certa mercede operas alienas conducant: in casu enim priori sumtui proprie parcunt.

§. 116.

De tributis rerum universitatis imponendis.

Quoniam res universitatis sumtu universitatis conservandæ (§. 114.) & reparandæ (§. 115.); *singuli, qui sunt de universitate, ad res universitatis conservandas & reparandas pro rata contribuere debent, vel ordinarie certo tempore, vel extraordinarie, causa si quod ordinarie contributum non suffecerit*, consequenter *eo fine tributum imponere licet* (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque quod eo fine contribuitur in eundem quoque sit impendendum, quod per se patet; *qui universitatis res curant, rationem administrationis universitati, vel etiam Rectori civitatis reddere tenentur.*

Commodius accidit singulis, si certo tempore modicum quid contribuant, quam si casu emergente multum sit contribuendum. Tributa igitur rerum universitatis causa ferenda juri perfectivo conveniunt (§. 193. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Facile autem patet respectu totius civitatis tributa hæc spectanda esse tanquam pecuniam privatam, in quam populo universo, consequenter Rectori civitatis nullum jus competit, nisi quatenus curam habere is debet, ut pecunia recte administretur (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 117.

Cujusnam sumtu res publicæ con-

Res publicæ publico sumtu conservandæ atque reparandæ. Quoniam rerum publicarum usus indifferenter competit omni-

servandæ & reparandæ. mnibus, qui de populo sunt (§. 98.); eodem modo ostenditur res publicas publico sumtu conservandus esse, ac porro inde infertur, eas quoque sumtu publico reparandas, quo illud demonstravimus de rebus universitatis (§. 114.), & hoc inde intulimus (§. 115.).

Nimirum qui usum rei habet, is quoque rem conservare ac reparare tenetur, ut habere possit.

§. 118.

De tributis rerum publicarum causa imponendis. Quoniam res publicæ publico sumtu conservandæ atque reparandæ (§. 117.); *populus universus ad res publicas conservandas & reparandas contribuere debet, prouti Rectori civitatis commodum visum fuerit* (§. 777. 778. *part. 8. Jur. nat.*), & *quod eo fine contribuitur, in hunc quoque usum impendendum* (§. 954. *part. 8. Jur. nat.*): immo *Rector civitatis etiam ad minuendum tributum operas a subditis ad conservationem necessarias exigere potest.*

Rectoris civitatis utique est providere iis, quæ ad publicam utilitatem spectant. Quodsi ergo in eo deprehendatur aliquis defectus, id negligentiæ ipsius tribuendum. Quodsi quæ rerum publicarum conservandarum & reparandarum causa contribuuntur, alium in usum impendat, id ad malum regimen referendum. Si simpliciter quædam contribuantur utilitatis publicæ causa, ne scilicet desint sumtus ad Remp. bene administrandam necessarii; facile patet, ex ærario publico faciendos esse sumtus.

§. 119.

De vectigali solvendo a vehentibus in via publica. Quia populus universus ad res publicas conservandas & reparandas contribuere debet (§. 118.), viæ autem publicæ sunt res publicæ (§. 88.), & qui usum actu habet, ut habere possit, inprimis contribuere teneatur, pro vectura

ra vero quod solvitur vectigal est (§. 929. *part. 8. Jur. nat.*); *ab iis, qui in via publica vehunt, vectigal exigere licet: quod* cum impendendum sit in eum usum, cujus causa imponitur (§. 934. *part. 8. Jur. nat.*), *conservationi & reparationi viarum publicarum impendendum.*

Vide, quæ alias ea de re annotavimus (*not.* §. 934. *part. 8. Jur. nat.*). Tenenda etiam hic sunt, quæ modo ad præcedentem propositionem annotavimus (*not.* §. 118.).

§. 120.

De usu maris.

Usus maris vasti consistit in navigando & piscando; juxta littora in occupando in littore inventa, veluti conchas, gemmas & alicubi succinum, & in coquendo sale ex aqua marina. A posteriori hoc satis manifestum est, ut ulteriori probatione non indigeat.

Usus prior mari per se competit; posterior vero per accidens. Et qui tam per se, quam per accidens competit usus salva substantia obtineri potest.

§. 121.

An liceat mare dominio suo subjicere.

Quoniam maris vasti usus consistit in navigando & piscando (§. 120.), quod vero tu in mari naviges, vel pisceris, ideo non nocetur alteri, ne ipse quoque navigare, vel piscari possit, siquidem navigatione, aut piscatione indiget; *mare vastum res usus inexhausti est* (§. 195. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter cum nemo rerum pure naturalium inexhausti usus dominium acquirere valeat (§. 201. *part. 2. Jur. nat.*), aut dominio suo subjicere debeat (§. 199. *part. 2. Jur. nat.*), *nulli* quoque *Genti vastum mare, etsi fieri posset, dominio suo subjicere licet, nec salvo jure naturali dominium ejus acquirere valet.* Ac *idem* eodem modo *intelligitur de Gentibus pluribus, quæ divisione*

dominio suo vastum mare subjicere non valent, consequenter *nec Gens ulla magnam quandam oceani, vel maris vasti partem dominio suo subjicere valet.* Et quoniam res dominio subjiciuntur propter usum, *nulla* quoque *jus in mari vasto navigandi & piscandi dominio suo subjicere valet.*

Recte hanc rationem moralem vocat *Grotius*, quia desumitur a jure, quæ facultas moralis est (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & opponitur potentiæ agendi physicæ, quam quidem illa supponit, sed non vice versa ab hac supponitur, cum multa agere possis, quæ tamen agere non licet. Ita furtum est actus physice possibilis, quod nemini ignotum; non tamen moraliter, quia furtum committere non licet.

§. 122.

An quis navigationem & piscationem in mari vasto prohibere possit.

Quoniam jus navigandi & piscandi in mari vasto nemini dominio suo subjicere licet (§. 121.); *nemo* quoque *prohibendi jus habet, quo minus alter in mari vasto naviget ac piscetur*, consequenter *cuilibet Genti pro lubitu & navigare, & piscari licet.*

Nimirum jus utrumque universo generi humano commune manere debet, ut unusquisque homo eodem uti possit, quando & quoties libuerit. Domini est excludere alios eo jure, quo ipse utitur (§. 119. *part. 2. Jur. nat.*). Qui vero jus proprium non habet, nec alios eodem excludere potest; multo minus autem jure communi.

§. 123.

An arcere ab usu isto sit injuria.

Si qua Gens arcere velit aliam ab usu navigandi & piscandi in vasto mari; injuriam ei facit. Etenim cuilibet Genti in mari vasto navigare & piscari pro lubitu licet (§. 122.). Quodsi ergo Gens aliqua Gentem aliam ab usu navigandi & piscandi arcere velit; hoc fit contra jus ipsius (§. 239.

239. *part. 1. Phil. pract. univ.).* Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui quid committit, quod est contra jus ipsius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.);* si qua Gens aliam arcere velit ab usu navigandi & piscandi in vasto mari, injuriam ei facit.

Non rationem habemus eorum, quæ vel olim facta sunt, vel hodienum fiunt. Jus enim naturæ rationes intrinsecas habet, nec facta Gentium sunt norma juris, sed potius jus est norma factorum.

§. 124.

Quoniam Gens, quæ alteram arcere vult ab usu navigandi & piscandi in mari, injuriam ei facit (§. 123.), injuria vero justa belli causa est (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.);* *si qua Gens velit aliam ab usu navigandi & piscandi in mari vasto arcere, hæc justam belli causam habet.* *An usus iste præbeat justam belli causam.*

Nimirum quæ bellum gerit, Gens jus suum defendit adversus alteram, quæ id sibi invitæ auferre nititur. Quamobrem illi in hanc jus belli natura competit (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 125.

Ex adverso quia Gens, quæ alteri permittere non vult liberum navigandi & piscandi usum in mari vasto, injuriam ei facit (§. 123.), si vi armorum eandem ab hoc usu arcere velit, justam belli causam non habet (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.).* Quamobrem cum bellum injustum sit, cujus causa justa non est, sed injusta (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.);* *si qua Gens alteram vi armorum arcere velit ab usu navigandi & piscandi in mari vasto, bellum, quod infert alteri, injustum est.* *Ex quarum parte tunc bellum sit injustum.*

Contra jus Gentium facit, qui vi armorum sibi asserere vult jus navigandi & piscandi in mari vasto, cum exclusione aliarum Gentium: quod cum tueri intersit Gentium, eidem sese op-

opponere licet Gentibus quibuscunque, immo quatenus Gentes in civitatem maximam coivisse intelliguntur (§. 10.), ad idem tuendum naturaliter obligantur (§. 12.). Jura Gentium communi utilitati consulunt, qui itaque eadem violat, in omnes Gentes injurius est.

§. 126.

De jure pactitio in usu maris. *Gens una cum altera pacisci potest, ne in mari, aut intra certos terminos maris vasti naviget, vel piscetur.* Quoniam enim cuilibet Genti competit jus in mari vasto, ubicunque libuerit, navigandi & piscandi (§. 122.); si qua Gens cum altera paciscitur, ne ea in mari, aut intra certos terminos maris vasti naviget, vel piscetur, hæc juri suo in gratiam illus renunciat (§. 103. *part. 3. Jur. nat.)*. Quamobrem cum naturaliter quilibet juri suo quæsito renunciare possit (§. 118. *part. 3. Jur. nat.)*; Gens una cum altera pacisci potest, ne in mari, aut intra certos terminos maris vasti naviget, vel piscetur.

Exclusio igitur Gentis alicujus ab usu navigandi & piscandi libero in mari vasto nonnisi juris pactitii esse potest (§. 23.): ubi talia pacta desunt, nec exclusio locum habet. Cum navigatio & piscatio in mari sit actus meræ voluntatis, ipsum autem jus meræ facultatis (§. 76.), jura autem meræ facultatis præscribi nequeant, si iis longissimo tempore, immo nunquam antea fueris usus (§. 78.); nec Gens una adversus alteram præscribere potest jus navigandi & piscandi in mari, utut hæc nunquam antea in mari navigaverit, vel piscata fuerit. Aliter vero sese res habet, si Gens una navigationem vel piscationem prohibuerit, aut ab ea abstinere alteram coëgerit, & prohibitioni aut coactioni paritum est cum sufficienti consensus significatione (§. *cit.*). Etenim amissio juris revera nititur pacto tacito, quo eidem in gratiam prohibentis vel cogentis tacite renunciatur (§. 103. *part. 3. Jur. nat.* & §. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & per consequens Gens, quæ prohibitioni,

oni, aut coactioni paret, prohibenti aut cogenti sese obligat, quod jure suo adversus ipsam uti nolit, & hæc acquirit jus non patiendi, ut eodem adversus se utatur (§. 104. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 127.

Mare vastum per se occupabile non est. Ponamus enim mare vastum a Gente quadam occupari, consequenter dominio ejus subjici posse (§. 175. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam domino competit jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat se invito, quod sibi vi dominii facere licet (§. 121. *part. 2. Jnr. nat.*), consequenter ut re sua utatur (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*); Gens, quæ mare vastum occupavit, vel magnam quoque ejus partem, pati non tenetur, ut alia quædam Gens, vel quicunque de Gente quacunque alia in eodem, vel magna ejus parte pro lubitu naviget & piscetur (§. 120.). Enimvero impossibile est, ut Gentes omnes, vel quemcunque de Gente alia cogat, ne faciat, si se invita facere velit, ubivis locorum in mari: quod nemo in dubium revocare potest, modo satis circumspecte omnia perpendat. Quamobrem repugnat, ut Gens ulla dominium in mari habeat, consequenter mare vastum non est ex illarum rerum numero, quarum dominium occupando acquiriri potest, consequenter per se occupabile non est.

An mare sit per se occupabile.

Absonum est, si quis sibi arroget jus, quod tueri nequit. Ratio autem hæc, cur mare e numero rerum occupabilium non sit, physica est, non confundenda cum morali, quæ occupationi obstat, etiamsi ea physice possibilis esset, & de qua dictum antea (*not.* §. 121.). Absit autem, ut tibi persuadeas Gentem dominium maris tueri posse ope classis vel prohi-

ben-

bendo, ne ex littoribus regioni suæ adjacentibus in mare descendas; hoc enim non sufficit, ut omnes in universum Gentes & quicunque de quacunque Gente ubivis locorum cogi possint, ne alicubi in mari navigent, vel piscentur. Vi armata agere adversus Gentem unam, vel alteram, aut alicubi in mari vel uno in loco impedire ingressum in mare, non idem est ac excludere ab usu maris omnes in universum Gentes. Mare inhabitari nequit, quemadmodum terra: alia longe ratio est, cur terra inter Gentes dividi potuerit, ac tota occupabilis sit, nec mare præbet istiusmodi usus, quemadmodum terra, singulis hominibus, quibus ut careant impossibile est. Usus maris intra angustos admodum limites continetur (§. 120.), nec eodem Gentes omnes, multo minus singuli indigent, vel si indigerent, non una tamen de causa ab eo abstinere coguntur. A terra igiur ad mare non valet consequentia.

§. 128.

Quatenus partes quædam maris sint occupabiles.

Partes maris a Gentibus, quæ idem accolunt, occupari possunt, quousque dominium in iisdem tueri possunt. Idem intelligitur de finibus & fretis. Etenim in istiusmodi maris partibus prope littora usus, qui in piscatione & collectione rerum in mari nascentium, non in sola navigatione consistit, inexhaustus non est, nec usus, qui in navigatione consistit, semper innoxius, cum mare regionibus maritimis vicem munimenti præbeat, ac ideo intersit accolarum, ne cuilibet ibidem cum armatis navibus versari liceat. Quamobrem ratio moralis minime obstat, cur occupari non possint (§. 198. 199. *part. 2. Jur. nat.*). Et quoniam alii ab eodem usu excludi, ac ne ibi versentur prohiberi possunt, *per hypoth.* nec ratio physica obstat, cur dominio subjici nequeant (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*). Cum igitur utilitatis causa tam Gentes tractus terræ, quam singuli fundos occupaverint; quin eadem de causa quoque Gen-

Gentes littoribus maris accolæ, tractus maris, quo usque dominium in iisdem tueri possunt, occupare queant, dubitandum non est. *Quod erat primum.*

Idem valere de sinibus & fretis, ex eadem ratione patet. *Quod erat alterum.*

Sinus sunt excavati in terram recessus ad similitudinem diverticulorum fluminis in fundo aliquo privato: fretum vero est locus angustus in mari. Hinc sinus ab alto mari patet, unde in terram intrat; ast exitum non habet: fretum autem utrinque patet. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 3. §. 8. occupationem partium maris restringit, ut cum terris, quas Gentes occuparunt, comparatæ portio earum videri possint. Ast restrictionis hujus nulla datur ratio, sed ea mere arbitraria est. Ratio enim occupationis est utilitas occupantis, quatenus aliorum usui necessario non præjudicatur (§. 180. *part. 2. Jur. nat.*), & absurdum est plus occupare velle, quam in quibus dominium tueri permissum, prouti ex demonstratione propopositionis præsentis clarissime elucescit. Quatenus mare ococcupabile sit, seu dominio subjici possit, nihil omnino difficultatis habet, modo citra præjudicium ac partium studium rem consideres. Non enim aliæ sunt rationes, quam quæ in terræ partibus a Gentibus occupandis attendendæ veniunt. Quodsi mare inhabitari posset, quemadmodum terra; nulla prosus differentia inter occupationem tractuum maris atque terræ intercederet. Et occupatio partium maris, prouti in propositione restringitur, cum occupatione fluminum prorsus convenit, ut, si quis negare ausit, mare ita occupari posse, is etiam occupationem fluminum concedere non debeat. Atque hinc non male ait *Grotius* loc. cit. sinus & freta occupari potuisse ad exemplum fluminum. Unde duo populi, qui fretum & sinum interfitum habent, dominia & imperia sua ad medietatem extendere possunt, aut in sinu pro rata territorii (§. 106.).

§. 129.

An imperium in partibus maris ſimul occupetur.

Quoniam Gentes terras vacuas occupantes cum dominio imperium in iis ſimul occupant (§. 85.), maris autem quædam partes perinde ac terræ occupari poſſunt (§. 128.); *ſi qua Gens partem quandam maris occupat, cum dominio imperium in iis ſimul occupat.*

Ad imperium civile referri nequit jus arcendi alios ab uſu maris: hoc enim ex dominio naſcitur, nec ſine eo intelligitur (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*), etſi imperium civile tueatur dominia (§. 432. *part. 8. Jur. nat.*), ac per conſequens ex eo naſcentia quælibet jura.

§. 130.

An partes iſtæ pertineant ad territorium.

Quia loca, in quibus Gens, aut Rector civitatis imperium habet, de territorio ejus ſunt (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*), in partes autem maris occupatis Gens, aut Rector civitatis imperium habet (§. 129.); *partes maris occupatæ ad territorium illius Gentis pertinent, quæ eas occupavit.*

Perinde nimirum hic ſeſe res habet ac in fluminibus, quæ non minus ad territorium pertinent, quam terræ.

§. 131.

Quale jus in iisdem competat Rectori civitatis.

Quoniam partes maris occupatæ ad territorium illius Gentis pertinent, quæ eas occupavit (§. 130.); *quale jus Rector civitatis in ſuo territorio habet, tale etiam ipſi competit in partibus maris occupatis* & per conſequens *qui in iis verſantur, iisdem legibus ſubſunt, quam qui in terris habitant, aut commorantur, etiam peregrini admiſſi* (§. 167. *part. 8. Jur. nat.*).

Si quis Princeps imperium haberet in toto oceano, vel magna ejus parte; tale jus ipſi in oceano, vel parte hac ipſi compete-

peteret, quale in territorio suo. Sed affectare istiusmodi jus, inanis omnino ambitionis est.

§. 132.

De legibus in mari latis.

Cum in partibus maris occupatis Rector civitatis tale jus habeat, quale in territorio suo habet (§. 131.), in territorio autem suo ipsi competat potestas legislatoria (§. 813. *part. 8. Jur. nat.*), ut possit ferre leges (§. 812. *part. 8. Jur. nat.*), prouti e re civitatis visum fuerit (§. 969. *part. 8. Jur. nat.*); *Rector* quoque *civitatis in partibus maris occupatis leges ferre potest, quales ut ferat e re civitatis videtur.*

Non igitur solum de usu maris & iis, quæ ad eandem pertinent, leges ferre potest, verum etiam de actionibus eorum, qui in istis commorantur quacunque de causa, vel per eas navigant, sive subditi fuerint, sive peregrini. Immo leges ferri in mari possunt, quæ ab iis, quæ in terris de iisdem actionibus latæ sunt, differunt. Ita delicta in mari commissa gravius puniri possunt, quam si eadem in terris committantur.

§. 133.

An jus indigenatus habeant in mari nati.

Qui ex parentibus civibus nascuntur sive in mari non occupato, sive in parte ejus occupata, indigenæ sunt. Qui enim sunt cives, tales manent, ubicunque versentur negotii cujusdam causa, consequenter per hoc jus civitatis non amittunt, quod vel in mari non occupato, vel parte ejus occupata versentur. Quamobrem cum civitas conservetur per liberos, qui ex iis nascuntur; liberi quoque per nativitatem fiunt membra civitatis, consequenter cives (§. 6, *part. 8. Jur. nat.*), cumque ideo indigenæ sint, qui cives sunt in ea regione, in qua habitant (§. 411. *part. 8. Jur. nat.*); qui ex parentibus civibus nascuntur sive in mari non occupato, sive in parte ejus occupata, indigenæ sunt.

Relegenda hic sunt, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 411. 414. *part. 8. Jur. nat.*). Nimirum quemadmodum propterea jus indigenatus non amittit civis, quia negotii cujusdam causa e territorio abest; ita nec jus per nativitatem cum liberis idem communicandi amittit, ac per consequens etiam absens e territorio quovis in loco alio liberis cum nascentibus communicat. Si qua lege populi aliter fuerit statutum, id mere civile est, & a naturali lege abhorret, quippe quæ ex natura civitatis liberos esse jubet ejus status, cujus sunt parentes. Quod controversiæ ea de re fuerint motæ, non aliunde est, quam quod vulgo ex distinctis notionibus de rebus judicium minime feratur. Notiones confusæ sicuti errorum, ita quoque perplexitatum causæ existunt.

§. 134.

Naturalisatio quid sit. *Naturalisatio* est collatio juris indigenatus in advenam, vel peregrinum. Et *naturalisari* dicitur is, cui jus indigenatus confertur. *Naturalisatus* itaque fictione juris *habetur pro nato ex parentibus civibus, seu indigenis.*

Ita in Gallia Astronomus ille præclarus *Dominicus Cassini*, natione Italus, naturalisatus fuit, & descendentes ejus nunc sunt indigenæ, quasi ex parentibus Gallis genus suum deducerent. Nimirum ubi jus indigenatus receptum est, indigenis certa competunt jura, quibus non fruuntur advenæ, aut peregrini. Facile autem patet, a voluntate populi dependere, consequenter Rectoris civitatis, qui populi jus habet, seu exercet (§. 34. 42. *part. 8. Jur. nat.*), utrum jurium illorum, quæ ab indigenatu pendent, participem facere velit advenam, vel peregrinum, nec ne. Etsi autem libera voluntate populi, vel ejus, qui jus populi habet, jura ista nativitati fuerint tributa; modus tamen acquirendi eadem per nativitatem, quatenus lex naturæ istiusmodi jura tuetur, naturalis habetur, & natura eadem tribuit iis, qui juxta leges patriæ nascuntur eorundem capaces. Modus vero acquirendi extraordinarius est, si contra legem alicui

alicui conferantur: quæ ut integra servetur, fingitur quasi ex parentibus civibus natus, qui non est. Et ita lex non tollitur, sed subsistit fictione juris.

§. 135.

De obligatione Gentis seipsam diligendi & amore patriæ.

Quælibet Gens seipsam, & quilibet de Gente Gentem suam diligere debet. Etenim quælibet Gens unam repræsentat personam (§. 2.), ac ideo ad eam applicanda sunt, quæ lege naturæ singulis præcipiuntur, atque in hoc jus Gentium necessarium consistit (§. 4.). Quoniam itaque quilibet homo seipsum diligere debet (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*); Gens etiam quælibet seipsam diligere debet (§ 607. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero si civitas constituitur, consequenter Gens quædam oritur (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), singuli se obligant universis, quod commune bonum, consequenter felicitatem Gentis suæ (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*) promovere velint (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum alterum diligat is, cui constans & perpetua voluntas est felicitatem ejus promovendi, seu omni studio id agendi, ut is sit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); singuli, qui de Gente sunt, Gentem suam diligere debent. *Quod erat alterum.*

Dilectio utraque refertur ad amorem patriæ tanquam ad fontem suum. Qui enim patriam amat, ex felicitate Gentis suæ voluptatem percipit (§. 634. *Psych. empir.*), atque hæc ipsa voluptas stimulus est, ut bene de patria mereatur. Quodsi vero singuli in felicitatem Gentis suæ ferantur; Gens seipsam amat & ideo quoque diligit, ut ideo ad amorem quoque patriæ referendum, si Gens seipsam diligat. Vix dabitur aliqua Gens, quæ amorem patriæ non virtutem maxime præclaram esse existimaverit, ac ideo videmus ab omnibus vehe-

menter laudari, qui se patriam amare probarunt, eorumque facta, quibus de patria præclare meriti sunt, extolluntur.

§. 136.

De patriæ non nocendo.

Quoniam quilibet, qui est de Gente, diligere debet Gentem suam (§. 135.), consequenter omni studio cavere, ne ea fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); *nemo quicquam committere debet, quo Genti suæ quomodocunque noceri potest* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*).

Qui in patriam injurii sunt, merito omnium proborum indignationem merentur. Accedit enim ingratitudo, vitium turpissimum. Nemo nimirum est, qui non multis bonis cumuletur, propterea quod in civitate vivat, consequenter quod iis fruatur, id Genti suæ debeat. Gratum igitur in patriam animum habere debemus: & ideo amor patriæ humanitati maxime convenit, ac ex adverso naturam humanam exuisse videtur, qui patriam odit.

§. 137.

Domicilium quid sit.

Domicilium dicitur habitatio aliquo in loco constituta perpetuo ibidem manendi animo. Idiomate patrio dicitur die Behausung. Quoniam ad domicilium constituendum requiritur animus perpetuo manendi; *domicilium constitutum non intelligitur, nisi animus perpetuo manendi vel expresse, vel tacite sufficienter declaretur*, consequenter *domicilium ibi non habet, ubi quis negotii cujusdam causa commoratur.* Quoniam tamen unicuique permittendum, ut voluntatem suam mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377. *part. 2. Jur. nat.*); *domicilium mutari potest, seu in se immutabile non est.*

Ita legatus, etsi per multos, immo plurimos annos, cum familia sua degat in aliqua aula, & in urbe domum propriam possi-

possideat, non tamen propterea domicilium ibi habet. Similiter qui commerciorum causa alicubi per longum tempus habitat, non tamen ibi domicilium habet, sed peregrinus manet.

§. 138.

Domicilium naturale dicitur, quod quis nativitate consequitur ibidem, ubi pater domicilium habet. *Adscititium* vocatur, quod quis propria voluntate sibi constituit. Quamobrem *domicilium naturale tamdiu quis retinere censetur, quamdiu propria voluntate sibi nullum constituit, aut id non derelinquit.* *De domicilio naturali & adscititio.*

§. 139.

Vagabundus dicitur, qui nullibi domicilium habet. *Vagabundi* itaque *nunc hic, nunc alibi commorantur, nullibi tamen animum perpetuo manendi habent* (§. 137.). Quoiam tamen domicilium naturale tamdiu quis retinere censetur, quamdiu propria voluntate sibi nullum constituit (§. 138.); *vagabundi* quoque *domicilium naturale vulgo retinere censentur.* Sed cum non repugnet, ut quis domicilium naturale derelinquat, & animum habere possit nullibi locorum perpetuo manendi; *vagabundi domicilium naturale non retinent, si animo nullibi perpetuo manendi id derelinquunt.* *De vagabundis.*

Ita saccularii, fures, aleatores, histriones, medici circumforanei, mendicantes vagabundi esse solent. Inde est, quod vocabulo vagabundi, Germanico inprimis Landstreicher, vel Landläuffer, ignominiosi quid vulgo adhæreat. Non tamen repugnat, ut etiam, qui honestum vitæ genus sequuntur, subinde sint vagabundi. Sane Apostoli, qui nullibi domicilium sibi constituerunt, vagabundi erant. Similiter mercator potest commerciorum causa nunc hic, nunc alibi commorari, & nullibi domicilium habere: tunc igitur vagabundis accensendus.

§. 140.

§. 140.

Patria quid sit. *Patria* dicitur locus, nimirum terra, vel urbs, in qua parentes, dum quis nascitur, domicilium habent, respectu habito ad Gentem, vel certam quandam de Gente universitatem, cujus terra, vel urbs ista est. Idiomate patrio in significatu latiori dicimus das Vaterland; in strictiori die Vaterstadt, quasi terra, vel urbs, in qua habitarunt patres nostri, a quibus genus deducimus. Differt autem a patria *Locus nativitatis*, qui est locus, in quo nati sumus. *Quando quis in patria nascitur*, id quod plerumque contingit, *locus nativitatis cum patria in significatu inprimis strictiori idem est; ast si quis nascitur in itinere, aut in loco peregrino, ubi parentes negotii cujusdam causa commorantur, patria a loco nativitatis differt.* Notandum præterea *locum nativitatis* spectari sine respectu ad Gentem, ad quam pertinet, ac ideo ibidem *nato nullum tribuere jus.*

Non sine ratione in Jure Gentium attenditur patria, quoniam inde dependent certa jura, quibus non fruuntur nisi hanc patriam habentes. Quamobrem cum hæc jura alicui competant, quatenus natus ex parentibus vel in hac regione, vel in hac urbe, aut pago hoc domicilium habentibus; hæc ratio est, cur patria significatum latiorem & strictiorem admittat. Jura autem ista cum voluntate hominum constituantur, etsi principiis Juris naturalis convenienter, naturalia non sunt, sed mere positiva, ac ideo non necessaria, nec apud omnes Gentes eadem. Immo nec repugnat, ut apud Gentem aliquam sint nulla. Locus autem nativitatis cum nullum tribuat jus, in Jure quoque Gentium per se nullam attentionem meretur, nisi quatenus per inconstantiam loquendi pro patria accipitur. Mihi patria in sensu latiori *Silesia*, in strictiori *Vratislavia*, Silesiæ metropolis est: unde *Vratislaviensis* & *Silesius*, seu *Vratislavia-Silesius* audio & amorem quendam patriæ quasi naturalem in me sentio, vi cujus tam prospera, quam adversa, quæ eidem acci-

accidunt, animum meum movent. Similiter natus ex parentibus, qui domicilium suum Londini in Anglia habent, Londinensis & Anglus vocatur, etiamsi parentes tempore nativitatis alio in loco extra Angliam fuerunt commorati, veluti si militiæ causa fuerint in Germania, vel pater munere legati functus in aula Regis christianissimi.

§. 141.

Quoniam patria locus est, ubi parentes tempore nativitatis domicilium habent (§. 140.), vagabundi autem domicilium nullibi habent (§. 139.); *Qui ex parentibus vagabundis nascitur, ei patria nulla est, nisi quatenus vagabundi domicilium naturale retinuisse censentur*, consequenter *patria parentum ipsorum quoque patria censetur.* *De natis ex vagabundis.*

Ita ex Cingaris qui nascuntur, patriam nullam habent, qualis nec est parentibus.

§. 142.

Quoniam patria respectum habet ad Gentem, vel certam quandam de Gente universitatem (§. 140.); *amor patriæ* (amamus enim etiam res inanimatas §. 655. *Psych.empir.*) *amorem Gentis, vel certæ cujusdam universitatis de Gente involvit.* *Qualis sit amor patriæ.*

Res inanimatas amamus, quatenus ex iis, vel his, quæ iisdem insunt, aut accidunt, voluntatem percipimus (§. 657. *Psych. empir.*). Ea autem talia sunt, quæ hominum commodo inserviunt eorumque felicitatem promovent. Unde amor patriæ indirecte respicit homines, quibus bene est, si regio & urbes in eadem omni bonorum genere abundant. Atque inde est, quod patria maxime accipi videatur de hominibus, non de terra.

§. 143.

An amor patriæ sit juris naturalis.

Quoniam amor patriæ involvit amorem Gentis; vel certæ cujusdam universitatis de Gente, consequenter hominum in ea viventium (§. 142.), quilibet autem Gentem suam diligere, consequenter amare (§. 606. *part. 1. Jur. nat.)*, debet (§. 135.); *quilibet etiam patriam suam amare debet.*

Amor patriæ & amor hominum in patria viventium vniversim sumtorum a se invicem separari nequeunt. Quamobrem cum amor Gentis suæ sit juris naturalis, etiam amor patriæ juris naturalis est. Atque ideo in legem naturæ delinquit, qui patriam non amat, multoque magis qui eandem odit.

§. 144.

De immutabilitate patriæ.

Cum patria nobis obtingat per nativitatem (§. 140.), factum autem infectum fieri nequeat; *patria tua manet patria, etiamsi extra eam domicilium tuum constituas, vel eam relinquas, aut etiam ex eadem ejiciaris.*

Ita Anglia, vel Gallia manet patria Angli, vel Galli, etiamsi extra Angliam, vel Galliam domicilium sibi constituit nunquam in Angliam, vel Galliam rediturus. Et quamvis ex Gallis in Germania aut Batavia nati adhuc Galli vocentur, quatenus genus suum a Gallo deducunt; patria tamen ipsorum Germania, vel Batavia est, aut urbs, in qua nati fuerunt in significatu strictiori. Distinguendum nimirum est, an Galli nomen alicui tribuatur a patria, an vero a majoribus & parentibus, ex quibus originem suam deducit. Idem intelligitur de Judæis. Unde idiomate Germanico, quod ad omnia exprimenda admodum aptum est, dicimus Deutsche Juden, vel Polnische Juden, prouti patriam habent vel Germaniam, vel Poloniam. Et eodem modo ex Gallis in Germania, vel Batavia nati dici possunt Deutsche, vel Holländische Frantzosen.

§. 145.

§. 145.

Exul dicitur, qui ex urbe, vel terra, ubi domicilium habet, ejicitur, vel discedere cogitur absque infamiæ nota. Idiomate patrio vocatur **ein Vertriebener**, item **ein Exulante**. Quoniam jus quodlibet in pœnam auferri potest (§. 589. *part. 8. Jur. nat.); exilium* quoque *pœna esse potest.* Dividitur *Exilium* in *voluntarium*, si quis pœnæ aut calamitatis subterfugiendæ causa sua sponte ex loco, ubi domicilium habet, discedit; atque *invitum*, si judicis sententia, vel jussu superioris discedere cogitur. In priori casu idiomate patrio dicimus, **er sey flüchtig worden**, vel **er habe müssen flüchtig werden.** *Si quis in patria domicilium habet, exilium est ejectio ex patria, seu privatio soli patrii,* ac ideo *exul est, qui ex patria ejicitur, seu solo patrio privatur.* *De Exilio.*

Cicero pro Domo: Quid est, inquit, exul? ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis. Ac ideo in definitione exulis infamiæ notam removimus. Quid Romanorum moribus conveniebat, nostrum jam non est uberius exponere, quibus magis curæ cordique est, ut notiones sint usui apud nos recepto loquendi convenientes, & magis universales & a peculiaribus gentium quarundam moribus separatæ. Sane Romanorm moribus convenienter dicebatur exul, qui e patria ejectus est, cum non perinde ac apud nos domicilium sibi constituerent ubivis locorum plurimi peregrini. Apud Romanos in exilium ibant qui pœnam aliquam subterfugere volebant, vel etiam multam solvere non poterant, & necesse erat ut abirent, si iis aqua & igni interdiceretur, quibus itaque tecto exilium irrogabatur. Sed quamvis etiam apud nos contingat exilium præferri pœnæ capitali, aut infami; plerumque tamen exilium irrogari solet, veluti si ex terra, ubi domicilium habent, expelluntur, qui religionem mutare nolunt, aut sententias defendunt minime probatas, vel in magistratum

 inju-

injurii exiſtimantur, immo quacunque de cauſa alia ſive juſta, ſive injuſta. Immo in exilium quoque eunt nonnulli ob calamitatem temporum, vel fortunam adverſam, quam experiuntur, veluti ob belli incendia, ob intolerabilem famem, ob extremam egeſtatem, in quam caſu quodam funeſto inciderunt.

§. 146.

De reſtrictione exilii inviti.

Quoniam exilium invitum judicis ſententia, vel juſſu ſuperioris irrogatur (§. 145.), etiam pœnæ nomine (§. *cit.*), ſuperioris autem eſt ſtatuere de iis, quæ ad bonum publicum ipſi facere videntur (§. 811. *part. 8. Jur. nat.*) & determinare pœnas ex circumſtantiis præſentibus (§. 833. 636. *part. 8. Jur. nat.*), eidemque competit jus pœnas remittendi & mitigandi (§. 842. *part. 8. Jur. nat.*); *exilium invitum reſtringi poteſt ad certum locum, tum a quo abeſſe, tum in quo commorari debet exul, & ad certum tempus.*

Ita exlium irrogari poteſt in decennium. Expelli quis poteſt ex urbe & territorio ejus, vel ex certa provincia. Cogi poteſt, ut exulet in provincia quadam remota, vel in loco aliquo certo intervallo ab urbe diſtante. Apud Anglos mittuntur in Indiam orientalem; apud Ruſſos in Siberiam. Regnat hic ſuperioris arbitrium, quod ſalus publica, ſuprema civitatis lex (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), moderatur. Determinationes itaque iſtæ mere civiles ſunt, æſtimandæ ex iis, quæ de theoria legum civilium in parte octava Juris naturæ demonſtravimus. Juſſus nimirum ſuperioris pro præſenti caſu jus facit, & legis inſtar eſt reſpectu perſonæ, cui exilium irrogatur. Non obſtat, exilium quoque irrogari poſſe ſine juſta cauſa. Dantur enim etiam leges civiles injuſtæ atque iniquæ, quatenus juxta theoriam legum civilium naturalem non fuerunt conditæ. Id ubi contingit, ſuperior jure ſuo abutitur. Abuſus autem a ſubditis tolerandus (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*), & privato ferenda ſunt, quæ mutare non poteſt.

§. 147.

§. 147.

Exuli competit natura jus alicubi terrarum habitandi. Exules enim non desinunt esse homines, propterea quod in exilium aguntur, consequenter ex loco, ubi domicilium habent, discedere coguntur (§. 145.), quod per se patet. Quamobrem cum natura res omnes sint communes (§. 7. 2. *Jur. nat.*), in communione primæva autem homini unicuique ubivis terrarum habitare liceat (§. 66. *part. 2. Jur. nat.*), nec introductione dominiorum alicui auferri potuit penitus usus rerum necessarius (§. 562. *part. 6. Jur. nat.*), & per consequens jus habitandi alicubi terrarum; exuli natura competit jus alicubi terrarum habitandi. *De jure exulis alicubi terrarum habitandi.*

Jus homini natura competens seu connatum nemini auferri potuit (§. 64. *part. 2. Jur. nat.*), & ea de causa dominia introduci non potuerunt, consequenter nec certi terræ tractus dominio subjici, nisi cum tacita hac restrictione, ut, si in casu emergente contingat alicui penitus auferri necessarium rerum usum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ sunt in dominio (§. 563. *part. 6. Jur. nat.*), consequenter ut habitare possit in terra dominio Gentis cujusdam subjecta, etiamsi habitare prohibeatur cum Gente sua. Exules ejiciuntur, aut discedere coguntur e loco, ubi domicilium habent (§. 145.), adeoque cum Gente sua habitare iisdem non conceditur. Quamobrem iisdem natura competit jus alicubi terrarum habitandi, quæ alii cuidam Genti subjectæ sunt. Qui in exilium agitur, non ex toto terrarum orbe ejicitur, neque enim hoc physice fieri potest, nisi vita erepta, nec moraliter possibile, cum superiori non competat jus in terris nisi imperio ejus subjectis.

§. 148.

Quoniam exuli competit natura jus alicubi terrarum habitandi (§. 147.), a voluntate autem populi, sive *De receptu quærendo.*

ejus,

ejus, qui jus populi habet, unice dependet, utrum extraneum in civitatem suam recipere velit, nec ne (§. 409. *part. 8. Jur. nat.); exul receptum quærere tenetur, nec prorsus pro arbitrio suo domicilium sibi constituere potest, ubi libuerit, &, si receptus denegatur, id ferendum.*

Albi jam monuimus plures posse esse rationes, ob quas receptus denegari potest, & eas desumendas a civitate (§. 693. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum integro capite tertio partis octavæ ostenderimus, quænam in Rep. constituenda observanda sint; si quis singula rite expendere voluerit, is haud difficulter causas justas denegati receptus deprehendet. Pertinet huc numerus justo major subditorum, quam ut iis prospici possit sufficienter de his, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, cum universim, tum in specie eorum, qui idem vitæ genus sequuntur (§. 400. *part. 8. Jur. nat.*). Pertinet huc etiam, si metuendum sit, ne mores subditorum corrumpantur (§. 456. *part. 8. Jur. nat.*), aut religioni præjudicium creetur (§. 475. *part. 8. Jur. nat.*), vel etiam ne scelerati admittantur, a quibus nocumentum imminet Reip. & quæ sunt alia saluti publicæ adversa.

§. 149.

An exules sint recipiendi.

Exulibus perpetua habitatio a Gente in terris suis denegari nequit, nisi obstent rationes singulares. Etenim cum exules loco, ubi domicilium habebant, consequenter habitabant (§. 137.), sint expulsi (§. 145.); receptum alibi quærere tenentur (§. 148.). Quamobrem cum his, qui sedibus suis expulsi receptum quærunt, perpetua habitatio in terris dominio suo subjectis denegari nequeat, nisi obstent rationes singulares (§. 693. *part. 6. Jur. nat.*); exulibus perpetua habitatio a Gente in terris suis denegari nequit, nisi obstent rationes singulares.

Quæ-

Quænam sint rationes obstantes, quo minus recipiantur exules modo indicavimus (*not.* §. 148.). Gentes autem cum liberæ sint (§. 2.); ipsis quoque de iisdem relinquendum est judicium, eoque standum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Exuli competit jus alicubi terrarum habitandi, sed nullum competit jus in hisce præcise terris habitandi, quippe quod dominio adversatur (§. 121. *part. 2. Jur. nat.*). Et jus hoc si referatur ad hasce terras imperfectum est (§. 906. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter Gens nulla cogi potest, ut exules recipiat (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

§. 150.

De misericordia erga exules.

Erga exules misericordes esse debemus. Etenim exules e loco, ubi domicilium habebant, expulsi, aut ob delicta discedere coacti sunt (§. 145.), consequenter nullam habent fixam sedem, ut alicubi habitare & se honeste sustentare possint (§. 137.). Quamobrem cum se ipsas ab hoc malo, quo affliguntur, liberare nequeant, erga eos vero, qui a malo, quo affliguntur, seipsos liberare nequeunt, misericordes esse debeamus (§. 259. *part. 4. Jur. nat.*); erga exules misericordes esse debemus.

Non est quod excipias, exilium quoque irrogari in pœnam, immo quosdam metu quoque pœnæ fuga sibi consulere volentes exulare, nec hos esse misericordia dignos. Misericordia enim non restringitur ad eos, qui absque culpa sua in calamitatem inciderunt; sed cum ex amore oriatur (§. 652. *Psych. empir.* & §. 256. *part. 4. Jur. nat.*), qui ad omnes promiscue homines extenditur (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), omnes quoque promiscue miseros respicit, sive culpa sua, sive mero infortunio in miseriam inciderint. Nec verendum est, ne propterea crimina & delicta probemus, si quis ob ea exulet: amamus enim personam, odio habemus crimina, vel delicta, quæ commiserunt. Cum factum nec a nobis, nec ab

ab ipsis infectum fieri possit; nobis potius incumbit, ut eos ad meliorem frugem reducamus, nec in causa simus, ne, si sua sponte redire velint, id fieri possit: id quod utique fieret, si misericordiæ nullus esset locus (§. 256. *part.* 4. *Jur. nat.*). Non tamen ideo negamus; misericordia magis dignos esse eos, qui absque culpa sua exulant, vel injusta de causa in exilium acti fuerunt. Illud quoque hic probe notandum, quod, cum malum in se tale non sit, ut puniri debeat (§. 642. *part.* 8. *Jur. nat.*); a Gente alia non attendendum esse, si quis pœnæ subterfugiendæ causa in exilium abiit: quod ut evidentius appareat, sequentem addere lubet propositionem.

§. 151.

An quis puniri possit a Gente, apud quam non deliquit.

Qui apud Gentem unam deliquit, aut crimen aliquod perpetravit, puniri ob id nequit a Gente alia, ad quam venit. Cum enim malum per se tale non sit, ut puniri debeat (§. 642. *part.* 8. *Jur. nat.*), & natura homini competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*); natura quoque Genti nulli competit jus puniendi eum, qui ipsam minime læsit. Quamobrem etsi jus puniendi sit pars imperii civilis (§. 832. *part.* 8. *Jur. nat.*), ac per consequens competat Genti, apud quam quis deliquit, vel crimen aliquod perpetravit (§. 34. *part.* 8. *Jur. nat.*); non tamen propterea Gens alia eum punire potest, qui apud aliam deliquit, vel crimen aliquod perpetravit. Patet itaque, qui apud Gentem unam deliquit, aut crimen aliquod perpetravit, puniri non posse ab alia Gente, ad quam is venit.

Maleficia puniuntur in civitate, vel quia membrum aliquod civitatis (§. 559. *part.* 8. *Jur. nat.*), vel ipsa universitas læsa (§. 579. *part.* 8. *Jur. nat.*). Qui vero pœnæ subterfugiendæ causa exulans ad aliam Gentem venit, nec ibidem membrum aliquod civitatis, seu privatum quendam, nec ipsam universita-

sitatem læsit. Cessat itaque utraque ratio, cur quis a Gente quadam puniri possit, consequenter maleficium in hac civitate perpetratum ad aliam minime pertinet, nec ex eo ipsi in exulem ullum jus nascitur.

§. 152.

Supplices dicuntur profugi, qui aliam Gentem, seu eum, qui populi jus habet, orant, ut se adversus Gentem suam, seu Rectorem civitatis, unde venit, defendat. *Supplices quinam dicantur.*

Distinguendi nimirum sunt supplices ab exulibus: quamvis enim exules supplices esse possint, non tamen omnes exules sunt supplices, sive voluntarii fuerint, sive inviti. Ita si quis ob religionem e patria pulsus ad aliam gentem venit ibidemque receptum quærit, supplex quoque orare potest Rectorem civitatis, ut bona sua, quæ relinquere coactus fuit, sibi extradi curet. Similiter si quis immerito odio accusatur, quasi bona publica non fideliter administrasset; supplex orare potest Rectorem civitatis alterius potentem, ut se adversus injurias intentatas defendat. Quænam vero sint supplicum jura, tum rectius patebit, ubi officia Gentium erga se invicem ac inde nascentia jura demonstraverimus. Sumitur nimirum hic vocabulum in significatu strictiori, quamvis significatus latior ferat, ut supplex dicatur, quicunque alterum orat, ut se adversus alium defendat.

§. 153.

Jus emigrandi est permissio exilii voluntarii. *Jus emigrandi quid sit.*

Ita jus emigrandi competit subditis, quibus e civitate discedere permittitur, quia religioni, quam Rector civitatis tolerare non vult, addicti sunt. Necesse enim non foret, ut discederent, si ab ea desistere vellent. Non omni exuli voluntario competere jus emigrandi, facile patet. Etenim voluntarium exilium est, si quis pœnæ subterfugiendæ causa exul

fit, non tamen is jus emigrandi habet: neque enim in exilium abit nisi contra voluntatem superioris, qui id permittere dici nequit.

§. 154.

Fons hujus juris. Quoniam jus emigrandi est permissio exilii voluntarii (§. 153.), Rector autem civitatis vel proprio motu id permittere potest (§. 407. *part. 8. Jur. nat.* & §. 145. *h.*), vel vi pacti cum aliis Gentibus initi (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), aut legis fundamentalis hoc facere tenetur (§. 77. *part. 8. Jur. nat.*); *jus emigrandi nascitur vel ex pacto, aut lege fundamentali, vel a voluntate superioris dependet.*

In statu naturali nullum datur jus emigrandi; hoc enim supponit civitates esse constitutas, consequenter a jure civitatis dependet. Quæ igitur de jure emigrandi tenenda sunt, ex eodem tanquam fonte suo deducenda, attenta simul causa, ob quam id concedendum. Jura autem civitatis pactis immutari & legibus fundamentalibus restringi posse, satis manifestum est ex principiis Juris naturæ generalibus & juris publici universalis specialibus.

§. 155.

De injuria iis facta, qui jus emigrandi habent. *Si Rector civitatis permittere nolit, ut e civitate discedant, quis jus emigrandi habent; injuriam iis facit.* Qui enim jus emigrandi habet, cum id consistat in permissione exilii voluntarii (§. 153.), eidem e civitate discedere licet (§. 145.). Quodsi ergo Rector civitatis hoc permittere nolit, id fit contra jus ipsius (§. 239. *part. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui facit, quod est contra jus ipsius (§. 859 *part. 1. Jur. nat.*); si Rector civitatis permittere nolit, ut e civitate discedant, qui jus emigrandi habent, injuriam iis facit.

Con-

Contingit hoc, si jus emigrandi venit ex pacto cum aliis Gentibus inito, vel ex lege fundamentali. Quodsi dicas jus emigrandi etiam competere posse ex pacto cum Rectore civitatis in delatione imperii inito; facile est videre, pacto hoc constitui legem fundamentalem (§. 77. *part. 8. Jur. nat.*).

CAPUT II.

De Officiis Gentium erga se invicem ac inde nascentibus Juribus.

§. 156.

Quænam Gens una debeat ceteris.

Quælibet *Gens alteri cuicunque Genti debet, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest.* Etenim jus Gentium originarie non est nisi jus naturæ ad Gentes applicatum (§. 3.), quæ spectantur tanquam personæ singulares in statu naturali viventes (§. 2.). Quoniam itaque quilibet homo alteri cuicunque homini debet, quod sibi, quatenus alter id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsum hoc alteri præstare potest (§. 608. *part. 1. Jur. nat.*); quælibet etiam Gens alteri cuicunque Genti debet, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest.

Principium hoc generale est, quod ambitu suo officia omnia erga gentes alias in se complectitur. Quodsi ergo intellexeris ea, quæ de officiis Gentium erga seipsas in capite præcedente demonstravimus; haud difficile erit perspicere, quænam Gentibus aliis debeantur. Quemadmodum vero superius monuimus, personam moralem distinguendam esse ab individuis

physicis (*not.* §. 28.), hoc est, Gentem spectandam esse qua Gentem, non vero eos, qui de Gente quadam sunt, sigillatim; ita quoque hic cavendum, ne, quæ debentur singulis, qui sunt de Gente aliena, tanquam hominibus, confundantur cum iis, quæ Gentibus debentur, quatenus scilicet omnes, qui eandem faciunt, universim spectantur. Qui enim de Gente alia est, alterius civitatis membrum (§. 5. *part.* 8. *Jur. nat.*), peregrinus est (§. 7. *part.* 8. *Jur. nat.*), & is citra respectum ad Gentem suam spectatur tanquam æque homo, consequenter eadem sunt erga ipsum officia, quæ hominis erga hominem. Perversa olim multas Gentes obsedit opinio, quasi tantummodo amici nostri sint, qui nobiscum ejusdem civitatis membra sunt, inimici autem omnes peregrini, & quod illos saltem amare, hos autem odio prosequi debeamus. Sed eam esse legi naturæ adversam, quæ promiscue universalem omnium erga omnes amorem præcipit (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), evidens est, & Christus, optimus Juris naturæ interpres, eundem errorem redarguit in Judæis & correxit. Error hic ad barbariem Gentium recte refertur (§. 52.), quamvis fieri potuerit, ut apud Gentes alias minus barbaras retineretur: neque enim statim quod barbariem sapit Gentem barbaram facit, nec si quid a cultis moribus abhorret Gentem statim facit incultam (§. 53.). Nulla Gens concipi potest tam perfecta, ut nulli prorsus imperfectioni obnoxia sit. Relegenda hic vero sunt, ut error iste intimius perspiciatur, quæ alias de eodem jam annotavimus (*not.* §. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 157.

Cujusnam sit judicium, num Gens aliqua alteri citra negle-

Quoniam Gens quælibet alteri cuicunque Genti debet, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest (§. 156.), Gens autem quælibet libera est (§. 2.) & vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut

ut in determinandis actionibus suis suo stet judicio (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); *Genti* etiam *unicuique permittendum, ut num alteri quid præstare possit citra officii erga seipsam neglectum suo stet judicio*, consequenter *si quod petitur, denegatur, id ferendum;* & *jus Gentium ad ea, quæ aliæ Gentes ipsis naturaliter debent, imperfectum est* (§. 906. *part. 1. Jur. nat.*). *Status officii erga seipsam quid præstare possit.*

Ita ob annonæ caritatem Gens, quæ frumento abundat, frumentum vendere debet alteri, quæ eodem caret. Quodsi vero verendum, ne, si frumentum venderetur, eandem calamitatem subiret; permittere non tenetur, ut ex sua regione frumentum sibi comparet. Judicium vero, num absque periculo vendi possit, Genti relinquendum, a quo altera sibi frumentum comparare vult, & hæc eodem stare debet. Jus igitur ob annonæ caritatem frumentum emendi ab alia Gente imperfectum est. Et idem eodem modo intelligitur de officio alio quocunque Gentis unius erga ceteras.

§. 158.

Quoniam jus ad ea, quæ Gens una alteri naturaliter debet, imperfectum est (§. 157.) ad ea autem præstanda, ad quæ nonnisi jus imperfectum habet, nemo alterum cogere potest (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Gens* quoque *nulla alteram cogere potest, ut sibi præstet ea, ad quæ præstanda naturaliter sibi invicem obligantur Gentes.* *An Gens una alteram cogere possit ad ea, quæ naturaliter ipsi debet.*

Ita ob annonæ caritatem Gens nulla aliam cogere potest, ut sibi frumentum vendat, si vel maxime frumento abundat, & naturaliter vendere obligatur.

§. 159.

Si Gens una alteri præstare nolit, ad quod præstandum ipsi naturaliter obligatur, cum possit; quod iniquum est, sed nullam alteri injuriam facit. Etenim jus ad ea, quæ Gentes sibi invicem *De officio naturali denegato.*

 præsta-

præstare naturaliter obligantur, imperfectum est (§. 157.), & per consequens si præstare nolit, cum possit, consequenter cum debeat (§. 156.), id fit contra jus imperfectum Gentis alterius. Quamobrem cum iniquum sit, quod fit contra jus imperfectum alterius (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si Gens una alteri præstare nolit, ad quod præstandum ipsi naturaliter obligatur, cum possit, id ipsum iniquum est. *Quod erat unum.*

Enimvero per se patet, quod est contra jus imperfectum, id non esse contra jus perfectum alterius (§. 235. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque alteri injuriam non facit, qui quid facit, quod non est contra jus perfectum alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si Gens una alteri præstare nolit, ad quod præstandum ipsi naturaliter obligatur, cum possit, nullam ipsi injuriam facit. *Quod erat alterum.*

Charitati adversatur, si Gens una desit officio suo erga alteram; non justitiæ. Quamvis itaque injuriam non faciat; tamen peccat.

§. 160.

De limitibus officiorum erga Gentes alias.

Gens nulla alteri præstare tenetur, quod in potestate sua non est. Etenim Gens nulla alteri obligatur naturaliter ad aliquid præstandum, nisi quatenus id fieri potest absque neglectu officii erga seipsam (§. 156.). Quamobrem cum in potestate tua non sit, quod alteri præstare non vales nisi cum neglectu officii (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*); nec Gens ulla alteri præstare naturaliter tenetur, quod in potestate ipsius non est.

In potestate nostra non est, quod usu facultatum, virium ac rerum nostrarum consequi non possumus (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Impedimentum vero vel physicum est, quod actum

actum reddit impossibilem physice, ut a nobis proficisci minime possit, etsi maxime vellemus; vel morale, quod eundem moraliter impossibilem reddit, ut a nobis proficisci quidem possit, sed non debeat. Facile patet, nobis hic tantummodo sermonem esse de impedimento morali, cum ad impossibile nulla detur obligatio (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter per se pateat, quæ usum facultatum & virium nostrarum superant, a nobis fieri minime posse. Impedimentum autem morale, de quo hic nobis sermo est, id quod moraliter impossibile reducit quasi ad impossibilitatem physicam. Etenim si usus facultatum, virium ac rerum tuarum impendendus in officium erga teipsum, perinde omnino est, ac si nullæ tibi essent facultates, vires atque res, quarum usum in officium erga alium impendere posses. Nihil ideo in eo reprehendi potest, quod a nonnullis in rebus moralibus sub impossibili comprehendatur, quod moraliter saltem impossibile est. Nimirum per ea, quæ modo diximus, moraliter impossibile physice tali æquiparatur.

§. 161.

De amore mutuo Gentium.

Gens quælibet Gentem quamcunque aliam amare ac diligere debet tanquam seipsam, etiam inimicam. Etenim quilibet hominem quemcunque alium amare ac diligere debet tanquam seipsum (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque jus Gentium originarie non est, nisi jus naturæ ad Gentes applicatum (§. 3.); Gens quoque quælibet Gentem quamcunque alium amare ac diligere debet tanquam seipsam. *Quod erat unum.*

Et quoniam etiam inimicum amare ac diligere debemus tanquam nos ipsos (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*); eodem modo patet, quod Gens quælibet aliam etiam sibi inimicam amare ac diligere debeat tanquam seipsam. *Quod erat alterum.*

Fallun-

Falluntur oppido, qui amorem universalem omnium erga omnes intra limites privatorum coërcent, quasi Gentibus liberum sit sibi saltem prospicere, aliarum vero Gentium curam prorsus abjicere, immo suam promovere utilitatem cum detrimento earundem. Quemadmodum magnæ illius societatis naturalis, quam ipsa natura inter homines instituit (§. 138. *part. 7. Jur. nat.*), finis est mutuum adjutorium in se & statu suo perficiendo (§. 144. *part. 7. Jur. nat.*), ita idem finis est societatis, quam natura inter omnes Gentes instituit & ad quam colendam eas obligat. Utramque autem amor universalis continet, nimirum illam amor singulorum erga singulos, hanc vero amor Gentium erga Gentes.

§. 162.

De cura felicitatis Gentium aliarum.

Quoniam qui alterum diligit, ei constans & perpetua voluntas est felicitatem alterius promovendi, ac omni studio id agit, ut alter sit felix, & cavet, ne fiat infelix (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*); Gens autem quælibet Gentem aliam quamcunque diligere debet (§. 161.); *Genti unicuique constans & perpetua esse debet voluntas felicitatem aliarum Gentium promovendi, ac omni studio id agendi, ut fiant felices, & cavendi, ne fiant infelices.*

Quemadmodum homo nullus sibi soli nascitur, ac nihil homine utilius esse debet aliis hominibus; ita quoque Gentes non sui tantummodo causa in societates civiles coaluerunt, & Genti uni nihil utilius esse debet Gentibus aliis. Nulla suam tantummodo felicitatem curæ habere debet, sed etiam eam, quæ est aliarum. Sicuti amor universalis hominum prospicit felicitati omnium; ita quoque amor universalis Gentium felicitati omnium consulit. Inhumanum est hominem non amare hominem, multoque magis odisse; ferinum vero Gentem non amare Gentem, multoque magis eam odisse. Amor neminem esse sinit infelicem nisi culpa sua; ita quoque idem

idem Gentem nullam infelicem esse sinit nisi sua culpa. Quodsi Gentes vim ejus penitus perspicerent, omnes esse poterant felices, multoque minus in Annalibus legeremus, unam fecisse alteram infelicem.

§. 163.

De charitate Gentium.

Similiter quia charitas est virtus, qua alios diligimus tanquam nosmetipsos (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), & ad eam ipsa naturæ lege obligamur (§. 621. *part. 1. Jur. nat.*), Gens autem quælibet Gentem quamcunque aliam diligere debet tanquam seipsam (§. 161.); *charitas* quoque *inter Gentes vigere debet*, consequenter *quod charitati adversum juri Gentium necessario, seu interno repugnat* (§. 4.).

. Charitati rarus locus est inter Gentes. Omnium fere animos occupavit perversa illa opinio, quasi fons juris Gentium sit utilitas propria: unde contingit, id potentiæ coæquari. Damnamus hoc in privatis, damnamus in Rectore civitatis; sed æque idem damnandum est in Gentibus. Charitas autem Gentium Gentes qua tales respicit, ac ideo differt a charitate singulorum, prouti jam ante insinuavimus (*not.* §. 28. 161.).

§. 164.

De officiis humanitatis Gentis erga Gentem.

Quoniam Gens quælibet felicitatem Gentis alterius promovere debet (§. 162.), officia autem humanitatis sunt, quibus alterius felicitas promovetur (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*); *officia* quoque *Gentis erga Gentes alias, quibus earum felicitas promovetur, officia humanitatis sunt.*

Patet itaque dari officia humanitatis Gentium erga Gentes, quæ vulgo parum attenduntur. Proficiscuntur ea ex mutuo Gentium amore (§. 161. *b.* & §. 633. *Psych. empyr.*). Quod igitur negligantur, ex erronea ista opinione nascitur, quasi of-

ficia Gentium erga se invicem saltem metienda sint ex utilitate propria (*not.* §. 163.).

§. 165.

Quæ de iis tenenda.

Quia officia Gentis erga Gentes alias, quibus earum felicitas promovetur, humanitatis sunt (§. 164.); *quæ de officiis humanitatis demonstrata sunt in Jure naturæ, ea etiam valent de officiis Gentium erga Gentes alias, quibus earum felicitas promovetur.*

Superfluum foret ea hic repetere velle, cum quilibet per se eadem ad Gentes facile applicare possit. Præter necessitatem itaque prolixiores esse nolumus.

§. 166.

Quatenus Gens una alteram conservare & perficere obligetur.

Quicquid Gens una ad conservationem & perfectionem alterius in eo, in quo sibimetipsi non sufficit, conferre potest; ad id conferendum eidem naturaliter obligatur. Etenim Gens quælibet se conservare (§. 31.), seque atque statum suum perficere obligatur (§. 35.). Quamobrem cum Gens quælibet alteri cuicunque debeat, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest (§. 156.); quicquid Gens una ad conservationem & perfectionem alterius in eo, quo sibimet ipsi non sufficit, conferre potest, ad id conferendum obligatur.

Perversa est opinio, quam Gentes plerumque fovent, quasi interitus Gentis alterius faciat ad conservationem sui. Quodsi ea ex animis Gentium omnium eradicari posset, & quælibet sorte sua contenta esset; conservatio unius minime noceret conservationi alterius. Idem dicendum est de perfectione Gentium aliarum & statu earundem.

§. 167.

§. 167.

Quoniam Gens una ad perfectionem alterius conferre debet, quod potest, in eo, quo sibimetipsi non sufficit (§. 166.), nullum autem tibi competit jus cogendi alterum, ut, ubi perfectionem ejus promovere velis, id a te fieri patiatur (§. 666. *part. 1. Jur. nat.*); *si alterius Gentis perfectionem Gens aliqua promovere velit, eam cogere non potest, ut id fieri patiatur* (§. 165.). *Idem ulterius expenditur.*

Gentes nimirum spectandæ sunt tanquam personæ liberæ ac per consequens uniuscujusque judicio relinquendum, quid fieri velit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Obtrusio beneficii repugnat libertati naturali. Gens satisfecit officio suo, si opem suam in perficiendo alteri obtulerit (§. 665. *part. 1. Jur. nat. &* §. 165. *b.*).

§. 168.

Quicquid Gens docta & culta conferre potest, ut barbaræ ac incultæ fiant doctæ atque cultiores; id facere debet. Etenim Gentes doctæ & cultæ, non barbaræ esse debent (§. 54.). Quamobrem cum Gens quælibet alteri cuique debeat, quod sibi, quatenus id altera non habet in potestate sua, ipsa auautem citra neglectum officii erga seipsam hoc præstare potest (§. 156.); quicquid Gens docta & culta conferre potest, ut barbaræ ac incultæ fiant doctæ atque cultiores, id facere debet. *De officio erga Gentes barbaras & incultas.*

E. gr. ponamus, Gentem aliquam abundare viris doctis & cultis moribus præditis. Permittere ea debet, ut quidam eorum doctrinam & bonos mores apud Gentem barbaram & minus cultam propagent. Cumque etiam, altero non petente, opem nostram eidem offerre debeamus (§. 664. *part. 1. Jur. nat.*); per legatos quoque Gens propensionem suam al-

teri insinuare debet, multo magis autem petitioni ejusdem annuere.

§. 169.

An coactionem admittant.

Quoniam Gens docta & culta, si quid conferre potest, ut barbara & inculta fiat docta atque cultior, id facere debet (§. 168.), si qua vero Gens perfectionem alterius promovere velit, eam cogere non potest, ut id fieri patiatur (§. 167.); *si Gens quædam barbara & inculta opem ab alia sibi oblatam ad barbariem tollendam & mores cultiores efficiendos acceptare nolit, ut acceptet eam cogere non potest,* consequenter *eam vi adigere nequit, ut animum doctrina excolat, quæ barbariem delet & sine qua culti esse nequeuntt mores.*

Barbaries & inculti mores nullum tibi dant jus in Gentem. Vide, quæ modo paulo ante annotavimus (*not.* §. 167.). Injustum igitur est bellum, cujus prætextus inde sumitur. Minus probanda est sententia *Grotii,* quod Regibus & qui par Regibus jus obtinent habeant jus pœnas poscendi a quibusvis, qui jus naturæ aut Gentium immaniter violant, de J. B. & P. lib. 2. c. 20. §. 40., nec opus est, ut ad mitigandam eam adhibeantur cautiones, quas §. 41. & seqq. affert. Fons erroris in eo consistit, quod malum ipsi videatur tale, ut puniri possit, & rationi admodum conveniens sit, ut puniatur ab eo, qui eidem obnoxius non est. Cum in parte prima juris naturæ fontem juris puniendi ostenderimus, & præterea demonstraverimus, malum in se tale non esse, ut puniri debeat (§. 642. *part. 8. Jur nat.*); verendum non est, ne *Grotii* rationes, quas pro sententia sua adducit, ullam nobis facessant difficultatem, quippe quæ cum juribus homini connatis minime cohæret, tantum abest, ut inde deduci possit.

§. 170.

Cuilibet Genti competit jus perfectum officia humanitatis ab alia Gente petendi, si quod petit ipsa facere nequit. Nemini enim competit jus petendi ab altero officium quoddam humanitatis, nisi quando, quod petit, ipsemet facere nequit (§. 661. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes officia humanitatis sibi invicem præstare debeant, quando iisdem opus habent (§. 164.), Genti quoque cuilibet competit jus officia humanitatis ab alia Gente petendi, si quod petit ipsa facere nequit (§. 165.). *Quod erat unum.*

De jure Gentium petendi officia humanitatis.

Enimvero jus petendi ab altero officia humanitatis jus perfectum est (§. 904. *part. 1. Jur. nat.*). Jus igitur hoc, quod etiam gentibus competit *per demonstrata*, perfectum est. *Quod erat alterum.*

Officia humanitatis debentur Genti a Gente pro indigentia (§ 156.). Quæ ergo aliquo indiget, ea alteri indigentiam suam significare tenetur. Quoniam tamen nemo hominum habet jus ad officia humanitatis alterum cogendi (§. 658. *part. 1 Jur. nat.*); Genti quoque uni ab altera officium humanitatis non quidem exigere, tandem petere licet.

§. 171.

Quoniam cuilibet Genti competit jus perfectum officia humanitatis ab alia Gente petendi, si quod petit ipsa facere nequit (§. 170.) & de indigentia judicium est petentis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), quod vero fit contra jus perfectum alterius injuria est (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *Genti unicuique permittendum, ut ab alia officium humanitatis petat, nec citra injuriam ne petat prohiberi potest, vel etiam male tractari, quod petat.*

An citra injuriam impediri possit.

Utemur hoc principio inferius in demonstrandis aliis, ne ad merum arbitrium Gentium referatur, quod ipsa lex naturæ imperat.

§. 172.

De amicitia Gentium.

Gentes amicitiam inter se colere debent, & unicuique danda est opera, ne alias sibi inimicas reddat. Gentes enim se invicem amare debent tanquam seipsas (§. 161.). Quamobrem cum in mutuo amore amicitia consistat (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*); Gentes amicitiam inter se colere debent. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque qui ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum simul obligatur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); unicuique etiam Genti danda est opera, ne alias sibi reddat inimicas. *Quod erat alterum.*

Dantur fœdera amicitiæ, de quibus infra suo loco dicemus. Absit autem ut existimes amicitiam Gentium hoc unice fulcro niti: est nim ea juris naturalis, & jus naturæ violatur, si qua Gens quid committit, quod amicitiæ adversatur.

§. 173.

De læsione Gentium prohibita.

Gens nulla alteram lædere debet. Quælibet enim Gens perfectionem alterius promovere debet pro virili (§. 166.), consequenter nil committere, quo hæc vel status ejusdem imperfectior reddatur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum alterum lædat, qui eum ejusve statum imperfectiorem reddit (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*); Gens nulla alteram lædere debet.

Poterat idem ostendi etiam hoc modo. Nemo lædendus (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo etiam Gens nulla alteram lædere debet (§. 3.).

Quoniam læsio consistit in actibus, quibus Gens vel status ejusdem imperfectior redditur (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*); prohibitio de Gente non lædenda continet obligationem generalem de iis, quæ Gens Genti facre non debet.

§. 174.

Perfectio Gentis consistit in aptitudine finem civitatis suæ consequendi. Gens enim est multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum perfectio societatis consistat in aptitudine finem societatis consequendi (§. 171. *part. 7. Jur. nat.*); perfectio Gentis in alio consistere nequit nisi in aptitudine finem civitatis suæ consequendi. *Perfectio Gentis in quo consistat.*

Sæpius jam monuimus, quando de Gente nobis sermo est, nos non considerare singulos sigillatim, qui sunt de Gente quadam; sed omnes, qui eandem faciunt, universim sumtos, ne officia, quæ debentur, homini quatenus homo est, confundantur cum officiis, quæ Genti qua Genti debentur. Gens persona moralis est, ac ideo sibi propriam habere debet perfectionem. Gentem facit consociatio in civitatem (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), quæ cum fiat certo fine (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), ex eo utique Gentis perfectio æstimanda. Quemadmodum perfectio corporis humani consistit in aptitudine ad consequendum finem, qui consentiente usu singulorum organorum corporis obtineri potest (§. 317. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*), ac idem dicendum de perfectione animæ (§. 201. *part. 1. Jur. nat.*), qua utraque conjuncta nascitur perfectio totius hominis; ita quoque perfectio Gentis consistit in aptitudine finem obtinendi, cujus gratia in civitatem coiverunt.

§. 175.

Cum perfectio Gentis consistat in aptitudine finem civitatis suæ consequendi (§. 174.), quæ vero Gens una in eo, in quo sibimetipsi non sufficit ad perfectionem Gentis alterius conferre potest, ad id conferendum eidem naturaliter obligatur (§. 166.); *quæ Gens una ad hoc conferre potest, ut altera* *Quomodo ea promoveatur.*

tera

tera finem civitatis suæ consequatur, ubi sibimetipsi non sufficit, id conferre debet.

E. gr. Ponamus Gentem aliquam carere legibus civilibus, nec nosse, quomodo recte condantur; aliam vero optimis uti legibus. Quodsi igitur illa petat, ut eædem secum communicentur, communicatio earum denegari minime debet. Idem dicendum est de aliis, quæ utiliter in Rep. constituta sunt, veluti de modo celeriter ac absque nimio sumtu terminandi lites civiles, vel etiam de œconomia publica rite administranda. Huc etiam pertinet, quæ superius de barbarie delenda & moribus ad rationis normam componendis annotavimus (*not.* §. 168.).

§. 176.

Unde singula pateant.

Quoniam Gens una prompte conferre debet, quod potest, ut Gens altera, quæ sibimetipsi non sufficit, finem civitatis suæ consequatur (§. 175.), quæ vero ad hunc obtinendum faciunt, per ea patet, quæ de Rep. constituenda prolixe demonstravimus in Jure publico universali (§. 393. *part. 8. Jur. nat.*); *ad quænam Gens una alteri naturaliter obligetur, per ea patet, quæ de Rep. rite constituenda demonstrata fuerunt* (§. 394. & *seqq. part. 8. Jur. nat.*).

Nimirum ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstrata fuerunt, patet, quænam Gens sibimetipsi debeat. Quamobrem cum, quæ naturaliter Gens una alteri debet, non sint diversa ab iis, quæ sibimetipsi debet (§. 156.); evidens omnino est, hæc haurienda esse ex iis, quæ de Rep. constituenda demonstrata fuerunt.

§. 177.

Fons officiorum Gentis

Cum Gens una conferre debeat, quicquid potest, ut Gens alia finem civitatis suæ consequatur, ubi sibi ipsi non

non sufficit (§. 175.), finis autem civitatis in sufficientia vitæ, *erga Gentem* tranquillitate & securitate consistat (§. 13. *part. 8. Jur. nat.); apertas. quicquid Gens una ad sufficientiam vitæ, tranquillitatem & securitatem alterius conferre potest, id conferre debet, ubi sibi ipsi non sufficit,* consequenter cum vitæ sufficientia consistat in abundantia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, & remediis felicitatis (§. 10. *part. 8. Jur. nat.),* tranquillitas in vacuitate a metu injuriarum (§. 11. *part. 8. Jur. nat.)*, securitas vero in vacuitate a metu vis præsertim externæ (§. 12. *part. 8. Jur. nat.); quicquid Gens una conferre potest, ut altera abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, atque remediis felicitatis, & ut sit vacua tam a metu injuriarum, quam vis præsertim externæ, id conferre debet, ubi ea sibimetipsi non sufficit.*

Quemadmodum ex fine civitatis deduximus ea, quæ Gens quælibet sibimetipsi debet; ita inde quoque deduci possunt, quæ Gens una alteri debet (§. 160.). Quodsi ergo aliqua sese offerat occasio, qua Gens una alteri inservire potest; hinc facile perspicitur, num naturaliter ad id obligetur. Ratio enim obligationis inde petenda. Non tamen opus est, ut ad principium hoc remotum semper recurramus, si supponamus ea, quæ de officiis Gentis erga seipsam inde deducta fuerunt (§. 176.). Ex principiis vero generalibus, quæ hic demonstrantur, manifestum est, officia Gentium erga se invicem longe latius patere, quam vulgo putatur. Quemadmodum vero vulgo non agnoscitur omnis amplitudo juris naturæ, quam habet intuitu omnium hominum in se spectatorum; ita mirum non est, si nec Juri naturali Gentium omnis tribuatur amplitudo, quam habere potest. Quodsi fieri posset, ut Gentes in universum omnes eandem agnoscerent, & officiis suis pro virili satisfacere omni studio eniterentur; Gentium omnium saluti abunde prospectum esset, & civitas illa maxima, quam natura inter Gentes instituit (§. 9.), non dissociaretur. Sed hæc magis

optanda, quam speranda sunt. Absit tamen, ut propterea existimes, omnem de officiis Gentium erga se invicem doctrinam esse inutilem. Ecquis enim defendere ausit, non urgenda esse officia, quæ lex naturæ urget, proterea quod homines ea negligant, nec fieri possit, ut omnes iisdem satisfacere studeant? Sane amor inimicorum rara omnino avis est: ecquis vero reprehendit, amorem inimicorum inculcari? Et quemadmodum bene sperandum est de hominibus, ut saltem aliqui officiis suis satisfaciant, si ea norint; ita similiter idem sperandum de nonnullis saltem Gentibus.

§. 178.

Imperfectio Gentis in quo consistat.

Imperfectio Gentis consistit in ineptitudine finem civitatis suæ consequendi. Imperfectio enim opponitur perfectioni, eidemque contraria est, quod per se patet. Quamobrem cum perfectio Gentis consistat in aptitudine consequendi finem civitatis suæ (§. 174.); ita ex adverso imperfectio consistit in ineptitudine finem civitatis suæ consequendi.

Quemadmodum Gens perfecta comparatur corpori sano, in quo omnia corporis organa apta sunt ad functionem suam rite obeundam; ita Gens imperfecta comparanda corpori morbido, in quo organa quædam inepta sunt ad functionem suam obeundam, aut prorsus deficiunt: quo in casu corpori mutilo æquiparatur. Similitudo hæc non vaga est, sed, si ea rite uti noveris, ea inprimis adhibita cautione, ne simile ultra suum tertium extendatur, ad inveniendum & demonstrandum apta est. Similitudines enim veræ sunt notiones generales, ex æquo rebus diversis convenientes, seu ea continentes, quæ iisdem simul insunt, ac ideo ad usum principii reductionis, quod maximi momenti est in arte inveniendi, plurimum adjumenti afferunt.

§. 179.

§. 179.

Quoniam alterum lædit, qui eum ejusve statum imperfectiorem reddit (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*), imperfectio autem Gentis in ineptitudine finem civitatis suæ consequendi consistit (§. 178.); *si Gens quædam committit, quæ alteram ineptam reddit ad finem civitatis consequendum*, consequenter *fini ejusdem adversum*, *Gentem hanc lædit*, ac ideo cum *Gens* nulla alteram lædere debeat (§. 173.), *nulla* quoque *quicquam committere debet, quod fini civitatis alterius adversum*, seu *impedire nullo modo debet, quo minus Gens alia finem civitatis suæ consequi possit.* *Læsio Gentis in quo consistat.*

Qui Gentem lædit impedit perfectionem ejus, aut alterum privat eo, quod ad perfectionem ejus requiritur. Qui vero negligit perfectionem alterius, nec eam curæ habet, minime lædit; denegat officium humanitatis (§. 170.), cujus denegatio læsio non est (§. 671. *part. 1. Jur. nat.*). Impeditur vero perfectio Gentis alterius vel directe, quatenus actus, quo impeditur, proficiscitur ab ipso impediente; vel indirecte, quatenus impeditur, ne alius perfectionem alterius promoveat. Aliud vero est concurrere ad impedimentum, quod alter objicit: hoc enim ad impeditionem directam pertinet. De concursu ad actionem alterius alibi egimus (§. 106. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), & ibidem fusissime demonstrata ad Gentes facile applicantur. Ea quoque cautione opus est, ne quod casu emergit ex actione in se licita, quod obstat, quo minus Gens altera eam perfectionem consequi possit, quam alias poterat, ad impeditionem ejusdem, consequenter ad læsionem referas. Qui enim agit, quod sibi, vel aliis debet, aut jure suo utitur; is nec directe, nec indirecte intendit imperfectionem alterius, ideoque nec perfectionem alterius impedire dici potest. In moralibus probe considerandæ sunt omnes circumstantiæ, quarum vel minima jus variat, quemadmodum dudum observatum est. Habemus autem hic principium generale, vi cujus de læsionibus Gentium judicium facile fieri pot-

est, modo juris publici universalis non fueris ignarus. Et quamvis læsiones Gentium non sint prorsus eædem cum læsionibus privatorum, qui sunt de Gente quadam; ea tamen, quæ de læsione aliorum independenter a statu civili demonstravimus (§. 673. & seqq. part. 1. Jur. nat.), læsionibus quoque Gentium lucem affundunt (§. 5.).

§. 180.

De officiis erga seipsam a Gente cum sensu officii erga Gentes alias præstanda.

Qualibet Gens non modo sibi, verum etiam aliis Gentibus hoc debet, ut se statumque suum perficiat. Gens enim quælibet ad perfectionem alterius in eo, in quo sibimetipsi non sufficit, conferre debet, quod potest (§. 166.). Quamobrem cum hoc facere nequeat, nisi ipsa se statumque suum perficiat; se statumque suum etiam ideo perficere debet, ut officii erga Gentes alias partes omnes adimplere possit. Igitur non modo sibi (§. 35.), verum etiam aliis Gentibus hoc debet, ut se statumque suum perficiat.

Homo homini, civis Reip. Gens Genti utilis esse debet. Quamobrem sicuti homo seipsum perficere debet, ut aliis quoque ope ipsius indigentibus prodesse possit in se ac statu suo perficiendo, ac idem intelligitur de cive Reip. respectu; ita etiam Gens se ac statum suum perficere debet, ut aliis Gentibus ope ipsius indigentibus in se ac statu suo perficiendo prodesse possit. Quemadmodum itaque hominis est, præstare officia erga seipsum cum sensu officii erga alios, & civis cum sensu officii erga Remp. ita quoque Gens officia erga seipsam præstare debet cum sensu officii erga Gentes alias. Non deerunt forsitan nonnulli, quibus, quod hic adstruitur, paradoxum videbitur: sed hi erunt, quorum animus adhuc vacuus est ab amore universali omnium erga omnes, & qui societatem, quam ipsa natura inter homines instituit, animo nondum comprehenderunt (§ 138. part 7. Jur. nat.), ac multo minus agnoscunt eam, quæ eadem natura inter Gentes omnes insti-

instituisse intelligitur (§. 7.). Cum Gentes omnes in civitatem coivisse intelligantur, cujus singula membra sunt singulæ gentes, seu civitates particulares (§. 9.); si quis negare non ausit, civi unicuique incumbere, ut officia erga seipsum adimpleat cum sensu officii erga Remp. quod boni civis est, is ultro concedere tenetur, Gentem quamlibet officiis erga seipsam satisfacere debere cum sensu officii erga Gentes alias. Facere quod est officii erga seipsum cum sensu officii erga alios justitiæ utique universalis est (§. 934. *part. 1. Jur. nat.*), quæ cum lege naturali sit præcepta (§. 935. *part. 1. Jur. nat.*), non minus Gentem quamlibet, quam hominem quemcunque tenet.

§. 181.

Quoniam Gens non modo sibi, verum etiam aliis hoc debet, ut se statumque suum perficiat (§. 180.), exempla autem modum agendi optime docent (§. 275. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & motivum agendi præbent (§. 277. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut de vi exemplorum reliqua dudum demonstrata (§. 259. 260. 265. 266. 269. 270 *part. 2. Phil. pract. univ.*) nihil dicamus; *Gens quælibet alias exemplo suo docere debet, quomodo se statumque suum perficere debeant*, & per consequens *ad exempla bona aliis præbenda*, ac ideo quoque *ad mala non prodenda obligatur* (§. 722 *part. 1. Jur. nat.*). *De exemplis Gentium.*

Quemadmodum homo quilibet omnes actiones suas referre debet ad alios, ut exemplo suo iisdem prosit, minime vero noceat, vi justitiæ universalis (§. 934. 935. *part. 1. Jur. nat*); ita quoque Gens una aliis, cum inter ipsas non minus justitia universalis vigere debeat (*not. §.* 180.), exemplo suo in se statuque suo perficiendo esse debet, sibique cavere, ne pravo exemplo seducat alias.

§. 182.

Obligatio Gentis quoad exempla aliarum Gentium.

Gens quælibet exemplis bonis aliarum Gentium se addere, mala vero sequi minime debet. Etenim Gens quælibet aliis exempla bona in se & statu suo perficiendo præbere, mala vero minime prodere debet (§. 181.). Quamobrem cum quævis etiam Gens se atque statum suum perficere teneatur (§. 40.), & per consequens sibi cavere debet ab iis, quibus ipsa vel status ejusdem imperfectior redditur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*); Gens quælibet exemplis bonis aliarum Gentium se addere, mala vero sequi minime debet.

Frustra foret obligatio ad exempla bona præbenda, mala vero non prodenda (§. 181.), nisi etiam Gentes obligarentur, ut bonis se adderent, mala vero minime sequerentur. Cum vi obligationis illius Gentibus consulatur, qui per se perficere nequeunt, quæ ad salutem suam requiruntur; lex quoque naturæ, quatenus Gentes respicit, urgeat necesse est, ut eædem exemplis bonis sese addant, mala minime sequantur.

§. 183.

De perfectione & imperfectione aliarum.

Quoniam *Gens* quælibet exemplis bonis aliarum Gentium se addere, mala vero sequi minime debet (§. 182.); *quælibet etiam operam dare debet, ut cognoscat tam perfectionem, quam imperfectionem Gentium aliarum ac status earundem.*

Inquirendum scilicet est, non modo quibus moribus Gentes aliæ sint præditæ, verum etiam quænam ab iis bene, vel male constituta sint. Atque hinc de Gente sua bene merentur, qui Gentium aliarum mores & ea, quæ in Rep. ab iis constituta sunt, describunt.

§. 184.

De imitatione Gentium.

Quoniam Gens exemplis bonis aliarum Gentium se addere (§. 182.) consequenter actiones suas in se & statu suo perfi-

perficiendo ad actiones earum conformare debet (§. 181.), alterum vero imitatur, qui actionem suam ad alterius actionem conformat (§. 204. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Gens una alteram in iis, quæ bene & recte ab ea constituta sunt, vel fiunt imitari debet* (§. 30.). Quoniam tamen non alio fine Gens una alteram imitari debet, quam ut se statumque suum perficiat per demonstrata; *ideo in rationes actionum Gentium aliarum & eorum, quæ in Rep. ab iis constituta sunt, inquirere, nec alias imitatari debet, nisi quatenus ea sunt rationi conformes*, ac per consequens cum istiusmodi imitatio rationalis sit, non cœca (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *Gentium imitatio rationalis, non cœca esse debet.*

Gentium aliarum imitatio non infrequens est, præsertium in Europa; ast plerumque cœca esse solet, non rationalis. Quoniam plerique, quibus rerum publicarum cura demandata est, omnia ex utilitate, aut, si mavis, ex quæstu metiuntur; ideo imitari solent ea, quæ a Gentibus aliis utiliter constituta vident. Sed cœca plerumque est imitatio, cum non perpendantur singulæ circumstantiæ, ob quas quid utiliter fuit constitutum, ut imitatio non fiat nisi in casu simili, id quod requiritur, si rationalis esse debet (§. 508. *Psych. empir.* & *seqq.* §. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Immo hinc etiam contingit gentem unam infici pravis aliarum moribus, præsertim si præconcepta quædam de Gente aliqua opinio menti nebulam offudit. Ad cœcam quoque imitationem, statui Reip. adversam, ducit perversa illorum opinio, qui omnia utilitate Principis metiuntur. Laudant hi, quæ ab aliis Gentibus recte ac prudenter constituta sunt, sed ad non imitanda ea rejiciunt, quod Principis utilitas ea si non dissuadeat, saltem non suadeat.

§. 185.

Gens quælibet studere debet, quantum potest, ut etiam aliæ gloriam mereatur. Quælibet enim Gens studere debet, ut ipsa

De studio gloriæ Gentium aliarum.

ipsa gloriam mereatur (§ 49.). Quamobrem cum Gens quælibet alteri debeat quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest, (§. 156.); ideo studere etiam debet, ut aliæ Gentes gloriam mereantur, quantum potest (§. 160.).

Ostendi etiam potest hoc modo. Gens quælibet ad perfectionem Gentis alterius conferre debet, quod potest (§. 166.). Quamobrem cum gloria Gentis vera & solida a perfectione ipsius dependeat (§. 49.); Gens quælibet studere debet, quantum potest, ut etiam aliæ gloriam mereantur.

Absit, ut tibi persuadeas, nos legem naturæ quoad officia Gentium erga se invicem in nimium extendere: ejus enim limites non transgredimur, quamdiu nil admittitur, nisi quod ex principiis illius evidenter colligitur. Ceterum non est, ut existimes, officia Gentis erga aliam restringenda esse ad Gentes vicinas: quodsi enim Gens adeo remota fuerit, ut ad perfectionem ipsius, vel status ejusdem nihil conferre possis, si vel maxime velles, id in potestate tua non est (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nec id præstare teneris (§. 166.). Non cessat, si rem penitius inspicias, obligatio, sed saltem suspenditur, quatenus casu invincibili actus redditur impossibilis, qui eidem subest. Sane si Genti etiam remotæ inservire quocunque modo possis, non minus eidem obligaris, quam si fuerit vicina. Locorum distantia in ipsum jus & obligationem ipsam minime influit, cum illa ex Gentium natura fluant. Immo si Gentes omnes officia erga alias ex omni parte adimplerent, si vel maximine vicinæ saltem consulerent vicinis; hoc tamen modo consuleretur etiam remotissimis. Cum Gentes omnes coaluisse intelligantur in civitatem maximam, cujus singula membra sunt singulæ Gentes, seu civitates particu-

lares

lares (§. 9.); hæc ipsa recte confertur cum corpore humano. Sicuti ergo in eodem observamus, quod, etsi non singula organa functione sua influant in functionem remotorum, sed vicina saltem juvent vicina, eo ipso tamen organorum quoque remotorum functionibus consulatur organis remotis; ita idem obtineret inter Gentes, siquidem omnes naturæ legem sequerentur. Urget ea eundem nexum in humano genere, quem exacte custodit in universo, ubi nihil est in uno, quod non dependet ab iis, quæ maximo quovis intervallo remota sunt. Leges naturæ, quæ hominibus præscribuntur, ab iis, quæ in universo observantur, minime dissonæ sunt. Urget natura analogiam inter universum & civitatem maximam inter Gentes institutam (§. 8. 9), quæ amplissimum dicendi campum aperiret, si eam distincte exponere vellemus, nec præsentis instituti ratio id prohiberet.

§. 186.

De existimatione & laude Gentium aliarum.

Gentem unamquamque tanti existimare debemus, quanti meretur, & tantum ei tribuere laudis, quantum meretur. Etenim unusquisque alterum tanti existimare debet, quanti meretur (§. 647. *part. 1. Jur. nat.*), & tantum tribuere laudis, quantum meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ea, quæ sunt juris naturalis, etiam ad Gentes applicanda sint (§. 3.); Gentem quoque unamquamque tanti existimare debemus, quantum meretur, & tantum ei tribuere laudis, quantum meretur.

Non opus est, ut explicemus disertius, quantum existimationis atque laudis Gens aliqua mereatur: etenim cum existimatio consistat in judicio de perfectione alicujus §. 538. *part. 1. Jur. nat.*), laus vero in oratione, qua judicium illud significatur (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*); existimatio quantitatem recipit a quantitate perfectionis Gentis & existimationi proportionanda est laus, quæ Genti tribuitur. Cum perfectio Gentis

consistat in aptitudine finem civitatis suæ consequendi (§.17.), quæ aliunde quam per facta innotescere aliis minime potest: quantum Gens existimari mereatur & qanta eidem tribuenda sit laus, ab eo demum penitus intelligitur, qui, quæ de Rep. rite constituenda demonstrata sunt, immo universum Jus publicum universale in parte octava Juris naturæ demonstratum animo comprehendit. Vera igitur existimatio Gentis veraque laus non adeo facilis, quemadmodum videri poterat. Quamobrem illi, qui Gentem aliquam tanti existimare norunt, quanti meretur, & laudem meritam eidem tribuere; hi laudem ejus ad alios propagare debent. Officium hoc inprimis peregrinantium & eruditorum est, qui quæ in Gentibus etiam remotis laudanda sunt, in vulgus emittunt & quasi ommnibus communia faciunt. Eo ipso simul studium imitandi Gentes alias in iis, quæ bene in Rep. ab iisdem instituta sunt, vel fiunt, promovetur, & exempla bona a cognitione nostra alias procul remota innotescunt. Officia nimirum aliis debita cum officiis erga seipsum ita cohærent, ut mutuo in se invicem influant.

§. 187.

De naturali obligatione commercia exercendi.

Gentes commercia invicem exercere naturaliter obligantur, quantum in potestate est. Quicquid enim Gens una conferre potest, ut altera abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, id conferre debet (§.177.), & cuilibet Genti competit jus res, quibus indiget, ab aliis Gentibus, quæ ipsæmet iisdem opus non habent, æquo pretio sibi comparandi (§. 58.). Quamobrem cum commercia consistant in jure emendi vendendique invicem res quascunque mobiles & moventes, tam necessarias, quam utiles & voluptuarias (§. 60), consequenter medium sint ea obtinendi, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt (§. 499. & *seqq. part. 1. Jur. nat.)*, Gentes autem in re-

regione sua non habent; Gentes commercia invicem exercere naturaliter obligantur, quantum in potestate est.

Si commmunio primæva inter Gentes subsisteret, res omnes essent communes (§. 24. 29. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter quælibet Gens ab alia qualibet petere posset res mobiles atque moventes, quibus indiget, altera autem carere potest. Enimvero cum imperia civilia sine dominiis, saltem communione mixta apud quamlibet Gentem, quæ dominia supponit (§. 129. *part. 2. Jur. nat.*), introduci minime potuerint, quod facile patet iis, quibus imperii civilis & dominii vis satis perspecta est; in locum illius juris successit jus res, quibus Gens aliqua indiget ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem, æquo pretio sibi comparandi a Gente alia, quæ ipsamet iisdem opus non habet (§. 58.), prouti ex demonstratione hujus juris clarius elucescit. Ac ita patet origo obligationis naturalis exercendi commercia, quæ Gentes tenet, sicuti ex ipso fonte, primæva nimirum communione, fluit. Ipsa autem hæc communio tuetur dominia Gentium. Etenim vi communionis primævæ nemo rem alteri, quam usus necessarii gratia apprehendit, consequenter etiam quam industria sua produxit, vel arte fecit in usum suum, invito eripere potest (§. 36. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes spectentur instar personæ singularis (§. 2.); nulli quoque Genti invitæ res usui ejus destinatas vi eripere licet. Quoniam itaque regionem occupavit usus perpetui causa & rerum naturalium proventum industria sua promovet atque artificiales parat sui usus causa, nisi tanta earum proveniat copia, ut omnibus ipsamet non indigeat; jus illud, quod ex comunione primæva fluit, sua quasi sponte transit in dominium Gentis. Et hoc pacto, quo Gentes ortæ sunt (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), cum imperio orta quoque sunt dominia Gentium (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), reservata tamen obligatione in propositione præsenti stabilita. Quando vero in eadem obligatio ista restringitur ad id, quod in potestate est, absit ut exi-

ſtimes, non aliud hic attendendum eſſe, quam num rebus, quibus alia Gens indiget, Gens aliqua carere poſſit. Quoniam enim in poteſtate noſtra non eſt, quod alteri præſtare non valemus, niſi cum neglectu officii erga nosmetipſos (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*); hic etiam conſideranda ſunt cetera officia Gentis erga ſemetipſam, qualiacunque tandem fuerint. Ita Sinenſes, cum formam Reip. quantum fieri poterat optimam introducere, ac ideo eandem continuo magis magisque perficere, & mores Gentis ſuæ integros ac incorruptos ſervare vellent, omne commercium cum Gentibus aliis prohibuerunt, nec exteris aditum in terras ſuas conceſſerunt, etſi abundarent rebus ad commercia cum Gentibus aliis exercenda ſufficientibus. Nec dici poteſt, quod in eo violaverint jus naturale Gentium. Removenda enim erant impedimenta, quæ obſtare poterant, quo minus ſe ſtatumque ſuum perficerent, quemadmodum fieri debebat. Multa cautione opus eſt, ne judicium de factis Gentium præcipitetur.

§. 188.

Cujusnam ſit judicium, num commercium ſit in poteſtate.

Quoniam Gens quælibet cum aliis commercia exercere debet, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 187.), Gens autem quælibet libera eſt (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter ipſi permittendum, ut in negotiis ſuis determinandis ſuo ſtet judicio (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); *utrum in poteſtate Gentis cujusdam ſit commercia cum aliis exercere, nec ne, ipſius judicio relinquendum.* Et eodem modo porro patet, *quod judicii hujus rationem non teneatur reddere Gentibus aliis*, conſequenter *hiſce ſola voluntate illius ſtandum.*

Libertas naturalis jus inviolabile eſt non minus inter Gentes, quam inter ſingulos homines. Et hæc inviolabilitas in ſingulis officiis erga Gentes alias ſemper attendenda, ne Gens una plus ſibi juris in alteram arroget, quam lex naturæ, ſibi per omnia conſentiens, concedit. Nec eſt, quod objicias exci-

excipiendum esse casum, in quo manifestum est commercia exerceri posse absque neglectu ullius officii erga seipsam. Quoniam enim difficile est hoc judicium, nec per id libertati naturali constare potest sua integritas; in Gentis cujuslibet voluntate acquiescendam, si vel maxime libertate sua abuti videatur.

§. 189.

Quale naturaliter sit jus commerciorum.

Quoniam judicium de eo, num in Gentis alicujus potestate sit commercia cum alia miscere, ipsi relinquendum (§. 188.), jus vero, cui respondens obligatio a judicio alterius pendet, imperfectum est (§. 906. *part. 1. Jur. nat.*); *jus commercia exercendi cum Gente alia imperfectum est*, & per consequens *Gens nulla alteram cogere potest, ut commercia secum exerceat* (§. 237. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Quoniam jus ad commercia cum Gente alia exercenda est jus ad id, ad quod alter dandum, vel faciendum tibi obligatur, quando re vel opera ipsius indiges (§. 60.), jus autem hoc imperfectum est (§. 355. *part. 3. Jur. nat.*), inde etiam ostendi potest, jus commercia exercendi cum Gente alia, quod scilicet naturaliter Gentibus competit, nonnisi imperfectum esse. Imo inde statim idem infertur, quod dominiis rerum introductis jus res sibi comparandi ab alio nonnisi imperfectum sit (§. 356. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 190.

Qualis sit naturalis Gentium obligatio ad commercia.

Cum Gens nulla alteram cogere possit, ut commercia secum exerceat (§. 189.), etsi naturaliter obligetur, si in potestate sit (§. 187.), perfecte autem nemo alteri obligetur, si non habeat jus illum cogendi, ut obligationi suæ satisfaciat (§. 236. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Gentes* quoque *ad commercia invicem exercenda sibi invicem perfecte non obligantur.*

Apparet itaque, solo jure, quod naturaliter Gentibus ad commercia competit, ea stare minime posse, cum ferendum sit, si qua Gens commercia cum alia exercere nequit (§. 409. *part. 3. Jur. nat. &* §. 189. *b.*). Quoniam obligatio ad commercia pertinet ad obligationem mutuam dandi & faciendi (§. 60.), obligatio autem mutua dandi & faciendi naturalis imperfecta est (§. 354. *part. 3. Jur. nat.*); obligationem Gentium naturalem ad commercia exercenda imperfectam esse, etiam inde patet.

§. 191.

Quomodo jus perfectum ad commercia acquiratur.

Gens nulla alteram perfecte sibi obligare potest ad commercia nisi per pacta, nec aliter jus perfectum ad ea consequi datur. Etenim Gentes nonnisi imperfecte ad commercia exercenda sibi mutuo obligantur (§. 190.), consequenter quod ex ista obligatione debetur, nonnisi imperfecte debetur (§. 401. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum mutuo consensu efficiatur, ut, quod imperfecte debebatur, jam debeatur perfecte (§. 404. *part. 3. Jur. nat.*); Gentes quoque sese sibi invicem perfecte obligare possunt ad commercia exercenda mutuo consensu, consequenter inter se de iis conveniendo (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*). Cum vero nemo se se alteri perfecte obligare possit, nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); Gens quoque nulla alteram perfecte sibi obligare potest ad commercia nisi per pacta. *Quod erat unum.*

Quoniam ex obligatione perfecta nascitur jus perfectum ad id, ad quod alter nobis obligatur (§. 235. 236. *part. 1. Phil. pract univ. &* §. 23. *part. 1. Jur. nat.*), Gentes autem sese sibi invicem perfecte obligare non possunt nisi per pacta, *per demonstrata n. 1.* jus quoque ad commercia perfectum aliter consequi non datur, nisi per pacta. *Quod erat alterum.*

Patet

Patet hinc necessitas pactorum inter Gentes de commerciis, quæ iis solis firmitatem suam debent. Unde jus perfectum commerciorum inter Gentes pactitium est (§. 23.), ac ideo controversiæ, quæ de eodem oriuntur, ex pactis definiendæ.

§. 192.

Norma pactorum de commerciis unde desumenda.

Quoniam Gens nulla alteram sibi perfecte obligare potest ad commercia nisi per pacta, nec aliter jus perfectum ad ea consequi datur (§. 191.), nemo autem alterum sibi obligare potest ad quid dandum, vel faciendum ultra voluntatem suam, nec ab eo acceptatione sua plus juris acquirere, quam is in eum transferre vult (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); *a voluntate Gentium de commerciis paciscentium unice dependet, quomodo de iis inter se convenire velint*, consequenter *omne istud jus commerciorum mere pactitium est* (§. 23.).

Jus igitur commerciorum inter certas Gentes aliter cognosci ac dijudicari nequit, nisi ex pactis earundem.

§. 193.

De restrictione commerciorum ad emtionem & res certas.

Cum a voluntate Gentium de commerciis paciscentium unice dependeat, quomodo de iis inter se convenire velint (§. 192.), commercia autem in jure emendi & vendendi res mobiles ac moventes consistant (§. 60.); *Gentes solam* quoque *ea lege convenire possunt, ut uni saltem liceat res parata pecunia emere, non vero alias suas apud eandem vendere, aut contra* vel etiam *emere tantummodo, vel emere ac vendere res certas, non vero promiscue quaslibet*, & per consequens *ubi pactum ad res certas fuerit restrictum, aliarum emtio & venditio*, cum hic nullum jus violetur, *citra injuriam probiberi potest* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Etsi enim communiter commercia in jure emendi ac vendendi consistant (§. 60.), non tamen ea jura ita cohærent, ut a se

a se invicem separari nequeant. Quamobrem cum pacta dent commerciis legem; nihil prorsus obstat, quo minus commercia ad solum jus emendi, vel vendendi restringantur, prouti Genti alterutri commodum visum fuerit. Ac idem etiam intelligitur de rebus, quæ in commercium veniunt.

§. 194.

De modo ineundi pacta commerciorum causa.

Eadem ratione patet, *pacta commerciorum iniri posse vel in perpetuum, vel ad certum tempus, & iis adjici posse conditiones quascunque, clausulas quoque certas commissorias, prouti contrahentibus e re sua esse visum fuerit* (§. 35. 36.).

Qui ea novit, quæ de modo transferendi jus quoddam in alium demonstravimus (§. 14. *& seqq. part. 3. Jur. nat.*), & cum de contractibus privatorum ageremus, passim tradidimus; ei nihil prorsus obscuritatis in propositione præsente supererit. Quoniam tamen pacta etiam Gentium, consequenter ea, quæ de commerciis fiunt, Jus naturæ regere debet; curæ omnino habendum, ne quid committatur, quod officiis Gentium erga seipsas & erga alias repugnat. Quamvis enim commercia externa non modo prospiciant indigentiæ, verum etiam ad augendas opes faciant (§. 63. 67.); non tamen ita velificandum utilitati, ut officiis erga seipsum & erga alios officiatur. Id ipsum autem ut præcaveatur, probe consideranda sunt, quæ de Rep. rite constituenda demonstravimus (§. 176.). Ceterum in superioribus jam ostendimus, a voluntate Gentis cujuslibet dependere, utrum cum Gente alia commercia exercere velit, nec ne, & qua lege velit exercere (§. 73.), nec aliter jus perfectum ad commercia cum alia Gente exercenda acquiri posse, quam per pacta (§. 191.). Quod vero valet de Gentibus singulis in se spectatis, id etiam valet de duabus vel pluribus Gentibus de commerciis inter se convenientibus.

§. 195.

§. 195.

Si Gentes sibi invicem saltem permittunt, sive tacite, sive expresse, ut commercia exerceantur, ea vero pacto nullo firmantur; eadem revocari possunt, quandocunque visum fuerit. Etenim si Gens una alteri saltem commercia sive tacite, sive expresse permittit; ex nuda permissione jus perfectum ad commercia non consequitur hæc, cui ea permittuntur (§. 75.), consequenter idem quoque valet de duabus Gentibus reciproce sibi invicem commercia permittentibus. Quoniam itaque neutri competit jus Gentem alteram cogendi, ut commercia secum exerceat (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); semper unicuique liberum manet, utrum exercere velit, nec ne (§. 73.). Quodsi ergo diutius exercere nolit, id permittere amplius non tenetur. Quamobrem cum jus aliquod, quale sunt commercia (§. 60.) revocetur, si qui contulit, aut usum ejus permittit, declarat se amplius permittere nolle (§. 741. *part. 3. Jur. nat.*); si Gentes sibi invicem commercia saltem permittunt sive tacite, sive expresse, ea vero pacto nullo firmantur, ex quo solo nascitur jus perfectum (§. 74.), quod invito adimi non potest (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); ea revocari possunt, quandocunque visum fuerit. *De revocatione commerciorum.*

Tacite permittuntur commercia, si qua Gens res suas in regionem peregrinam advectas ibidem vendit & alias emit, vel alterutrum facit, ac hac occasione data Gens quoque altera similiter facit. Expresse autem permittuntur, si petenti conceduntur, nuda quasi conventione (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*), quæ per se nullam obligationem producit (§. 701. *part. 3. Jur. nat*), nisi accedat promissio (§. 702. *part. 3. Jur. nat.*), ut in pactum abeat (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Exemplum tacitæ permissionis habemus in Gentibus vicinis, quæ sibi invicem res suas vendunt, prouti libuerit, absque ullo prævio

pacto, vel expressa etiam permissione. Commercia sive tacite, sive expresse permissa manent jura meræ facultatis, & eorum exercitium consistit in actibus meræ voluntatis (§.77.), ac ideo salva semper manet libertas voluntatis, utrum ea permittere, vel permissa exercere velit Gens aliqua, nec ne. Mutatio nimirum voluntatis permittenda, quamdiu nil fit contra jus alterius (§. 377. *part. 2. Jur. nat.*), perfectum scilicet (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamvis jure interno destituta (§. 375. *part. 3. Jur. nat.*). Ceterum a commerciis, quæ nuda permissione nituntur, distinguenda sunt precaria, pro lubitu revocabiliter concessa (§. 1125. *part. 5. Jur. nat.*), utut significatus apud Romanos receptus ferat, ut etiam illa precaria vocentur (*not.* §. 1124. *part. 5. Jur. nat.*). Pertinent autem commercia precaria, cum per pacta constituantur (§. 1141. *part. 5. Jur. nat.*), ad jus Gentium pactitium (§. 23.), cum nude permissa maneant intra terminos officiorum erga se invicem (§. 187.). Atque ea ratio est, cur precaria a nude permissis distinguere voluerimus, licet in eo conveniant, ut pro lubitu revocari possint. Ne vero dubium oriatur circa commercia reciproce permissa, tenendum est, duas esse posse permissiones diversas, sive eodem tempore factas, quando scilicet petens alteri sua sponte idem offert, quod petit, vel diverso, quando eodem jure postea utitur concedens, quod hactenus parti alteri concesserat, hac non contradicente. Immo nec obstat, ut permissio fiat sub conditione, ut sibi vicissim permittatur res suas vendere apud petentem, modo in terminis meræ conventionis subsistatur. Neque enim permissioni repugnat adjectio conditionis cujuscunque, quæ etiam parte altera invita quocunque tempore fieri potest (§. 75.): standum nimirum semper est voluntate permittentis. Qui actus obligatorios a non obligatoriis distinguere novit, ei nihil difficultatis in hisce supererit, ut opus non sit esse prolixioribus. Obligatorius actus non intelligitur, nisi animus alteri sese obligandi sufficienter fuerit significatus (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*). Præsumtio in casu dubio cum sit pro libertate,

quip-

quippe quæ naturaliter Gentibus competit (§. 73.); eadem militat pro nuda permissione.

§. 196.

An contra pacta commerciorum tertio quid concedi possit.

Contra pacta quæcunque, consequenter & commerciorum cum Gente una inita alteri nihil concedi potest, ad quod alias Gentes sibi invicem naturaliter obligantur. Cum enim pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); Gens, quæ commerciorum causa aut de alia quacunque cum altera contraxit, id in potestate sua non habet, ut tertiæ cuidam Genti quid concedat, quod pacto commerciorum causa, vel alias inito adversatur (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Nulla vero Gens alteri præstare tenetur, quod in potestate sua non est (§. 160.). Quamobrem nec contra pacta quæcunque, consequenter nec contra pacta commerciorum cum Gente una inita alteri concedere quicquam potest, ad quod alias Gentes sibi invicem naturaliter obligantur.

Nimirum ad quæ Gentes sibi invicem naturaliter obligantur, ea hanc habent restrictionem, si in potestate sit (§. 156. *b.* & §. 610. *part. 1. Jur. nat.*). Debet quælibet Gens hoc etiam sibimetipsi, ne fidem datam fallat, ita ut pacta servet non modo necessitatis causa, verum etiam cum sensu officii tum erga seipsam, tum erga Gentes alias, cum quibus contraxit. Jubet hoc ipsa famæ conservatio (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), quam lex naturæ præcipit ut hominibus singulis (§. 557. *part. 1. Jur. nat.*), ita etiam Gentibus (§. 3.). Ceterum quæ hic de Gentibus demonstrantur, ea etiam in genere valent de privatis quibuscunque: id quod ne ullo modo in dubium vocari possit, sequentem addere lubet propositionem.

§. 197.

Idem generaliter expenditur.

Contra pactum cum altero initum nemo quicquam tertio cuidam præstare potest, ad quod alias naturaliter ipsi obligatur. Cum

enim pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); si quis cum altero contraxit, in potestate sua non habet, ut tertio cuidam quid præstet, quod pacto adversatur (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero naturaliter nemo hominum perfectionem alterius promovere ac imperfectionem præcavere, consequenter præstare quid (§. 80. *part. 3. Jur. nat.*) tenetur, quod in potestate sua non habet (§. 611. *part. 3. Jur. nat.*). Nemo igitur contra pactum cum altero initum tertio cuidam quicquam præstare potest, ad quod alias naturaliter eidem obligatur.

Nimirum officia omnia erga alios hanc habent restrictionem, ut præstentur, si in potestate sit (§. 611. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*). Alias enim naturalis obligatio extenderetur usque ad id, quod impossibile (§. 79. *Ontol.*): quod utique absurdum (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quæ igitur de Gentibus modo annotavimus, ut pacta cum sensu officii erga seipsas, & erga Gentes, cum quibus contraxerunt, servent; ea etiam intelligenda sunt de privatis quibuscunque. Equidem non ignoro, id vulgo parum attendi; non tamen propterea cessat obligatio naturalis, quæ a lege naturæ venit, nec adeo male sentiendum de toto genere humano, ut omnes in universum homines credendi sint vacui a sensu isto officiorum ad servanda pacta requisito. Male omnino faciunt, qui sensum officiorum ab obligatione externa separant, aut saltem in præstatione eorum, quæ huic conveniunt, de eodem parum cogitant. Poterat hæc præpositio præcedenti præmitti, & ex ea præcedens per modum corollarii inferri.

§. 198.

De contractu, ut res certæ non

Si Gens cum alia contraxerit, ut nonnisi ipsi res certas vendat, aut ab ea emat; res istiusmodi aliæ adhuc Genti vendere, aut ab ea emere nequit, sine consensu Gentis, quæ cum ea contraxit. Ponamus

namus enim Gentem, quæ cum alia contraxit, ut nonniſi res certas ipſi vendat, aut ab ea emat, res iſtiusmodi aliæ adhuc Genti vendere, aut ab ea emere: nemo non videt, hoc fieri contra pactum, quod commerciorum cauſa initum (§. 60.). Quamobrem cum contra pacta commerciorum cauſa inita cum Gente una non liceat alii quid præſtare, quod eidem adverſatur, etſi alias naturaliter ad id præſtandum obligetur (§. 196.); ſi qua Gens cum alia contraxerit, ut nonniſi ipſi res certas vendat, aut ab ea emat; res iſtiusmodi aliæ adhuc Genti vendere, aut ab ea emere nequit. *Quod erat unum.*

vendantur niſi uni Genti, aut ob ea emantur.

Enimvero ſi qua Gens cum alia contraxerit, ut nonniſi ipſi res certas vendat, aut ab ea emat; evidens eſt, huic competere in caſu priori jus prohibendi, ne alii vendat, in in caſu poſtetriori jus non patiendi, ut emat (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero quilibet jus ſuum remittere poteſt, quando nil fit contra jus tertii (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); quin contra pactum Gens, quæ contraxit cum alia, ut nonniſi ipſi res certas vendat, aut ab ea emat, res iſtiusmodi cum conſenſu hujus aliæ adhuc Genti vendere, aut ab ea emere poſſit, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Multi dari poſſunt caſus particulares, ubi Gens, cum qua contractum, facile conſentit, ut res aliæ Genti vendantur, vel ab ea emantur, aut etiam conſentire præſumitur. Ponamus e. gr. Gentem quandam cum alia contraxiſſe, ut nonniſi ſibi frumentum vendat. Ponamus eam frumentum ſaltem emere in uſum ſui, non vero commercii cum vicinis exercendi cauſa. Nullum inde naſcitur eidem præjudicium, ſi in caſu neceſſitatis frumentum vendatur etiam Genti vicinæ, aut ubi commercii cauſa cum Gentibus vicinis emit, ut vendatur remotis, cum quibus ipſi commercium nullum intercedere pot-

eſt. Quamobrem nil obſtat, quo minus conſenſus præſumatur, immo etiam iſtiusmodi caſus excepti tacite intelligantur (§. 515. 530. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 199.

De jure naturali ad commercia Gentium.

Naturaliter unicuique competit jus ad commercia cum Gente quacunque alia exercenda. Gentes enim omnes naturaliter commercia invicem exercere obligantur, quantum in poteſtate eſt (§. 187.). Quamobrem cum ex obligatione paſſiva unius naſcatur jus parti alteri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); naturaliter Gentium cuique competit jus ad commercia cum Gente quacunque alia exercenda.

Natura Gentes omnes inter ſe æquales ſunt (§. 16.), ac ideo omnium eadem ſunt jura (§. 17.), & quod uni licet, id etiam licet alteri (§. 18.). Quamobrem etiam naturaliter Gens nulla jus quoddam ad commercia prætendere poteſt cum excluſione alterius cujuscunque, niſi quatenus jus quoddam proprium per pacta ſibi acquiſivit (§. 194.).

§. 200.

An uſus juris iſtius impediri poſſit.

Quoniam naturaliter Genti unicuique competit jus ad commercia alia quæcunque exercenda (§. 199.), nemini autem jus ſuum invito auferri poſſit, quod natura ipſi competit (§. 64. *part. 1.* & §. 336. *part. 2. Jur. nat.*): *Gens nulla prohibere poteſt, ne qua alia cum Gente quadam, veluti cum ſepoſita, commercia exerceat*, ac per conſequens *ſi impedire velit*, cum jus ejus violet (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *injuriam eidem facit* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Propterea Gens jus ſuum, quod naturaliter ipſi competit, minime amittit, quod eo non fuerit uſa, alia autem per longum tempus eodem uſa fuerit, ſi vel maxime uſus juris nulla ur-

urgente necessitate fuerit intermissus. Convenit libertati naturali Gentium, utrum jure suo, quod natura ipsis competit, uti nolint, an velint. Istiusmodi autem jus, quod Gentibus naturaliter competit, recte assimilatur juri hominum connato. Quemadmodum enim hoc jus connatum ponitur, posita natura & essentia hominis (§. 28. *part. 1. Jur. nat.*); ita jus naturaliter Gentibus competens ponitur, posita natura & essentia Gentis, quæ in se singulæ spectantur tanquam persona una (§. 2.), ut ideo ad eas applicari possint, quæ de singulis in Jure naturæ demonstrantur (§. 3.), attenta tamen differentia, quæ inter essentiam atque naturam hominis & Gentis intercedit (*not.* §. *cit.*).

§. 201.

De commerciis maritimis.

Quoniam Gens nulla prohibere potest, ne qua alia cum Gente quadam seposita commercia exerceat (§. 200.), & ne in mari vasto naviget (§. 122.); *Gens* quoque *nulla prohiberi potest, ne qua alia commerciorum causa ad Gentes remotas per mare vastum naviget.*

Nulla Gens commercia maritima occupando sibi propria facere potest, ut vi juris proprii deinceps alias excludat (§. 119. *part. 2. Jur. nat.*): id enim repugnat principio Juris naturæ ab omnibus concesso, saltem concedendo, quod nemini invito jus suum naturaliter competens auferri possit. Jura singularia nonnisi pacto acquiruntur, seu facto quodam humano intercedente, obligationes & jura producere apta, a natura autem nemini conferuntur, quæ rationem sufficientem in eadem nonnisi tanquam communia habent.

§. 202.

De pactis commerciorum negativis.

Gens una cum altera pacisci potest, ne cum certa Gente commercium exerceat, aut commerciorum causa ad certa loca naviget, vel etiam commercia sua in gratiam alterius quomodocunque restringere.

gere. Naturaliter Genti unicuique competit jus ad commercia cum quacunque alia exercenda nullo modo restrictum (§. 199.), nec ulla Gens prohibere potest, ne per mare vastum comerciorum causa navigetur (§. 201.). Quamobrem cum quilibet juri suo renunciare possit (§ 118. *part. 3. Jur. nat.)*, consequenter alteri se obligare, quod jure suo adversus ipsum uti nolit (§. 104. *part. 3. Jur. nat.)*, alteri autem obligemur per pacta (§. 789. *part. 3. Jur. nat.)*; Gens quoque una cum altera pacisci potest, ne cum certa Gente commercium exerceat, aut commerciorum causa ad certa loca naviget, vel etiam commercia sua in gratiam alterius quomodocunque restringere.

Nituntur hoc principio pacta commerciorum negativa. Dicuntur nimirum *pacta negativa*, quæ obligant ad non faciendum, vel etiam ad non dandum, & opponuntur *affirmativis*, qnæ ad dandum, vel faciendum obligant. Unde porro oriuntur *mixta*, quæ ex parte affirmativa, ex parte negativa sunt. Quoniam vero pacta commerciorum negativa nituntur renunciatione juris sibi alias competentis, quemadmodum ex demonstratione propositionis præsentis patet, a voluntate autem renunciantis unice pendet, quomodo renunciare velit (§. 106. *part. 3. Jur. nat.*), an scilicet pure, num sub certa conditione, an in totum, num saltem ex parte; facile quoque hinc intelligitur, qua lege pactiones commerciorum negativæ fieri possint. Nemini equidem jus suum invito auferri potest; quilibet tamen per pactum pro lubitu potest imminuere.

§. 203.

Quodnam jus inde oriatur. Quoiam Gens una cum altera pacisci potest, ne cum Gente certa commercium exerceat, aut commerciorum causa ad certa loca naviget, vel etiam commercia sua in gratiam alterius quomodocunque restringere (§. 202.), pacta autem servan-

servanda sunt, seu naturaliter obligant (§. 789. *part. 3. Jur. nat.)*; ex hac ipsa obligatione nascitur Genti, cum qua contractum, jus non patiendi, ut fiat, de quo ne fiat, conventum fuit, consequenter *ex pactis commerciorum negativis parti alteri nascitur jus non patiendi, ut altera cum Gente quadam commercia exerceat, aut commerciorum causa ad certa loca naviget, vel commercia ultra restrictionem conventam extendat.*

Falluntur, qui sibi persuadent, hoc pacto mari imponi servitutem. Mare enim quoad usum equidem omnium commune est, nullius tamen res propria: servitus autem alteri constituitur in re sua (§. 1276. *part. 5. Jur. nat.*). Aliud vero est alteri sese obligare, ne jure quodam tuo in gratiam alterius utaris; aliud eidem servitutem negativam in re tua constituere.

§. 204.

Libertas commerciorum dicitur independentia in iis exercendis a voluntate alterius. Unde *inter Gentes viget libertas commerciorum, si Gens quælibet cum quacunque alia commercia exercere potest pro lubitu.* *Libertas commerciorum in quonam consistat.*

Retinemus hic generalem libertatis significatum (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), eamque ad commercia in specie applicamus, a communi loquendi usu in eo minime recedentes.

§. 205.

Quoniam Gentes naturaliter obligantur commercia invicem exercere, quantum in potestate est (§. 187.), nec ulla prohibere, aut impedire potest, ne qua alia cum quacunque alia commercia exerceat (§. 200.); *naturaliter* quoque *libertas commerciorum inter Gentes, quantum fieri potest, illibata relinquenda.* Cumque in civitate singulorum libertas saltem re- *An ea sit juris naturalis.*

ſtringatur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, quoad ceteras vero illibata maneat (§. 47. *part. 8. Jur nat.*); *libertas* quoque *commerciorum internorum, quantum datur, illibata manere debet, non reſtringenda ultra id, quod bonum publicum exigit* (§. 61.).

Diximus, libertatem commerciorum inter Gentes illibatam eſſe relinquendam, quantum fieri poteſt. Reſtrictio autem hæc pro inſufficienter determinata minime habenda. Ex anterioribus enim intelligitur, quid in eo dijudicando attendi debeat. Etenim Gentes non obligantur ad commercia exercenda invicem, niſi quantum in poteſtate eſt (§. 187.), conſequenter quælibet Gens ex fine civitatis hanc obligationem naturalem metiri debet (*not.* §. *cit.*). Cumque naturaliter Gentes omnes æquales ſint (§. 16.); cavendum quoque, ne libertati commerciorum communi præjudicetur. Quod commercia interna attinet, haud difficile eſt judicium, utrum reſtringantur ultra id, quod bonum publicum exigit, nec ne, modo ad notionem boni publici animum attendas (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*), nec utilitatem Principis tanquam ab illo ſeparatam eidem opponas, quod ſubinde fieri ſolet. Quoniam Gentes omnes in civitatem coaluiſſe intelliguntur (§. 9.), quæ perinde ac ſinguli in civitatem particularem conſociati ad commune bonum provendum ſibi invicem obligantur (. 12.); reſtrictio libertati commerciorum inter Gentes adjecta ex communi Gentium omnium bono non minus definitur, quam in commerciis internis. Vigent in civitate maxima naturaliter eadem officia inter Gentes, quæ locum habent inter cives, ſeu membra civitatis cujusdam particularis.

§. 206.

De colliſione officiorum Gentium er-

Si officium Gentis erga ſeipſam colliditur cum officio erga Gentem aliam; officium Gentis erga ſeipſam vincit. Enim ſi officium erga ſeipſum colliditur cum officio erga alios, officium

erga

erga seipsum vincit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Quamobrem cum, quæ sunt juris naturalis inter privatos, ea etiam ad Gentes applicanda sint (§. 3.); si officium Gentis erga seipsam collid itur cum officio erga Gentem aliam, officium Gentis erga seipsam vincit. *ga seipsas & erga alias.*

Principium hoc generale multum utilitatis habet in Jure Gentium, cum ad decidendas multas quæstiones faciat, quæ eo non attento magnis diffiultatibus obnoxiæ videntur.

§. 207.

Libertati commerciorum inter Gentes naturali minime adversatur, si per pacta libertas Gentis cujusdam tertiæ imminuatur. Etenim jus perfectum ad commercia cum aliqua Gente exercenda aliter acquiri nequit, nisi per pacta (§. 191.), & Gens etiam quædam cum alia pacisci potest, ut sibi soli res certas vendat (§. 192.), immo etiam ne cum certa Gente commercia exerceat (§. 202.). Quamobrem cum Gentes pacta de commerciis ineant utilitatis suæ causa, ad quam promovendam ipsas ducit obligatio naturalis (§. 35. 63.); si per pactionem de commerciis duarum Gentium libertas Gentis cujusdam tertiæ imminuitur, officium erga seipsam colliditur cum officio erga Gentes alias (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Quoniam itaque in collisione officiorum Gentium erga seipsas & erga alias officium erga seipsam vincit (§. 206.); libertati naturali commerciorum inter Gentes minime adversatur, si per pacta de commerciis libertas Gentis cujusdam tertiæ imminuatur.

De imminuta libertate Gentis tertiæ per pacta duarum de commerciis.

Libertas paciscendi de commerciis non minus naturalis est quam libertas commerciorum. Cumque in superioribus ostenderimus, Gentes ad commercia invicem exercenda non obligari, nisi quantum in potestate est (§. 187.); facile patet,

 si Gens

si Gens quædam cum altera de comerciis pactum ineat & propterea cum tertia quadam Gente commercium exercere nequeat, hoc tum non esse in potestate sua. Sane si hoc iniquum existimandum foret inter Gentes; nec inter privatos liceret per pacta sibi acquirere jus perfectum ad quasdam præstationes ab alio, propterea quod tunc non amplius officium humanitatis quoddam præstare poterat tertio cuidam petenti, vel eodem indigenti, nec in casu particulari liceret rem suam vendere uni, quia tertius quidam eandem emturus fuisset. Non nego, pactiones, quæ inter duas Gentes de commerciis fiunt, subinde quædam continere posse, quæ respectu Gentis cujusdam tertiæ iniqua sunt, quatenus pactio fieri poterat absque præjudicio hujus; sed quis in pactionibus hominum requisiverit summum æquitatis rigorem? Cum nihil sit in rebus humanis perfectum, sufficit ut a pactionibus intuitu valoris earundem removeatur injustitia, ne scilicet per eas violetur jus quoddam perfectum tertii: cetera, quæ charitatis sunt, conscientiæ uniuscujusque relinquenda.

§. 208.

An liceat Genti alteri lucrum prævertere.

Quoniam libertati commerciorum inter Gentes naturali non adversatur, si per pacta Gentis cujusdam tertiæ libertas quoad ea imminuitur (§. 207.), commercia vero sunt lucrosa (§. 63.); *per pacta commerciorum Genti uni lucrum alteri prævertere licet*, cumque nullum jus alterius perfectum violetur (§. 189. 191.), *absque ulla injuria* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Vidimus superius (§. 193.), Gentem cum Gente pacisci posse valide, ut sibi soli res certas vendat. Quodsi ergo Gens quædam tertia res istas aliunde habere nequit, nisi ut eas emat ab illa Gente, quæ pactionem fecit de iis sibi soli vendendis, lucrum ipsi ab hac prævertitur, præsertim si plures fuerint Gentes, quæ eadem necessitate tenentur (§. 63.). Cum hoc

sic

sit consequens pacti in se non illiciti, quippe dominio nitentis (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*) & officio Gentis erga seipsam (§. 69. 70.); nec illicitum censeri potest, si hoc pacto lucrum Genti alicui prævertatur. Quod hic de Gentibus demonstratur, idem quoque valere de hominibus singulis, seu personis privatis, facile patet (§. 3.). Rationes nimirum eædem utrobique subsistunt, etsi non obstent, quo minus in Rep. monopolia concedantur (§. 875. *part. 7. Jur. nat.*), quæ quando in se illicita non sint, alias demonstravimus (§. 876. *part. 8. Jur. nat.*). Ut lucrum ab uno alteri prævertatur per pactiones sæpissime ac multis modis contingit, nec fieri aliter potest, nisi pactiones omnes eliminare velis, quod, postquam dominia rerum introducta sunt, prorsus impossibile.

§. 209.

Si qua Gens commercia exercendo, quæ ante non exercuerat, lucrum alterius Gentis abrumpit; nullam ipsi injuriam facit. Etenim Gens quælibet naturaliter obligatur statum suum perficere (§. 35.), & pro virili studere debet, ut sit potens (§. 70.). Quamobrem cum commercia externa Gentem faciant divitem (§. 67.), consequenter potentem (§. 69.), libertas commerciorum naturaliter illibata relinquenda, quantum fieri potest (§. 205.), consequenter cuilibet Genti commercia exercere pro lubitu licet, quando & quomodo voluerit, modo nil committatur contra jus perfectum alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), nonnisi ex pacto acquirendum (§. 191.), immo naturaliter Genti unicuique competat jus ad commeria cum quacunque alia exercenda (§. 199.); si qua Gens commercia exercet, quæ ante non exercuerat, jure suo utitur (§. 37.), quod ideo præscribi non potuit, quia antea eodem usa minime fuit (§. 79.). Quamobrem cum per hoc jus alterius non violetur, quod jure tuo utaris, faciendo nimirum quod tibi licet (§. 170. *part.* *De lucro abrupto.*

part. 1. Phil. pract. univ.), consequenter alteri nullam facias injuriam (§. 859. *part. 1. Jur. nat.)*, & quamvis aliarum quoque Gentium status perficiendus, qnantum datur (§. 166.), in casu tamen collisionis officium Gentis erga seipsam vincat officium erga alias (§. 206.); si qua Gens commercia exercendo, quæ ante non exercuerat, lucrum alteri abrumpit, nullam tamen ipsi injuriam facit.

Non uno modo contingit, ut commercia exercendo, cum antea id factum non esset, lucrum alterius Gentis abrumpatur, tam per pacta commerciorum, quam sine iisdem. Accidit hoc, si qua Gens, quæ res quasdam ab alia emerat, ipsamet commerciorum causa cum Gente illa, unde venerant, vel etiam cum alia, a qua eædem haberi possunt, pactum ineat, vel etiam sine pacto prævio eas emat. Pertinet huc etiam, si nundinæ instituantur, ad quas opportunitate loci, vel alia quacunque de causa alliciuntur emtores, qui alias certas res a Gente quadam sibi comparare solebant. Etsi hoc displiceat Genti, cujus lucrum abrumpitur, non tamen justam de eo eadem habet conquerendi causam, immo querelæ sunt parum æquæ. Damnum, quod Gens in lucro sentit, fortunæ adversæ imputandum, non Genti, quæ modo non illicito commoda sua promovet. Nec per se charitati adversatur, si hoc modo lucrum alterius Gentis abrumpatur, nisi accedant alia, quæ eidem contrariantur: actus enim in se liciti, immo boni, aliis illicitis, aut pravis accedentibus contaminari, atque in illicitos & pravos verti posse, satis exploratum est.

§. 210.

De monopoliis Gentium iniquis.

Si qua Gens cum altera contraxit, ut sibi soli res certas vendat, quæ aliunde nisi ab ea haberi possunt, & easdem aliis, quæ iisdem indigent, pretio parum æquo vendit; peccat equidem, non tamen injuriam eis facit. Quoniam enim Gentes ad commercia invicem exercenda naturaliter obligantur, quantum in pote-

potestate est (§. 187.), res quoque suas, quibus ipsæmet non indigent, aliæ autem opus habent, vendere debent (§ 60.), pro æquo pretio (§. 322. *part. 4. Jur. nat.)*, non vero exigere licet pretium æquo majus, seu iniquum (3. *h.* 323. *part. 4. Jur. nat.)*. Quodsi ergo Gens, quæ cum altera contraxit, ut sibi soli res certas vendat, quæ aliunde haberi non possunt, & easdem deinceps aliis, quæ iisdem indigent, pretio parum æquo vendit; id omnino agit, quod legi naturæ adversatur, consequenter peccat (§. 440. *part. 1. part. 1. Phil. pract. univ.*) *Quod erat unum.*

Quoniam tamen cuilibet vi dominii integrum est, utrum rem suam alteri vendere velit, nec ne, & pro quo pretio vendere velit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.)*, & ipsi quoque permittendus est juris sui abusus, etsi lege naturali prohibitus (§. 170. *part. 2. Jur. nat.)*, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *part. 2. Jur. nat.)*, quale hic non est (§. 191.); in hypothesi propositionis præsentis Genti ementi injuria nulla fit (§. 859. *part. 2. Jur. nat.)*. *Quod erat alterum.*

Absit vero, ut tibi persuadeas, quasi defendamus, talia jure fieri, quæ jure a nobis impediri nequeunt. Dudum enim ostendimus, quantum intersit inter impunitatem agendi & jus agendi (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*). Multa impune etiam a Gentibus fiunt, quæ minus recte, nec ullo jure faciunt. *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 24. statuit licere populo alicui cum allo populo pacisci, ut populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat, si is, qui emit populus, paratus sit aliis vendere æquo pretio. Restrictionem vero utique addit, quatenus rationem habet officiorum, quæ lex naturæ Genti erga Gentes præscribit: unde etiam addit, talem coëmtionem, animo isto, quem dixit, factam legi naturæ non repugnare. Quodsi quæratur, quidnam conveniat officio, quod

quod Gens una alteri debet, aut quilibet homo generi humano, tum utique coëmtio rerum eo animo facta, ut aliis æquo pretio vendantur, nihil continet, quod illi contrarietur, cum, ut recte ait *Grotius*, aliarum Gentium non intersit, a quo emant, lucrum autem alter alteri prævertere licite possit (§.208.).

§. 211.

De studio commercia inter Gentes promovendi.

Quicquid Gens qualibet ad commercia mutua inter Gentes promovenda conferre potest, id conferre naturaliter obligatur. Gentes enim commercia invicem exercere naturaliter obligantur, quantum in potestate est (§. 187.) &, quatenus in civitatem maximam coivisse intelliguntur, commune bonum promovere (§. 12.). Quicquid igitur earum quælibet ad commercia mutua inter Gentes promovenda conferre potest, id conferre naturaliter obligatur.

Sicuti in civitate nemo civium tantummodo quærere debet, quod suum est, sed qilibet tenetur pro virili promovere commune omnium bonum (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*); ita quoque Gens nulla tantummodo suæ prospicere debet saluti, verum quælibet pro virili consulere debet saluti omnium. Supra vero jam annotavimus, quod, si quælibet Gens officia naturaliter debita saltem præstet gentibus vicinis, id influat in bonum commune universarum (*not.* §. 185.).

§. 212.

De tollendis impedimentis commerciorum.

Quoniam *Gens qualibet* ad *commercia* mutua inter Gentes promovenda conferre debet, quod potest (§. 211.); ea *nullo modo impedire, sed, quæ iisdem obesse possunt, ea quantum datur removere debet* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*).

Non uno modo hic peccatur sane non alia de causa, quam quod vulgo Gentes nonnisi utilitate sua omnia metiuntur, nec ad

ad se pertinere arbitrantur, quod est Gentium aliarum, nisi & ipsæ utilitatem quandam præsentem inde percipiant. Qui utilitate unice ducuntur, commerciis plurima obstacula objiciunt, si inexatiabilis accedat cupido habendi, & in propria haud raro viscera sæviunt contradictorii ingenii homines. Sed talia rectius expendenda remittuntur ad prudentiam civilem seu Politicam.

§. 213.

De modo promovendi commercia.

Cum *Gens qualibet* ad commercia mutua inter Gentes promovenda conferre debeat, quæ potest (§. 211.), & ea removere, quantum datur, quæ iisdem obesse possunt (§. 212.); ideo *cura habere debet, ut res, quæ in commercium veniunt, commode ac secure importari & exportari suoque loco facile commutari possint,* consequenter *ut tutus sit navibus atque plaustris accessus & discessus, ne desit opportunitas res permutandi & vendendi atque emendi, nec mora teneat importantes, vel exportantes, aut transeuntes, ne nimii ab iisdem impendendi sint sumtus, ut lites inter mercatores ortæ sine mora dirimantur, ut nihil committatur, quod juri ex pactis commerciorum quæsito quomodocunque contrariatur, & quæ sunt alia hujus generis plura.*

Si quis casus emergit, in quo commercia vel promoveri possunt, vel obstaculum quoddam iisdem objicitur, vi principiorum generalium, unde particularia quædam deduximus, facile perspicietur, quid fieri debeat, quid non, modo invisa illa commerciis utilitas, quam paulo ante notavimus (*not.* §. 212.), mentem judicantium non obnubilet.

§. 214.

De vectigali mercibus imponendo.

Vectigal mercibus vel transeuntibus, vel importatis, aut exportatis imponi potest in ratione onerum commerciorum causa sustinendorum, tum etiam lucri ex earum venditione percepti. Etenim cum nemo

nemo alteri gratis dare teneatur, si is vicissim dare possit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*); Gens quoque nulla gratis facilitandorum, aut quocunque modo juvandorum commerciorum causa impensas facere tenetur. Quamobrem cum vectigal solvatur pro mercibus & vectura ferendorum onerum Reip. causa (§. 929. *part. 8. Jur. nat.*); vectigal quoque mercibus vel transeuntibus, vel importatis imponi potest in ratione onerum commerciorum causa sustinendorum. *Quod erat unum.*

Et quoniam commodum, quod ex Reip. constitutione percipiunt cives, participant etiam peregrini, qui merces suas iisdem vendunt, quod, cum facile pateat, sumi potest, cives vero onera Reip. ideo ferre tenentur (§. 775. *part. 8. Jur. nat.*), ac præterea opportunitas res suas vendendi peregrinis præstatur, quod gratis fieri opus non est (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*); iniquum sane non est, ut in ratione lucri ex mercium venditione a peregrinis percepti vectigal quoque mercibus venditis imponatur. *Quod erat alterum.*

Nemo alteri gratis facere tenetur, si vicissim dare aut facere possit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*), ac per consequens nemo quoque lucrum alterius gratis promovere tenetur, si is quodammodo eundem participem facere possit, pro modo scilicet adjumenti, quod præstitit. Atque propterea æquitati naturali maxime convenit, ut respectu lucri ex venditione percepti vectigal quodpiam solvatur, ea tamen cautione, ne pretium rerum nimis augeatur (§. 931. *part. 8. Jur. nat.*), ut non deficit qui emere velint, vel possint (§. 213.), nisi damnum dari debeat venditori.

§. 215.

Qualia onera mercibus

Onera iis rebus imponenda non sunt, quæ nullum respectum ad eas habent. Cum enim vectigalia imponere liceat ob onera

ra commerciorum causa ferenda, & ob præstitam opportunitatem res suas vendendi, prouti ex demonstratione propositionis præcedentis apparet; si qua onera mercibus imponuntur, quæ nullum respectum ad eas habent, cessat omnino ratio, cur imponere liceat. Quamobrem hac cessante, cessare quoque debet impositio (§. 70. *Ontol.*). Onera igitur, quæ respectum nullum ad merces habent, iisdem imponere minime licet. *imponi nequeant.*

Ita tributa, quæ militiæ, vel calamitatis cujusdam publicæ, aut negotii cujusdam publici causa solvuntur, nullum respectum ad merces habent, ac ideo nec mercibus imponi possunt, seu ab iis exigi, quorum merces transeunt, vel qui eas important ac vendunt. Ex fine igitur onerum civibus impositorum facile innotescit, utrum respectum ad merces habeant, nec ne. Vectigalia vero num imponantur mercibus in ratione onerum commerciorum causa ferendorum exinde intelligitur, si non plus petatur, quam onera ista exigunt, & num imponantur in ratione lucri percepti, æstimanda est vendendi opportunitas & præstita securitas, quæ quidem difficilem habere videtur æstimationem, ex eo tamen eam recipit, quod venditor lubenter dat, ut merces vendere possit. Massilienses, referente *Strabone* lib. 4. fossa ex Rhodano in mare ducta, vectigal ab iis, qui navibus ascenderent aut descenderent, exigebant. Cum fossa sine sumtu duci & conservari minime poterat; vectigal æquum erat, quod adæquabat usuras sortis in fossam impensæ & sumtus in conservationem faciendos. Similiter Corinthii vectigal percipiebant de mercibus, quæ terra de mari Ægeo in Ionium & vicissim transferebantur, ne circumeunda esset Poloponesus & pericula circa Maleum promontorium vitarentur. Hoc enim modo consulebatur securitati mercium & commercia facilitabantur. Huc etiam pertinet, si navigationis causa in flumine fiunt canales, per quos navibus patet transitus, per aggeres in eodem excitatos alias impeditus. Idiomate patrio Schleussen appellamus.

§. 216.

Emporii definitio.

Emporia dicuntur loca commerciis continuis inter Gentes destinata, consequenter *merces venales in ea quovis tempore importare & emtas ex iis exportare licet* (§. 60.).

In emporiis commercium inter Gentes quotidie viget, nec ad certum anni tempus restrictum est. Merces venales in iis congeruntur, ut quovis tempore a peregrinis emi & exportari possunt, & ex adverso Gentibus peregrinis merces suas quovis tempore importare ibidemque vendere conceditur. Significatus hic paulo restrictior est, quam fert Latii usus, ac apud nos quoque vocabulum Handel-Stadt; sed is, qui convenit commerciis Gentium hodiernis quoque moribus, ac per consequens præsenti instituto. In significatu latiori denotat locum quemvis, in quo merces venales exponuntur.

§. 217.

De obligatione emporia erigendi.

Quoniam in emporiis prostat copia mercium exteris Gentibus vendendarum & in ea importantur merces ab iisdem ibidem vendendæ aut permutandæ (§. 216.), ac per consequens emporia commercia inter Gentes promovent atque facilitant (§. 66.), Gens autem quælibet conferre obligatur, quod ad commercia inter Gentes promovenda & facilitanda conferre potest (§. 211. 212.); *Gentes emporia erigere debent.*

Consulunt emporiorum erectione Gentes non modo aliis, sed etiam sibi: vergunt enim commercia in mutuum commodum. Quamobrem emporia erigi debent non modo ex necessitate, quatenus Gens commercia sibi utilia experitur, verum etiam ut prospiciatur commoditati aliarum Gentium. Absit autem, ut existimes sensum officii erga Gentes alias esse superfluum, cum ad ea erigenda ducat propria utilitas. Ut enim taceam

taceam, parum convenire juri naturæ, ut sensus officii erga alias Gentes exulet, quemadmodum jam supra notavimus (*not.* §. 180.); si ad ea descendimus, quæ in emporiis commerciorum causa instituenda sunt, facile patebit, si utilitatis saltem propriæ ratio habeatur, non æque prospectum iri Gentibus commercia inter se exercentibus.

§. 218.

Quæ in iis erigendis observanda.

Quia imporia commerciis inter Gentes destinantur (§. 216.), Gentes autem commercia qnovis modo promovere & impedimenta omnia removere debent (§. 211. 212. 213.); *non modo curæ habendum est, ut in emporiis res commode ac secure importari & exportari, ibidemque facile commutari possint, ut tutus sit accessus & discessus navibus atque plaustris, ne desit opportunitas res permutandi atque emendi, ne mora teneat importantes vel exportantes, aut transeuntes, ne nimii ab iisdem impendendi sint sumtus, ut lites inter mercatores ortæ sine mora dirimantur, ut nihil committatur, quod juri ex pacto commerciorum quæsito quomodocunque adversatur; verum etiam privilegia ad commercia promovenda utilia exteris Gentibus impertienda* (§. 853. *part. 8. Jur. nat.*), *veluti ut exteris ibi concedatur perpetua habitatio, rerum immobilium possessio, liberum religionis exercitium, juris patrii inter se usus, immunitas vectigalis a mercibus importatis, vel exportatis, aut saltem eo minoris, quod ordinarie solvitur, solvendi & quæ sunt alia hujusmodi plura.* Sed quoniam jus perfectum ad ea, quæ ad commercia spectant, non acquiritur nisi pacto (§. 191.), quæ vero pacto non firmantur, sed saltem a Gente nude permittuntur, revocari possunt, quandocunque visum fuerit (§. 195.); *Gens una alteram, cum qua commercia exercere vult, ad ea, quæ in emporiis ad promovenda commercia, aut ea facilitanda, sibi conducere videtur, pacto sibi obligare tenetur.* Et quia promissa sunt ser-

vanda (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*); *si qua Gens ad commercia facilitanda exteris quædam promittit, ea etiam servare debet.*

Cum hic saltem agatur de Jure, non attenduntur rationes, quæ prudentia suggerit, utpote in Politica expendendæ, ad quam pertinet omnis quæstio, utrum hoc civitati conducat, nec ne. Ceterum hic brevitatis causa quasi coacervavimus ea, quæ in pactis commerciorum ineundis quoad emporia attendenda sunt, vel proprio etiam motu Gentes permittere debent, cum ex principiis generalibus a nobis demônstratis sua sponte fluant.

§. 219.

Portus quid sit.

Portus dicuntur loca conclusa ad litora maris, in quibus navibus importantur merces & inde exportantur. Atque adeo patet, *commerciorum maritimorum causa portus fieri.*

Habent etiam portus hunc usum accidentalem, ut, tempestate furente in alto mari, navibus in eosdem delatis præstetur securitas, & ut ibidem naves hiemare possint.

§. 220.

De portubus faciendis & muniendis.

Quoniam *Gentes* ad commercia facilitanda obligantur (§. 213.), ad commercia autem maritima facilitanda faciunt portus (§. 219.); *maritimorum commerciorum causa portus facere obligantur &*, ut contra vim hostilem defendi, sicque mercantibus securitas præstari possit, *eos muniri.*

Obligatio naturalis ad faciendos portus a lege naturæ venit, quæ commune bonum Gentibus promovendum præcipit (§. 8.) & ab hoc communi bono desumuntur rationes eorum, quæ ad portus spectant: ast necessitas physica illa seposita ducit ad portus faciendos, quatenus qui vult finem media etiam velit necesse est (§. 941. *Ontol.*), & rationes eorum, quæ ad portus spectant, desumuntur a fine, ac voluntas movetur utilitate

pro-

propria, quæ in casu pugnæ appetitus & aversationis efficit, ut appetitus vincat. Quamvis itaque Gentes sine sensu officii portus faciant, & fini convenienter omnia ordinent atque instituant; propterea tamen credendum non est, id non fieri ex officio, quasi lex naturæ hoc minime curet, aut sensum officii prorsus inutilem esse (*not.* §. 180.).

§. 221.

Quatenus ab emporiis ad portus argumentari liceat.

Quoniam portus eodem fine fiunt, quo emporia eriguntur (§. 216. 219.); *quæ de emporiis demonstrantur, ad portus quoque applicanda sunt, quatenus fert eorum conditio.*

Nascuntur quoque in his Gentibus peregrinis jura perfecta ex pacto, quemadmodum in emporiis (§. 218.), quædam vero nuda concessione Gentis, cujus sunt portus, nituntur, atque ideo a sola concedentis voluntate pendent.

§. 222.

Nundinæ quid sint.

Per *Nundinas* intelligimus exercitium commerciorum ad certum tempus, vel etiam simul res venales restrictum, veluti ad certos hebdomadis dies & res ad victum necessarias, vel ad certum anni tempus & merces quascunque. In casu priori idiomate patrio appellantur Marckt-Tage; in posteriori Jahrmärckte, &, si in gratiam mercatorum potissimum fuerint institutæ, Messen.

Romanis nundinæ ita institutæ, ut octo diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die urbem ad mercatum repeterent. Hinc *Festus*: nundinis, ait, rustici conveniebant mercandi & vendendi causa.

§. 223.

De obligatione naturali

Quoniam nundinæ tam ad promovenda commercia interna, quam externa faciunt (§. 62. 63. 222.), *Gentes* autem

instituendi nundinas. tem tam interna (§. 64.), quam externa commercia exercere obligantur (§. 187.); eædem quoque *nundinas instituere naturaliter obligantur.*

Ducit ad nundinas instituendas ipsa necessitas, quatenus inserviunt domesticæ civitatis utilitati & sufficientiæ vitæ singulorum iisdem consulitur. Necessitas tamen ista non tollit obligationem naturalem, quemadmodum modo annotavimus (*not.* §. 217.) & aliquoties jam inculcavimus.

§. 224.

Unde ea determinanda, quæ de nundinis instituenda. Quoniam nundinæ in exercitio commerciorum consistunt (§. 222.), consequenter ad comparandas res quascunque mobiles & moventes tam necessarias, quam utiles & voluptuarias faciunt (§. 60.), in qualibet autem civitate salus publica suprema lex est (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*); *quæ de nundinis instituenda, ex earum fine saluti civitatis convenienter determinanda sunt.*

Qui finem nundinarum attente perpendit & salutem civitatis, quæ in non impedita fruitione vitæ sufficientiæ, tranquillitatis & securitatis consistit (§. 17. *part. 8. Jur. nat.*), secum constanter in animo considerat, ei haud difficile erit in casu quocunque definire, quid circa nundinas naturaliter licitum sit, nec verendum est, ut quicquam committatur, quod cum officiis Gentium cum erga seipsas, tum erga alias pugnet: quomodo enim facienda sit in casu collisionis eorundem officiorum exceptio, ex anterioribus patet (§. 206.).

§. 225.

Propolium quid sit. *Propolium* (idiomate patrio der Vorkauf) dici solet privilegium, quo civibus aut certis quibusdam personis conceditur ante emere res importatas, quam eas emere licet peregri-

egrinis, aut personis aliis. Quamobrem cum in emporia, portus & ad nundinas res importentur, ut vendantur (§. 216. 219. 222.); *propolia conceduntur in emporiis, portubus ac nundinis.* Juri huic agnatum est, si cui conceditur privilegium, ut emtor in gratiam emtoris alterius jure suo ex contractu emtionis venditionis acquisito cedere & mercem emtam eidem relinquere teneatur, si idem pretium, de quo is cum venditore convenit, solvere velit. Agnatum quoque est jus, quo in nundinis, vel etiam emporiis, aut portubus res certas civibus, aut certis personis aliis vendere licet, antequam id permittatur peregrinis, aut promiscue quibuscunque.

Propolium sumimus in eo significatu, qui tanquam termino technico hodie recepto tribuitur. A Romanis *Propola* dicebatur, qui, antequam emant alii, res minoris emit seu præemit, ut postea pluris vendat, idem, qui sermone patrio ein Aufkäuffer appellatur. Quoniam propolæ pretia rerum augent præter necessitatem, facile patet, eos in Rep. non esse tolerandos, in nundinis præsertim hebdomadariis.

§. 226.

Propolia non sunt concedenda, nisi bonum publicum ea suadeat ob singularem quandam rationem. Idem intelligitur de juribus, quæ propoliis agnata sunt. Cui enim propolium concessum, eidem competit jus res importatas emendi, antequam aliis emere licet (§. 225.), consequenter cum libertas commerciorum consistat in independentia in iis exercendis a voluntate alterius (§. 204.), per propolia libertas commerciorum restringitur. Quamobrem cum ea illibata sit relinquenda, quantum fieri potest, nec commercia interna sint restringenda ultra id, quod commune bonum civitatis exigit (§. 205.), ac idem intelligatur de externis, quatenus Gentes in

Propolia non concedenda.

in civitatem maximam coaluisse intelliguntur (§. 12.), præterea vero etiam Gentes commercia quovis modo facilitare debeant (§. 211.), nec ullo modo eadem impedire, sed quæ iisdem obesse possunt, ea, quantum datur, removere (§. 212.); propolia non sunt concedenda, nisi ob singularem quandam rationem bonum publicum ea suadeat. *Quod erat unum.*

Quoniam jura agnata in eo consistunt, ut venditor rem emtam alii emtori tradere cogatur, si idem pretium solvat, vel ut certis personis permissum sit res suas vendere, antequam liceat aliis (§. 225.); eodem quo ante modo intelligitur, istiusmodi jura non esse concedenda, nisi ob singularem quandam rationem ea suadeat bonum publicum. *Quod erat alterum.*

Rationes singulares a bono publico petendæ, ut propolia concedantur, quo illæ sunt rariores, eo parcius quoque hæc concedenda: neque enim æqualitati civium atque Gentium derogare licet, nisi in casu collisionis officiorum, ob quam facienda exceptio.

§. 227.

Jus stapulæ quid & quale sit.

Jus stapulæ, idiomate patrio Stapel-Recht, est privilegium præteruntes cum mercibus in flumine publico sistendi necessitate vendendi injuncta, aut, si vendere nolint, tributum solvendi, prouti definit *Wachterus* in Glossario Germanico. Significatus vero etiam extenditur, ut comprehendat jus, vi cujus certas merces in certum locum importandæ ibidemque vendendæ, vel etiam merces advectæ in alias naves, vel plaustra transportandæ.

Patet

Patet itaque *jus stapulæ libertati commerciorum maxime obstare* (§. 204.).

Stapula est vocabulum origine Germanicum, a JCtis in disciplinam Juris receptum, deficiente Latino, quod idem significat, prouti alia istiusmodi plura concurrunt, veluti in Jure Saxonico gerada, heergewettum, wehrigeldum.

§. 228.

An sit concedendum.

Quoniam *Jus stapulæ* libertati commerciorum maxime obstat (§. 227.); eodem, quo ante (§. 226.), modo ostenditur, id *non esse concedendum, nisi singulares prorsus rationes a bono publico promovendo desumtæ id urgeant.*

Ita nulla in eo iniquitas est, si lana omnis ex tota quadam provincia certo anni tempore in emporium quoddam importanda mercatoribus ibidem vendenda: id enim facit ad commercia promovenda, nullum vero ipsis obstaculum objicit, prouti vi antecedentium haud obscurum est.

§. 229.

Consules in emporiis maritimis quinam sint.

Consules dicuntur personæ, quibus in emporiis maritimis, seu portubus demandatum est, ut privilegia & jura nationis, seu Gentis suæ custodiant & lites mercatorum definiant.

Nostro ævo, quo Gentes Europææ maris accolæ commercia maritima cum Gentibus peregrinis exercent, in emporiis earum suos quoque habent consules.

§. 230.

De consulibus constituendis & recipiendis.

Consules a Gentibus commercia maritima cum sepositis exercentibus in emporiis maritimis, seu portubus sunt constituendi & ab his recipiendi. Consules enim eo fine constituuntur, ut pri-

vilegia & jura Gentis suæ custodiant & lites mercatorum definiant (§. 229.). Quamobrem cum jura perfecta ad commercia non acquirantur nisi per pacta (§. 191.), privilegia vero sint jura singularia mercantibus concessa, quibus alias carent (§. 853. *part. 8. Jur. nat.*), & commerciorum facilitandorum causa concedatur, ut mercatores peregrini in emporiis perpetuo habitent, etiam in contractibus inter se aliisque negotiis, quæ ad Remp. Gentis concedentis nullum momentum habent, patrio utantur jure (§. 213.), consequenter controversiæ inter ipsos ortæ juxta idem definiantur, pacta autem servanda sint (§. 789 *part. 8. Jur. nat.*), ac per consequens jura inde quæsita, perinde ac privilegia tuenda; consules a Gentibus commercia maritima cum sepositis exercentibus in portubus & emporiis maritimis sunt constituendi. *Quod erat unum.*

Quoniam consules facilitandorum commerciorum causa constituuntur, quemadmodum ex demonstratis liquet, quælibet autem Gens ad promovenda, consequenter facilitanda commercia conferre debet, quod potest (§. 211.), & quæ iisdem obstare poterant, removere (§. 212.); Gentes quoque in emporiis maritimis seu portubus consules recipere naturaliter obligantur. *Quod erat alterum.*

Consulum utilitatem ac necessitatem abunde loquitur experientia, eamque fuse exponit *Conringius* in Tractatu de commerciis maritimis. Inde autem elucescit, quantum illorum constitutio & receptio commerciis facilitandis inserviat.

§. 231.

Quomodo jus perfectum consules con-

Quoniam Commerciorum causa in emporiis maritimis constituendi & recipiendi sunt consules (§. 230.), jus autem perfectum ad ea, quæ ad commercia spectant, aliter acqui-

acquiri nequit, nisi per pacta (§. 191. 192.); *jus* quoque *perfectum constituendi consules ex parte una & eidem respondens obligatio ex parte altera,* consequenter *etiam ad ea, quorum causa consules constituuntur, aliter acquiri nequit nisi per pacta.* *stituendi & obligatio eos recipiendi acquiratur.*

Non est, quod existimes, constitutionem & receptionem consulum per se inesse pactis de commerciis initis: neque enim per se iisdem insunt, nisi ea, sine quibus commercia locum habere nequeunt, minime autem hæc, quæ ad ea facilitanda tantummodo faciunt. Distinguendæ vero hic etiam veniunt nudæ conventiones, quæ ex parte recipientis nonnisi permissionem inferunt, jus autem perfectum ex parte constituentis minime pariunt. Quodsi ergo de consulibus nihil dictum in pacto commerciorum, nec de iis postea pactum perfectum accessit; jus quoque constituendi perfectum & obligatio constituros recipiendi non existit. Receptio igitur officium meræ humanitatis est.

§. 232.

Consules manent subditi constituentis. Constituuntur enim consules non alio fine, quam ut privilegia & jura nationis suæ in emporiis maritimis custodiant & lites mercatorum ex regione constituentis adventantium ibique commorantium, vel degentium definiant (§. 229.), & per consequens qui eos recipit, in hoc consentit. Funguntur itaque officio publico a constituente in ipsos collato (§. 884. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo si eodem negligenter, vel fraudulenter fungantur, removeri ab eo possunt (§. 915. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem juri constituentis subjecti sunt, ad cujus nutum fungi tenentur officio sibi demandato. Enimvero cum subditus quis sit ejus, cui in actiones suas jus competit (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter cujus juri subjectus est (§. 134. *part. 8. Jur. nat.*); consules, qui erant subditi constituentis *An consules maneant subditi constituentis.*

tempore constitutionis, etiam tales manent, postquam constituti sunt.

Officium consulis concipi nequit sine potestate civili constituentis in eundem. Ponamus enim, eum esse subditum recipientis. Quoniam huic obedire tenetur (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter facere, quæ is jubet, non facere, quæ vetat (§. 205. *part. 7. Jur. nat.*); si is contra privilegia & jura nationis, cujus consul constitutus est, agit, vel etiam vult, ut lites mercatorum suo nutu definiat, acquiescendum ipsi erit in ejus voluntate. Quamobrem officium ejus, quod in eo consistit, ut privilegia & jura nationis custodiat & lites mercatorum definiat (§. 229.), revera nullum erit. Absurdum itaque foret fingere consulem, qui non sit subditus constituentis, sed recipientis. Et qui eos recipit, non aliter quam subditos constituentis recipere potest.

§. 233.

Quodnam jus constituenti competat in consules.

Cum consules maneant subditi constituentis (§. 232.); *constituenti in consules idem jus competit, quod in subditos ceteros,* consequenter *eos juxta leges patrias etiam punire* (§. 832. 833. *part. 8. Jur. nat.*) *& ab iis onera, civibus ceteris ferenda* (§. 775. *part. 8. Jur. nat.*), *tam ordinaria, quam extraordinaria imponere potest* (§. 925. *part. 8. Jur. nat.*).

Jus superiori competens in eum, qui officio publico fungitur aliud generale est, quatenus nimirum is est subditus, aliud speciale, quatenus officio hoc fungitur. Ac ideo quoque constituenti in consulem competit jus tanquam in subditum & præterea quoque jus tanquam in consulem. Illud manifestum est ex principiis communibus Juris publici universalis; hoc vero metiendum est ex officio consulis, seu fine, cujus gratia is constitutus. Unde etiam eum punire potest constituens, cum si in patrias leges delinquit, tum si officio sibi demandato male fungitur. E. gr. ponamus apud eam gentem, ubi

ubi quis consul constitutus, permissam esse polygamiam, tolerari etiam incestum, cum secundum patrias leges tam polygamia, quam incestus certa pœna coërceatur. Si consul plures ducit uxores, vel incestum committit, a constituente juxta leges patrias puniri potest.

§. 234.

De revocatione consulis puniendi causa.

Quoniam *constituens consulem* juxta leges patras punire potest (§. 233.); eum, *quando accusatur, revocare potest, ut in delictum inquiratur & pœna merita ab eo exigatur.*

Omnia nimirum licita sunt in consulem, quæ licita sunt in reum fugientem, nisi quod ex emporio, ubi commoratur, abduci possit inconsulto eo, qui imperium in eodem habet. Quoniam enim eundem is recepit tanquam subditum constituentis; jurisdictio ipsius minime violatur, si tanquam reus capitur & abducitur, cum jus hoc recipiens concessisse intelligatur constituenti. Qui in hoc consentit, ut quis alteri subjectus maneat & ab eo puniatur; is etiam consentit in ea, sine quibus pœna exigi non potest.

§. 235.

Quale jus recipienti in consules competat.

Similiter cum *consules* maneant subditi constituentis (§. 232.); *in territorio recipientis considerantur tanquam peregrini negotiorum suorum causa in eodem commorantes*, consequenter *recipienti in consules idem competit jus, quod in peregrinos in territorio ejus commorantes, nisi quatenus per pacta aut ipsum officium consulis eidem derogatur.*

Cum paulo post agendum sit de jure in peregrinos, qui in territorio alieno commorantur, jus recipientis in consulem inde patebit.

§. 236.

De protectione consulum. Quoniam *consules* manent subditi ejus, a quo constituuntur (§. 232.); *constituens* quoque eos *protegere tenetur* (§. 532. *part. 8. Jur. nat.*).

Proteguntur nimirum tum contra injurias illorum, a quibus recipiuntur; tum contra injurias mercatorum, quorum causa costituuntur (§. 229.). Quod enim civibus debetur, seu subditis singulis; id etiam debetur consulibus.

§. 237.

An detur prærogativa naturalis Gentium. *Naturaliter Genti nulli prærogativa ulla competit.* Gentes enim spectantur tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes (§. 2.). Quamobrem cum natura homini nulli prærogativa ulla competat (§. 94. *part. 1. Jur. nat.*); nec Genti ulli naturaliter prærogativa ulla competit.

Gentes singulæ qua Gentes sunt individua ejusdem speciei. Quamobrem cum sub eadem definitione contineantur, & ex ea deducenda sint, quæ ipsis competunt; nulla omnino ratio est, cur Genti uni prærogativa quædam competere possit. Naturaliter Gentes inter se utuntur communi jure, perinde ac homines qua homines. Quemadmodum itaque absurdum est, si quis homo prærogativam quandam prætendere velit, quasi alter non sit æque homo; ita non minus absurdum est, si qua Gens prærogativam prætendere audeat, quasi alia non sit æque Gens. Et sicuti nemo hominum prærogativam quandam naturaliter prætendere potest, quia major vel robustior, vel ditior, vel virtute quadam excellit sive intellectuali, sive morali; ita quoque Gens nulla naturaliter prærogativa quadam gaudet, quia potentior, cultior, aut alia quacunque de causa.

§. 238.

§. 238.

An Gens una præ altera jus quoddam sibi arrogare possit.

Quoniam naturaliter Genti nulli prærogativa ulla competit (§. 237.), prærogativa autem consistit in jure, quod alicui præ aliis eodem jure ceteroquin utentibus competit (§. 93. *part. 1. Jur. nat.*); *Gens* quoque *nulla naturaliter jus quoddam sibi arrogare potest, quod aliis Gentibus non competit, & quod juris uni Genti est in alias, id etiam ceteris singulis commune est.*

Fluit nimirum hoc ex naturali Gentium omnium æqualitate (§. 16.), vi cujus omnium eadem sunt jura eædemque obligationes (§. 17.), ac per consequens eadem omnium erga omnes officia (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*)

§. 239.

Quomodo prærogativæ acquirantur.

Prærogativæ a Gentibus acquiri possunt per pacta. Naturaliter Gentium omnium eadem sunt jura (§. 17.). Quoniam tamen quilibet naturaliter jus suum remittere potest (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); Gens quoque una in gratiam alterius jus quoddam suum remittere potest, servato eodem quoad ceteras. Ac idem intelligitur de Gentibus pluribus simul. Quamobrem cum necesse sit, ut de eo conveniant (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*), & Gens una, vel plures alteri sese obligent, quod prærogativam quandam eidem concedere velint, id quod aliter fieri nequit nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), istiusmodi autem conventiones pacta sint (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*); prærogativæ a Gentibus acquiri possunt per pacta.

Prærogativæ igitur Gentium, si quæ dantur, juris mere pactitii sunt (§. 23.). Non est, quod excipias, posse eas etiam esse juris consuetudinarii (§. 24.): facile enim patet, istiusmodi consuetudines inter Gentes non aliter introduci posse, quam tacito quodam pacto, quatenus nimirum tacentes,

quando quædam Gens prærogativam quandam sibi arrogat, consentire præsumuntur (§. 1054. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 240.

An præcedentia Gentis sit naturalis.

Naturaliter Genti nulli præcedentia competit. Quoniam natura homini nulli præcedentia competit (§. 106. *part. 1. Jur. nat.*); eodem prorsus modo patet, naturaliter Genti nulli præcedentiam competere, quo paulo ante ostendimus, eidem nullam competere prærogativam (§. 237.).

Repugnat nimirum præcedentia Gentis æqualitati Gentium (§. 16.), quæ perinde eam tollit, ac æqualitatem hominum (§. 107. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 241.

De præcedentia in conventibus vel pactis scriptura perfectis.

Quoniam naturaliter Genti nulli præcedentia competit (§. 240.), consequenter prioritas in ordine a pluribus observando (§. 104. *part. 1. Jur. nat.*), in conventibus autem necessario observandus est aliquis ordo, nec non in pactis, quæ scriptura perficiuntur; *necesse omnino est ut Gentes convenientes, vel paciscentes de præcedentia inter se conveniant.*

Id, de quo convenitur, valere pro præsenti, non vero in consequentiam produci posse facile patet. Nec minus liquet, meri arbitrii esse, quomodo inter se convenire velint. Conventio enim ista remissionem juris sui continet (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*), quæ mere arbitraria (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Prudentiæ vero est, ut ab æqualitate tam parum recedatur, quantum fieri potest: id quod in conventibus contingit, si observetur is ordo, quo quis accesserit, vel si in pactis in scripturam redactis nunc pars una, nunc altera præponatur. Maxime naturale est, ut præcedat, qui prior dignitatem meruit, vel etiam ut ætatis Gentium habeatur ratio.

§. 242.

§. 242.

Præcedentia a Gente acquiri potest pacto. Eodem modo idem demonstratur, quo ante ostendimus, prærogativam pacto acquiri (§. 239.).

Quomodo præcedentia a Gente acquiratur.

Immo cum præcedentia prærogativa quædam sit (§. 108. *part. 1. Jur. nat*), prærogativæ vero a Gente per pacta acquiri possint (§. 239.); evidens omnino est, præcedentiam quoque a Gente per pacta acquiri posse.

Quæ paulo ante de prærogativa annotavimus (*not.* §. 239.); ea etiam tenenda sunt de præcedentia (§. 108. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 243.

Si status popularis mutetur in monarchiam, vel regnum, aut in aristocratiam; monarcha vel Rex, aut optimates inter Gentes eum habent locum, quem habuerat Gens in statu populari & contra. Etenim in monarchia monarcha (§ 160. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiam Rex respectu Gentium aliarum (§. 139. *part. 1. Jur. nat.*), & optimates conjunctim in aristocratia populum repræsentant (§. 160. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem si Genti cuidam præcedentia competit, ea etiam competere debet monarchæ, vel Regi, aut optimatibus, & per consequens si status popularis mutetur in monarchiam, vel regnum, aut in aristocratiam; monarcha, vel Rex, aut optimates inter Gentes eum habent locum, quem habuerat Gens in statu populari. *Quod erat unum.*

Num præcedentia vel ordo Gentium immutetur mutata Reip. forma.

Enimvero si loco monarchiæ, vel regni, aut aristocratiæ introducatur status popularis; jus populi, quod habuerat monarcha, vel Rex, aut quod habuerant optimates, ad populum redit. Immo quia hæ personæ Gentem suam

repræsentabant *per demonstrata;* præcedentia quoque, quæ ipsis inter Gentes competebat, jus erat Gentis, quam repræsentabant. Quodsi ergo monarchia, vel regnum, aut aristocratia mutetur in statum popularem; præcedentia, quæ monarchæ, vel regi, aut optimatibus competebat, nunc competit Genti, & per consequens Gens ista inter ceteras Gentes eum habebit locum, quem ante habuerat monarcha, vel Rex, aut habuerant optimates. *Quod erat alterum.*

Gentes naturaliter liberæ sunt (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo imperium civile, consequenter modus idem exercendi, seu Reip. forma ab aliis Gentibus prorsus independens est (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*). Forma igitur Reip. nullum momentum affert ad ea, quæ Genti competunt, nec hæc ullo modo ab ea dependet. Quamobrem si de præcedentia Gentis alicujus certi quid fuerit definitum, vel de loco, quem inter alias Gentes habere debet; id idem erit, qualiscunque tandem fuerit Reip. forma, cumque Rector civitatis jus Gentis, cui præest, habeat (§. 39.), parum refert, quantum juris populus in eum contulerit, aut sibi reservaverit, aut quomodocunque exercitium ejus limitatum fuerit. Relegenda hic sunt, quæ de charactere repræsentativo Rectorum civitatis supra annotavimus (*not.* §. 39.).

§. 244.

De appellatione Rectorum civitatis & bonorum titulis ipsis tribuendis.

Cuilibet Genti naturaliter liberum est, quo nomine Rectorem civitatis suæ appellare velit, & quosnam bonorum titulos eidem tribuere. Cum enim a populi voluntate unice dependeat, qua lege imperium in Rectorem civitatis transferre velit (§. 36. *part. 8. Jur. nat.*) & Rector civitatis persona moralis est, quæ per jura in ipsum collata determinatur (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), nomina autem, quibus personæ morales designantur, arbitraria sint (§. 959. *Ontol.*); Genti quoque unicuique libe-

liberum est, quo nomine Rectorem civitatis suæ appellare velit. *Quod erat unum.*

Et quoniam populus eum, in quem imperium transtulit, pro Rectore civitatis suæ agnoscere tenetur, quod per se patet, consequenter actibus quoque externis significare, quod pro eo eum agnoscat, adeoque eum tanquam Rectorem civitatis suæ honorare (§. 841. *part. 1. Jur. nat.)*, inter hæc signa vero etiam pertinent tituli honorum, quæ itidem arbitraria signa sunt (§. 959. *Oontol.);* a voluntate quoque populi dependet, quosnam honorum titulos ad significandam dignitatem ejus eidem tribuere velit. *Quod erat alterum.*

Cum nomen, quo Rector civitatis appellatur, significet personam moralem, quam sustinet, dignitas vero ejus æstimetur ex jure, quod eidem competit in populum; nomen, quo appellatur, nec auget, nec minuit dignitatem ejus, sed quatenus opinione hominum dignitati ejus quicquam accedere, vel decedere putatur, nomen inane est. Idem prorsus sentiendum de honorum titulis, qui non valent ultra id, quod significant. Quatenus vero vocabula inania sunt, nihil certi atque determinati significantia, & tamen facere putantur ad augendam dignitatem Rectoris civitatis, vanitati litatur. Idem hic obtinet, quod in titulis & appellationibus aliarum personarum publicarum, quæ certo quodam officio in Rep. funguntur, vel etiam privatarum aliarum. Ideo nos contenti sumus nomine generali Rectoris civitatis, qui rerum, non vocabulorum rationem habemus. Sive eum, qui imperium absolute summum in populum magnum & potentem habet, dixeris Imperatorem, sive Regem, sive Principem, sive Ducem, sive Dominum, sive quocunque alio nomine eum appelles; vocabula ista semper eundem habebunt significatum, nec dignitati illius quicquam accedit, vel detrahitur, quocunque illorum nomine appelletur. Qodsi ex istiusmodi nominibus æstimare velis dignitatem Rectoris civitatis; haud raro con-

tinget, ut major putetur, quam revera est, & eidem tribuatur, quod minime competit. Ast mundus hic, quod dicitur vulgo, quam maxime regitur opinionibus.

§. 245.

Num Rector *civitatis nomen & titulos sibi tribuendos determinare possit.*

Si Rector civitatis jubeat, ut certo nomine compelletur a subditis, & certi honorum tituli sibi tribuantur; subditi nomine isto eum compellare ac titulos istos tribuere obligantur, nisi lex fundamentalis obstet. Populus enim Rectori civitatis obedire tenetur, quatenus non imperat legibus fundamentalibus adversa (§. 1043. 1046. *port. 8. Jur. nat.).* Quamobrem cum nomina, quibus certæ personæ morales appellantur, ac tituli honorum arbitrarium habeant significatum (§. 995. *Ontol.)*, consequenter perinde sit, sive hoc, sive alio nomine appelletur Rector civitatis, & num hi, an alii honorum tituli ipsi tribuantur; si Rector civitatis jubeat, ut certo nomine compelletur a subditis, & certi honorum tituli ipsi tribuantur, subditi nomine isto eum compellare ac titulos istos tribuere obligantur, nisi lex fundamentalis obstet.

Per nomen, quo appellatur Rector civitatis, & titulos honoris, qui ipsi tribuuntur, non plus juris in populum acquirit, quam habet, consequenter si veritatem spectes, non vanam imperitorum opinionem, nec magis, nec minus honoratur, sive hoc, sive alio nomine compelletur, & sive hi, sive alii tituli eidem tribuantur. Nulla igitur prorsus adest ratio cur obedientiam detrectare liceat subditis.

§. 246.

De jure circa nomen Rectoris civita-

An Gentes aliæ eodem nomine appelare velint Rectorem alicujus civitatis, quo eum appellant subditi, & eosdem tribuere honoris titulos, a voluntate ipsarum unice pendet, & ut hoc faciant, ab iis impe-

impetrandum. Etenim meri arbitrii est, quo nomine Gentes Rectorem civitatis suæ appellare velint, & quosnam honoris titulos eidem tribuere (§. 244.), vel Rector etiam civitatis subditis suis imperare potest, ut hoc nomine se appellent atque hos honoris titulos tribuant (§. 245.). Ast cum Gentes omnes liberæ sint (§. §. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequententer nulla in agendo a voluntate alterius dependeat (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*); non ideo Gentes aliæ eodem nomine appellare tenentur Rectorem alicujus civitatis, quia subditis placet eum hoc nomine appellare, nec eosdem hohonoris titulos eidem tribuere, quia hisce placet eosdem ipsi tribuere. Cum Rector civitatis nonnisi imperium in populum suum habeat, ut id exerceat (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*); eodem modo intelligitur, quod aliis Gentibus imperare nequeat, ut ipsum hoc nomine appellent, quo subditi sui eum apellare tenentur, & eosdem titulos honoris ipsi tribuant, quos subditi tribuere tenentur. Quamobrem patet, an Gentes aliæ hoc facere velint, ab ipsarum unice voluntate dependere. *Quod erat unum.*

tis & honoris titulos.

Quoniam Genti unicuique liberum est, num Rectorem alicujus civitatis eodem nomine appellare velit, quo eum appellat populus suus & eosdem honoris titulos tribuere, quos hic ipsi tribuit, *per demonstrata n. 1.*; ut hoc facere teneantur Gentes aliæ, necesse est ut se ad id obligent, consequenter hoc ab iis impetrandum. *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus, Rectorem quendam civitatis imperium summum habentem appellari velle Regem & ut titulus Majestatis sibi tribuatur. Imperare hoc potest subditis, & hi eum Regem appellare & titulum Majestatis tribuere tenentur. Ast ut idem faciant Gentes aliæ, & ab iis jus perfectum acquiratur, vel petitione, vel pactione impetrandum. Si petenti dene-

nega-

negatur, data occasione pactionibus conficitur, quod non uno modo fieri potest, vel ut pactio non ineatur, nisi sub hac conditione, si ante nomen Rectoris civitatis & tituli ipsi competentes agnoscantur. Praxi hæc consentanea sunt, & ex annalibus exemplis facile confirmantur. Habemus sane exempla nostri temporis, quibus dictis fides conciliatur. Sed in re manifesta non opus est, ut ad ea provocetur.

§. 247.

Denegatio nominis & titulorum quando sit injuria.

Si qua Gens jus perfectum acquisivit, ut Rector civitatis ab alia hoc nomine appelletur & hi honoris tituli eidem tribuantur, & ea posthac facere omittit, injuriam committit. Cum enim omissio fiat contra jus perfectum *per hypoth.* quod vero fit contra jus perfectum alterius injuria sit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); patet, si in hypothesi propositionis præsentis Rectori cujusdam civitatis non tribuatur nommen, nec tribuantur tituli competentes, injuriam committi.

Cum liberi arbitrii sit, utrum Gens aliqua Rectorem civitatis alterius eo nomine appellare velit, quo appellari vult, & hos tribuere titulos, quos sibi tribui vult, nec ne (§. 246.); ubi petenti hoc denegat, injuriam ei minime facit. Sed postquam petenti promisit, vel de eo pactio inita fuit, cum tunc facere obligetur, non faciendo injuriam committit. Quoniam moribus Gentium convenit, ut nomina & tituli significent dignitatem Rectoris civitatis; si nomen Rectori civitatis competens cum suis titulis antea ipsi tributum non tribuatur, id fieri nequit nisi ex contemtu (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*). Quando enim quis se obligat ad nomen & titulos tribuendum; eum, cui se obligat, nomine ac titulis dignum censere intelligitur. Quodsi ergo tribuere nolit, perinde omnino est, ac si declaret, se eum pro indigno habere, nec tanti existimare, ut tribuat, manifesto contemtus indicio (§. *cit.*).

§. 248.

Si usus loquendi inter Gentes vicinas receptus certis vocabulis, quæ inserviunt nomini & titulis Rectoris civitatis, significatum tribuit, qui certa requisita in Rectore civitatis supponit; his deficientibus nomen istud ac tituli isti eidem a Gentibus aliis tribui nequeunt, neque illud, neque hos sibi arrogare citra temeritatem is potest. Vocabula enim cum sint ad significandum res inventa, si usus loquendi inter Gentes vicinas receptus certis vocabulis certum tribuit significatum; inter se tacite convenisse videntur, ut nomen aliquod vel titulus quidam non tribuatur, nisi ei, cui sunt ista requisita. Eo ipso itaque, dum alicui nomen, vel titulus tribuitur, indicatur, ei adesse hæc requisita (§. 349. *Log.*). Revera igitur absurdum est contra receptum inter Gentes loquendi usum alicui tribuere velle nomen, vel titulum quendam, consequenter deficientibus requisitis, quæ usus loquendi supponit, tribui nequit a Gentibus aliis. *Quod erat unum.*

De significatu nominum & titulorum ex usu loquendi inter Gentes recepto.

Cumque temere fiat, quod nullo fine fit (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*); eodem modo patet deficientibus requisitis, quæ diximus, nomen aut titulum citra temeritatem neminem sibi arrogare posse. *Quod erat alterum.*

§. 249.

Quando in hypothesi propositionis præcedentis Rectori civitatis petenti denegantur nomen & tituli honoris, quos affectat; nihil committitur, quod est contra officium humanitatis. Etenim cum nomen istud, quod sibi tribui petit, una cum titulis honoris, quos affectat, eidem tribui nequeant (§. 248.); legi naturæ, quæ unicuique honorem exhiberi jubet, quem meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*), non repugnat, si petenti ut tri-

An denegatio in illo casu sit contra officium humanitatis.

tribuatur id denegetur. Quamobrem cum actus legi naturæ minime repugnans contra officium humanitatis non fit (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 655. *part. 1. Jur. nat.*): nec contra officium humanitatis quicquam committitur, si in hypothesi propositionis præcedentis petenti denegentur nomen & tituli, quos affectat.

Nomen & tituli incompetentes recte denegantur, deficientibus requisitis, quæ significatus vocabulorum usu loquendi introductus supponit. Immo si inde æstimetur dignitas ejus, cui tribuuntur, & non merenti tribuantur, tandem vilescunt, ipso usu significatu eorundem immutato: id quod perinde valet de titulis privatorum, si in abusum trahantur. Laudandi omnino sunt Galli hoc nomine, quod vanitati titulorum minime litent, quemadmodum apud nos moris est; sed paucis utantur vocabulis, quibus omnis differentia dignitatum civilium exprimitur, & quorum constantem retineut usum. Ceterum ut Rectoribus civitatis is exhibeatur honor, quem merentur, non confundenda sunt, quæ a se invicem distinguenda. Etenim Rector civitatis duplicem repræsentat personam, quatenus spectatur tanquam persona, quæ Remp. regit, & quatenus consideratur tanquam persona privata, quoad eos scilicet actus, qui ad regimen minime spectant. In casu priori autem porro distinguendus est honor, qui eidem debetur, quatenus est persona, in quam imperium civile translatum, ab honore, quam meretur, quatenus Remp. bene administrat. Influunt autem in actus regiminis virtutes, quæ privatæ ipsius personæ propriæ. Nomina, quæ tribuuntur Rectoribus civitatis, atque tituli proprie non denotant nisi dignitatem, quam inde habent, quod imperio civili sint instructi & per consequens non gloriam pariunt, sed fortunam illorum loquuntur. Gloria demum venit a bono regimine, quod virtutes regias supponit, & a virtutibus privatis in istud influentibus. Quodsi animum ad hæc probe attenderent, qui de honore Rectoribus civitatis ferendo judicare sibi sumunt; nihil

hi definirent, quod sit a veritate alienum. Adulatorum est utilitatis suæ causa omnia confundere. Quamprimum vero a veritate receditur, nihil amplius certi est, ac plurima inde consequuntur mala & absurda.

§. 250.

Quomodo Rector unius civitatis spectare debeat Rectorem civitatis alterius.

Quilibet Rector civitatis Rectorem alterius civitatis spectare debet tanquam sibi naturaliter æqualem. Etenim naturaliter Gentes omnes æquales sunt (§. 16.). Quamobrem cum Gentem suam repræsentet Rector civitatis, quando ipsi negotium est cum aliis (§. 39.); omnes quoque Rectores civitatis naturaliter æquales sunt. Quilibet igitur alterum spectare debet tanquam sibi naturaliter æqualem.

Ne æqualitas Rectorum civitatis dubitationi obnoxia sit, nec in abusum trahatur, non modo probe perpendendum est, imperium civile, per quod constituitur persona Rectoris civitatis (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), in omni Gente esse idem (§. 60. *part. 8. Jur. nat.*), & per consequens dignitatem naturalem, quæ ex notione Rectoris civitatis fluit, omnium esse eandem; sed cavendum quoque est, ne quæ ex accidente superveniunt, confundantur cum iis, quæ per se Rectori civitatis insunt. Quamvis itaque Rectores civitatis omnes inter se æquales sint, ac ideo quilibet alterum agnoscere teneatur tanquam æque Rectorem civitatis, consequenter eidem tribuere honorem, qui Rectori cuidam civitatis per se competit; non tamen inde consequitur, non agnoscendam esse præcellentiam unius præ altero, quæ ex accidente est, & ejus in honore exhibendo rationem habendam esse. Cum enim unusquisque alterum honorare debeat, quantum meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*), in honore autem Rectoribus civitatis exhibendo attendenda quoque veniant, quæ ex accidente superveniunt, prouti abunde intelligitur ex iis, quæ modo annotavimus (*not.* §. 249.); ex agnitione æqualitatis nondum fluit honoris exhibendi identitas. Minime autem inde inferri potest aliqua Gen-

tis prærogativa & præcedentia. Immo quæ ex accidente veniunt, cum non semper eadem maneant, nec constans aliquod jus, si vel maxime tantummodo ut imperfectum spectetur, parere possunt. Si qua vero non ita insint personæ Rectoris civitatis, ut cum eo mutentur, sed maneant etiam apud successorem, veluti si is præsit Genti præpotenti & regno vasto; quin in nomine, quo appellendus, ac titulis eidem tribuendis, & in prærogativis atque præcedentia per pacta concedendis haberi possit ratio, dubitandum non est. Naturaliter tamen ab æqualitate non recedendum, ubi spectanda sunt officia, quæ Rector civitatis unus Rectori civitatis alteri debet, & quamdiu spectatur honor, qui Rectori civitatis qua tali debetur. Nihil vero in hisce singulare est, quod non æque observandum veniat in personis quibuslibet privatis ob naturalem hominum æqualitatem, quæ in exhibendo honore non tollit ea, quæ ex accidente homini uni præ altero insunt.

§. 251.

Quando contraria ratione agendo injuria committatur.

Quoniam quilibet Rector civitatis Rectorem civitatis alterius spectare debet tanquam sibi qualem (§. 250.); *omnes* quoque *actus illiciti sunt, quibus Rector aliquis civitatis indicat, se alterum non spectare tanquam naturaliter sibi æqualem* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), hoc est, *tanquam æque Rectorem civitatis*, consequenter *multo magis illiciti sunt actus, quibus declarat, se alterum indignum judicare, qui habeatur pro Rectore civitatis, & cui ideo debeantur officia, quæ Rector civitatis Rectori civitatis debet.* Quoniam vero istiusmodi actus vergunt in contemtum (§. 787. *part. 1. Jur. nat.*) & contumeliam alterius (§. 812. *part. 1. Jur. nat.*); *omnes actus, qui vergunt in contemtum & contumeliam Rectoris civitatis alterius, illiciti sunt*, & per consequens cum contemtus & contumeliæ injuriæ sint (§. 860. *part 1. Jur. nat.*), *qui istiusmodi actus edit, injuram alteri facit.*

Pro-

Propositio hæc, quemadmodum ceteræ omnes, quæ de injuria a Gentibus in alias commissa agunt, probe notanda ob usum, quem habet cum ceteris in sequentibus. Ne vero cuipiam mirum videatur, cum ad officia humanitatis, quale est exhibitio honoris, nemini competat nisi jus imperfectum, actibus iisdem contrariis committi injuriam, quæ in violatione juris perfecti consistit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); probe notandum, distinguendum esse inter actus officiis contrarios privativos, qui in nuda omissione consistunt, & inter actus officii contrarios positivos, qui lege naturali prohibiti (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), & in quibus ideo libertati naturali locus nullus relictus est (*not.* §. 912. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 252.

De Jure non patiendi læsionem.

Genti unicuique competit jus non patiendi, ut ab altera lædatur, idque perfectum. Etenim Gens nulla alteram lædere debet (§. 173.). Quamobrem cum ex obligatione passiva partis unius oriatur jus parti alteri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), nimirum, si pars una obligatur ad non faciendum, jus non patiendi, ut faciat; Genti quoque unicuique competit jus non patiendi, ut ab altera lædatur. *Quod erat unum.*

Enimvero Gentes spectantur tanquam personæ singulares in statu naturali viventes (§. 2.), consequenter quale est jus homini cuilibet naturaliter competens non patiendi, ut ab altero lædatur, tale est etiam jus Gentis unicuique competens non patiendi, ut lædatur a Gente alia (§. 3.). Quamobrem cum jus non patiendi, ut quis lædatur ab alio, homini unicuique naturaliter competens perfectum sit (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*); jus quoque, quod Genti unicuique competit, non patiendi, ut ab alia Gente lædatur, perfectum est. *Quod erat alterum.*

In Jure civili non agitur nisi de jure perfecto, & ideo inter fontes juris hujus ab Imperatore refertur principium: Neminem læde. Quemadmodum itaque ex hoc fonte fluit jus perfectum non patiendi læsionem inter singulos in Jure privatorum; ita quoque idem ex eodem fluit inter Gentes, ad quas lex prohibitiva læsionis non minus pertinet, quam ad singulos.

§. 253.

De jure lædenti resistendi & læsionem præcavendi.

Quoniam jus non patiendi læsionem jus perfectum est (§. 282.), jus autem perfectum involvit jus cogendi partem alteram, ne faciat (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Gens qualibet alteri lædere intentanti non modo vi resistere, verum etiam postquam læsit vi adigere potest, ne denuo lædere audeat.*

Jus nos patiendi læsionem involvit etiam jus ad media illud exequendi, & ideo vim, quæ ad læsionem avertendam & præcavendam necessaria, licitam facit (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 254.

De jure securitatis.

Similiter quia Genti unicuique competit jus perfectum non patiendi, ut ab altera lædatur (§. 252.), jus autem non patiendi, ut quis te lædat, jus securitatis est (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*); *Genti unicuique competit jus securitatis, & si qua Gens alteram lædit, vel lædere intendit, contra jus securitatis hoc facit, omnisque læsio juri securitatis adversatur.*

Non confundendum est jus cum executione juris sui, quæ nullam involvit obligationem, ut ideo licitum a debito sit distinguendum (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis itaque jus non patiendi læsionem nullam admittat restrictionem, cum alias quoque læsionem simpliciter prohibere non posset lex naturæ; non tamen inde sequitur, nullam læsionem esse tolerandam: juris enim executionem non solum defectus virium sæpe impossibilem reddit, verum etiam prudentia modera-

deratur, ut recte non facias, quod facere licebat. Facile patet, quæ hic dicuntur de jure securitatis Gentium, ea de quovis jure valere. Physica impossibilitas, quæ ex defectu virium nascitur, facile agnoscitur, modo animus impetu affectuum non perturbetur, sed tranquilla mente circumspectione & accurata consideratione utamur; prudentia vero requirit, ne, dum jure tuo utaris, desis officio cuidam erga teipsum vel etiam alios, consequenter quæ prudentiæ sunt, ea penitior officiorum perscrutatio manifestat.

§. 255.

De jure ad actum, qui ad exercitium imperii Gentis alterius pertinet.

Genti nulli naturaliter competit jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet. Etenim imperium, prouti in populo, seu Gente originarie est, summum est (§. 57. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum summitas imperii consistat in independentia exercitii ejusdem ab alterius cujusdam voluntate (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*); actus omnes Gentis cujusdam, qui ad exercitium imperii civilis pertinent, prorsus independentes sunt a voluntate Gentis cujusdam alterius. Naturaliter itaque Genti nulli competere potest jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Imperium civile originarie res populi propria est (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*), ut ideo jus ad actum quemcunque, qui ad illius exercitium pertinet, libertati Gentium naturali repugnet (§. 55 *part. 8. &* §. 153. *part. 1. Jur. nat.*). Istiusmodi itaque jus cum contradictionem involvat (§. 43. *Ontol.*) impossibile (§. 79. *Ontol.*), adeoque nullum est. Quamobrem nullum datur Jus Gentium naturale ad actus, qui ad exercitium imperii Gentis alterius pertinet; sed quemadmodum vi libertatis naturalis homini unicuique permittendum, ut in agendo, consequenter etiam in exercitio juris sui, suo stet judicio, quamdiu nil agit, quod est contra jus tuum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), ita etiam vi libertatis naturalis Gentium unicuique earum permittendum,

ut

ut in exercitio imperii suo stet judicio. Immo cum imperium civile oriatur ex pacto, quo homines in civitatem coivere (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), & vi cujus singuli se obligarunt universis, quod commune bonum promovere velint (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*); singulorum obligatio non respicit nisi universos & jus universorum in singulos, quod imperium est (§. 31. *part. 8. Jur. nat*), non pertinet nisi ad universos, qui inter se contraxerunt, consequenter nulla prorsus ratio naturalis est, cur Gens quædam alia quicquam huius juris participare possit.

§. 256.

De injuria Genti facta sese immiscendo regimini ejus.

Quoniam Genti nulli naturaliter competit jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 255.); *si Gens quædam quid facere audet, quod ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet, nullo jure & contra jus alterius Gentis hoc facit, ac per consequens injuriam eidem facit* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Sese immiscere regimini alieno, quomodocunque tandem fiat, libertati naturali Gentium adversatur, vi cujus prorsus independens est a voluntate aliarum gentium in agendo (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*). Gentes autem qua tales quicquid agunt, id vi imperii agunt.

§. 257.

De se non immiscendo regimini alieno.

Quoniam Genti nulli naturaliter competit jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 255.), Rector autem civitatis imperium exercet (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), & regimen in exercitio imperii consistit (§. 218. *part. 7. Jur. nat.*); *nullus Rector civitatis habet jus regimini alieno se immiscendi*, consequenter *urgere nequit, ut alter in civitate sua quid constituat, vel faciat, aut non faciat, nec regimen Rectoris unius civitatis subest judicio Rectoris alterius cujusdam.*

Si

Si qua talia fiunt, ea absque omni jure fiunt. Et quamvis minus potens tandem cedere cogatur potentiori; potentia tamen non dat jus, quod hic aliunde non habet.

§. 258.

Si Rector civitatis nimium oneret, aut nimis duriter tractet subditos.

Si Rector civitatis nimium oneret subditos, aut eos nimis duriter tractet; Rector alterius civitatis vi resistere nequit; pro iis tamen intercedere potest. Nullus enim Rector civitatis habet jus regimini alieno se immiscendi, nec hoc judicio ejus subest (§. 257.). Quamobrem cum regimini alieno sese immisceat, si Rector alius civitatis nimium oneret subditos, aut eos nimis duriter tractet, & ipse eidem vi resistat, quod per se patet; in hypothesi propositionis præsentis eidem vi resistere nequit. *Quod erat unum.*

Quoniam Gens quælibet omni studio id agere debet, ut aliæ quoque Gentes sint felices (§. 162.), non autem tenetur ultra id, quod in potestate sua est (§. 160.); cum vi male imperanti resistere non possit, *per demonstrata*, consequenter nil supersit, quam ut precibus eum permovere studeat, ut animum mutet, seu pro subditis nimium oneratis, aut nimis duriter tractatis intercedat, quin pro iis intercedere recte possit, dubitandum est. *Quod erat alterum.*

Mittimus ea, quæ in intercessione prudentiæ sunt: ea enim ad prudentiam civilem spectant, de qua in Politica agitur. Quoniam prudentiæ habenda ratio est, haud raro contingit, ut ipsa quoque intercessio non sit in potestate, consequenter petentibus recte denegetur (§. 160.).

§. 259.

An Gens quædam cogi possit ad reli-

Gens nulla alteram vi adigere potest ad religionem suam in Rep. sua introducendam, vel ad eam amplectendam. Etenim cum

gionem Gentis alterius amplectendam. Rectori civitatis curæ esse debeat, ut subditi Deum colant (§. 458. *part. 8. Jur. nat.)*, modus autem colendi Deum religio sit (§. 512. *part. 2. Theol. rat.)*; disponere de iis, quæ ad religionem pertinent, ad exercitium imperii civilis, seu regimen (§. 218. *part. 7. Jur. nat.)* pertinet. Quamobrem cum Genti nulli competat jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 255.); Gens quoque nulla alteram vi adigere potest ad religionem suam in Rep. sua introducendam, vel ad eam amplectendam.

Non jam quæstio est de eo, num religio vi propagari possit; sed de jure Gentis in Gentem agitur. Neque hic attendenda est distinctio inter religionem veram & falsam, ut in casu collisionis juris Gentium officium erga Deum vincere dicatur: nulla enim gens est, quæ non existimet religionem suam esse veram. Vis vero medium aptum non est ad veritatem persuadendam.

§. 260.

An religionis causa Gentem imperio suo subjicere liceat. Quoniam *Gens nulla* alteram vi adigere potest ad religionem suam amplectendam (§. 259.); nec *religionis causa Gentem aliam subigendi & imperio suo subjiciendi jus habet.*

Agitur hic de jure, quod Gentibus naturaliter competit. Quamobrem nostram non facimus litem Theologorum de religione propaganda, qui non ex principiis rationis, quæ Juris naturæ doctor est (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sed revelationis eandem definiunt.

§. 261.

De officiis Gentis circa verum Dei cultum. *Quicquid Gens una ad persuadendum aliis verum Dei cultum conferre potest; ad id conferendum naturaliter obligatur. Quodsi tamen ea ad eundem amplectendum adduci nequeat; id ferendum.* Quoniam

am enim homines Deum colere obligantur (§. 1231. *part. 1. Jur. nat.)*, consequenter etiam Gentes (§. 2. 3.), vitanda vero est tam superstitio (§. 1256. *part. 1. Jur. nat.)*, quæ ex erroneis de Deo & providentia divina opinionibus quoad ea, quæ homini bona vel mala evenire possunt, nascitur (§. 1255. *part. 1. Jur. nat.)*, quam idololatria (§. 1262. *part. 1. Jur. nat.)*, quæ in cultu divino falsorum Deorum consistit (§. 1258. *part. 1. Jur. nat.)*, & quod Gens quælibet sibi debet, id etiam debet alteri cuicunque, quantum in potestate est (§. 156. 160.); quicquid Gens una conferre potest ad promovendum verum Dei cultum apud Gentes alias, ad id conferendum naturaliter obligatur. Enimvero Gens nulla alteram vi adigere potest ad religionem suam amplectendam (§. 259.), consequenter nil restat, quam ut eam persuadeat aliis. Quicquid igitur ad persuadendum religionem, seu verum Dei cultum conferre potest; ad id conferendum naturaliter obligatur. *Quod erat unum.*

Sunt vero officia Gentis erga Gentes alias, quibus earum felicitas promovetur, officia humanitatis (§. 164.). Quamobrem cum quoad officia humanitatis obligationi tuæ satisfacceris, si ea obtuleris, ubi alter eadem recusat (§. 655. 665. *part. 1. Jur. nat.)*; si qua Gens alteri verum Dei cultum persuadere conetur, ea vero ad eandem amplectendum se adduci minime patiatur, id ferendum. *Quod erat alterum.*

Ubi a vi discesseris, non alia suppetunt media verum Dei cultum promovendi, quam ut homines eum doceantur sive per doctores vivos, qui, si ad exteras Gentes mittuntur, *Missionarii* appellantur, sive per mortuos, qui sunt libri de vero Dei cultu conscripti. Persuasio vero fit argumentis, quibus partim veritas adstruitur, vel falsitas errorum oppositorum ostenditur, partim motiva suppeditantur ad religionem amplectendam.

dam. Variant autem tam argumenta priora pro diversa capacitate illorum, quibus veritas persuaderi debet, quam posteriora pro diversitate inclinationum & morum eorundem, qui in assensum influunt, ubi quoque praejudicia multum momenti habent. Quoniam vero Gens in iis, quæ ad religionem amplectendam pertinent, a seipsa unice dependet, nec cogi potest; si missionarios admittere & in regione sua tolerare nolit, nec permittere ut libri apportentur, in quibus cultus divinus alius, quam apud eam receptus est, docetur & inculcatur, id ferendum. Cautione autem haud exigua opus est, si qua Gens ad amplectendam religionem suam aliam adducere velit. Naturalis enim obligatio, de qua loquitur propositio præsens, supponit cultum divinum verum: alias nulla est, immo cum nemo hominum animis aliorum errores insinuare debeat (§. 708. *part. 1. Jur. nat.*), si qua Gens falsum Dei cultum aliis persuadere velit, peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eamque lædit (§. 693. *part. 1. Jur. nat.*). Arduum vero cum sit de vero Dei cultu seu vera religione judicium, ad eam aliis persuadendam nonnisi omnibus probe expensis procedendum, in casu dubio ab hoc proposito desistendum. Considerandum hic quoque est, quænam sint prudentiæ partes, ne nihil agendo nobis noceamus. Atque ideo multa circumspectione opus est, quam nemo non admittit, quando inter privatos res agitur. Jus autem Gentium ab eo non differt, quo privati inter se utuntur (§. 3.). Obiter quasi sicuti alibi, ita etiam hic talia monemus, cum quæ ex instituto facienda tractatio ad Jus naturæ ac Gentium minime pertineat.

§. 262.

De jure Gentium in missionarios.

Genti nulli competit jus missionarios puniendi, vel male tractandi; sed si eas tolerare nolit, jus saltem jubendi, ut e terris suis discedant, nisi publicam quietem turbaverint, aut refractarii discedere nolint. Etenim Gens nulla ad religionem alterius Gentis am-

amplectendam cogi potest (§. 259.), & si ad eam amplectendam persuaderi nequit, id ferendum (§. 261.), consequenter a voluntate Gentis uniuscujusque dependet, utrum missionarios, hoc est, eos, qui religionem ipsi persuadere volunt ab ea diversam, qua utitur, tolerare velit, nec ne. Quoniam vero si tolerare nolit, sufficit, ut discedere jubeantur, id quod per se patet; nullum quoque competit Genti jus eos puniendi, vel male tractandi, sed saltem jubendi, ut e terris suis discedant. *Quod erat primum.*

Enimvero si missionarii quietem publicam turbent, cum ea in civitate sit conservanda (§. 19. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter qui eandem turbant, Remp. lædant, qui vero hoc faciunt, puniri possint (§. 579. *part. 8. Jur. nat.*); missionarii quoque puniri possunt, non tanquam missionarii, sed tanquam turbatores quietis publicæ, seu tranquillitatis. *Quod erat secundum.*

Denique cum missionarii ferre debeant, si Gens non patiatur ad religionem, quam ipsi persuadere volunt, amplectendam se adduci (§. 261.); si e terris discedere jubentur, discedere quoque debent, consequenter obedire jubenti (§. 205. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem cum istiusmodi jussus habeat rationem legis (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), legibus autem addendæ sint pœnæ, quæ ad cohibendam legum transgressionem, quantum datur, sufficiunt (§. 585. *part. 8. Jur. nat.*); quin missionarii refractarii, qui scilicet jussi discedere e terris nolunt, puniri possint, ob detrectatam scilicet obedientiam, quam debent, dubitandum non est. *Quod erat tertium.*

Supra jam annotavimus (*not.* §. 259.), non valere hic distinctionem inter religionem veram & falsam. Cum enim

quælibet Gens, nisi contrarii convincatur, vel persuadeatur, putet, religionem suam esse veram; veritas religionis minime apta est ad jus Gentium circa religionum diversitatem determinandum inter partes dissentientes. Qui vero missionarios tolerare non vult, ei non plus juris in eos competit, quam sufficit, ut non tolerentur. Ac ideo quivis facile videt, nullo prorsus jure eos pœnis coërceri, multo minus pœnis capitalibus eos affici posse, nisi accedat delictum, quod tanta pœna, quanta in eosdem statuitur, coërceri meretur. Notandum vero etiam hic est, quod paulo ante annotavimus (*not.* §. 260.), nos hic non progredi ultra ea, quæ ex principiis Juris naturalis demonstrari possunt, nec nostrum facere, quod ad forum Theologorum spectat.

§. 263.

An diversitas religionis obstet officiis Gentium erga se invicem.

Ob diversitatem religionis Gens nulla alteri officia humanitatis, quæ Gentes sibi invicem debent, denegare potest. Etenim officia, quæ Gentes Gentibus debent, non supponunt identitatem religionis, sed citra respectum ullum ad eandem demonstrantur, quemadmodum ex singulorum demonstratione abunde patet. Quamobrem ad ea sibi invicem præstanda obligantur Gentes citra ullum ad religionem respectum. Ob religionis itaque diversitatem Gens nulla alteri officia humanitatis, quæ Gentes sibi invicem debent, denegare potest.

Nihil hic peculiare deprehenditur in Jure Gentium, quod non idem obtineat inter privatos. Dilectio hominum, seu charitas (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), quæ omnia officia hominis erga alios complectitur (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), ad quoscunque homines extenditur simpliciter, sine ullo religionis respectu (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*). Et nemo nostrum est, qui hoc non agnoscat, & perversam opinionem veterum non damnet, quæ odio haberi jubet alii religioni addictos (*not.* §. 618.

618. *part. 1. Jur. nat.*). Qui vero hoc agnoscit inter homines singulos, idem etiam admittere tenetur inter Gentes (§. 3.).

§. 264.

Gens una quælibet alteri jus suum tribuere debet. Etenim unicuique jus suum tribuendum (§. 922. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum naturaliter Gentes sibi invicem ad eadem obligentur, ad quæ singuli obligantur singulis (§. 3.); Gens quoque unaquælibet alteri jus suum tribuere debet. *Fundamentum justitiæ inter Gentes.*

Nec naturæ lex jura Gentibus frustra dat, nec frustra sibi invicem ea acquirunt. Nulla autem juris foret utilitas, si ab arbitrio alterius dependeret, utrum tibi jus tuum tribuere vellet, nec ne, & tu in voluntate ipsius acquiscere deberes. Unde facile intelligitur, perfectam esse Gentium ad tribuendum sibi mutuo jus suum obligationem.

§. 265.

Quoniam Gens unaquælibet jus suum tribuere alteri debet (§. 265.); virtus autem, qua cuique jus suum tribuitur, justitia est (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*); *Gentes inter se justitiam colere debent*, consequenter *sollicte sibi cavere, ne quid committant, quod sit justitiæ adversum* (§. 722. *part. 1. Jur nat.*). *De justitia a Gentibus colenda.*

Etsi justitia non sit colenda utilitatis causa, sed cum sensu debiti atque officii; multa tamen utilitas in Gentem redundat, si justam se præbeat aliis, nec a justitiæ tramite se abduci patiatur. Multum quoque consuleretur generi humano, si Gentes in universum omnes earumque Rectores justitiæ amantes essent, sicuti ex adverso injustitia plurimorum malorum causa est.

§. 266.

Gens quælibet sibi cavere debet, ne alias vere offendat. Quoniam enim nemo alterum vere offendere debet (§. 939. *part. 1.* *De offensa Gentibus vitanda.*

part. 1. Jur. nat.); eodem, quo ante (§. 264.), modo patet, Gentem quamlibet sibi cavere debere, ne alias vere offendat.

Nihil magis adversatur societati, quam ipsa natura inter omnes Gentes instituit & ad quam colendam eas obligat (§. 7.), quam offensa atque injustitia. Quamobrem e re esse duximus, ut utriusque disertam faceremus mentionem, utut per ea jam patere poterant, quæ supra in genere (§. 3. 165.) demonstrata fuerunt. Ceterum non fine ratione diximus, Gentes sibi a vera offensione cavere debere. Etenim non nisi hæc illicita est: ab ea vero, quæ perperam pro tali habetur a Gente, quæ revera offensa minime fuit, nec cavere sibi Gens potest, immo haud raro, si possit, nequaquam debet, prouti satis intelligitur ex iis, quæ de offensæ veræ & putatitiæ differentia alias inculcavimus (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo est qui nesciat, multos se ab alio offensos existimari, cum nulla veræ offensionis causa subsit. Quemadmodum vero prudentiæ est hoc quoque evitare, quantum officiorum ratio permittit; ita eidem maxime locus est inter Gentes, quæ tamen & ipsæ recte agendo neminem timere debent.

§. 267.

De Jure Gentium auferendo.

Genti unicuique competit jus non patiendi, ut alia quædam jus quoddam suum sibi auferat. Gens enim quælibet alteri jus suum tribuere (§. 264.), consequenter minime auferre debet (§. 922. *part. 1. Jur. nat.*). Ex hac igitur obligatione partis unius cum nascatur alterius jus in actum negativum alterius (§. 23. *part. 1. Jur. nat.* & §. 24. *part 1. Phil. pract. univ.*); jus istud aliud esse non potest, quam non patiendi, ut jus tuum ipsi auferatur. Quamobrem Genti cuilibet competit jus non patiendi, ut alia quædam jus quoddam suum sibi auferat.

Equi-

Equidem jam supra monuimus (*not.* §. 252.), lege prohibitiva induci jus perfectum; non tamen inconsultum videtur, ut id in genere demonstretur, cum principum hoc sit longe utilissimum inprimis in definiendis causis belli justis & in jure perfecto ab imperfecto discernendo.

§. 268.

De jure, quod nascitur ex obligatione lege prohibitiva inducta.

Ex obligatione partis unius, quæ inducitur lege prohibitiva, oritur parti alteri jus non patiendi ut illa faciat, ad quod non faciendum obligatur, idque perfectum. Etenim ex obligatione partis unius jus quoddam nascitur parti alteri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum lex prohibitiva obliget ad non faciendum (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cum intersit partis alterius, ne faciat, jus, quod ex obligatione hac lege inducta oritur, aliud esse nequit, quam jus non patiendi, ut pars obligata faciat, ad quod non faciendum obligatur. *Quod erat unum.*

Quoniam tibi competit jus non patiendi, ut pars altera faciat, ad quod non faciendum tibi obligatur, *per demonstrata;* licita quoque sunt media, sine quibus impediri nequit, ne pars altera faciat, ad quod tibi non faciendum obligatur, consequenter tibi competit jus eam cogendi ne faciat. Quamobrem cum jus, quod conjunctum est cum jure cogendi alterum, si obligationi suæ satisfacere nolit, perfectum sit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus, quod ex obligatione partis unius lege prohibitiva inducta nascitur parti alteri, perfectum est. *Quod erat alterum.*

Cum leges probitivæ naturales omnes sub hoc generali contineantur, ne faciamus, quod nos statumque nostrum imperfectiores reddit (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), demonstraverimus vero homini competere jus perfectum non patiendi,

ut alter faciat, quod ipsum & statum ejus imperfectiorem reddit, vel ut faciat, quo impeditur ipsius & status ejusdem perfectio (§. 912. *part. 1. Jur. nat.*); si rem ipsam intimius spectes, quod hic demonstramus, revera jam ibidem evictum est, prouti quoque intelligitur ex iis, quæ ibidem annotavimus. Non tamen utilitate sua destituitur, ut terminis generalibus enunciatum ex ipsis eorundem notionibus demonstretur, quod alias non facile applicatur, nec sine ambagibus, ad casus quoscunque particulares. Sane non modo ea, quæ de jure non patiendi ut alter quid faciat in casibus particularibus hactenus demonstravimus, sub præsenti propositione subsumi possunt, sed eodem principio uti quoque dabitur in casibus particularibus aliis. Immo si dicendum, quod res est, generalia ista principia revera sunt leges naturales, quarum applicatione definiuntur casus particulares, & mirifice augent scientiam non sine magno memoriæ levamento. Sane si disciplinæ satis fuerint excultæ; opera danda erit, ut omnia ad principia generalia reducantur, quæ particularibus, aut, si mavis, specialibus penitius intellectis insunt.

§. 269.

De jure non patiendi, ut qua Gens alterius regimini se immisceat.

Genti unicuique competit jus perfectum non patiendi, ut alia quædam se regimini ipsius quomodocunque immisceat. Enim si qua Gens regimini alterius sese immiscet, hoc contra jus ipsius facit (§. 256.). Quamobrem cum nemo quicquam facere debeat, quod fit contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), ex obligatione autem partis unius, quæ inducitur lege prohibitiva, oriatur jus parti alteri non patiendi, ut illa faciat, ad quod non faciendum obligatur, idque perfectum (§. 268.); Genti unicuique competit jus perfectum non patiendi, ut alia quædam se regimini ipsius quomodocunque immisceat.

Ex demonstratione præsente abunde patet, quomodo jus non patiendi, ut alter quid faciat nobis, vi principii generalis

lis præcedentis inferatur, ut idem eadem facilitate præstetur in casibus aliis. Ceterum tam hic, quam in omnibus casibus aliis, quando de jure nostro adversus alterum agitur, notanda sunt ea, quæ supra annotavimus (*not.* §. 254.). Jure enim suo non esse utendum, quando officia erga nos, vel alios, aut et iam erga Deum, aliud exigunt, principium generale est (§. 211. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 270.

De jure Gentis in alteram, quæ certo pacto eidem subjicitur.

Si qua Gens certo pacto alteri subjecta est, jus ejus, cui subjecta est, ultra actus conventos non extendendum. Etenim si Gens quædam alteri subjicitur, huic in illam jus quoddam competit (§. 134. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero cum Gens quælibet naturaliter libera sit (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), nulli Genti jus quoddam in eam competit (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*). Idem inde patet, quod naturaliter Genti nulli competat jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 55.). Quamobrem cum acceptatione nemo plus juris ab altero acquirere possit, quam is in ipsum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); si qua Gens certo pacto alteri subjecta est, non plus juris huic in alteram competit, quam de quo in pacto fuerit conventum, consequenter jus hoc ultra actus conventos extendendum non est.

Jus igitur Gentis unius in alteram ex pacto subjectionis metiendum. Cum eodem convenit pactum quodcunque, quod fit cum diminutione imperii alterutrius Gentis: etenim tum certi actus ad exercitium imperii civilis spectantes juri alterius Gentis subjiciuntur, hæc autem nonnisi in eos actus jus habet. Istiusmodi jus est, ut Gens una nequeat eligere sibi Regem, nisi cum consensu Gentis alterius, ut sine hujus consensu bellum inchoare nequeat, ut tolerare cogatur subditos certæ cuidam religioni addictos & ita porro. Pactis restringuntur ju-

 ra

ra, ut actus certi fiant illiciti, qui antea liciti erant, & debiti, qui erant saltem liciti, ut & committi & omitti possent.

§. 271.

De jure vi persequendi jus suum.

Genti unicuique competit jus adversus alteram jus suum vi persequendi, si id tribuere non vult. Etenim unicuique Genti competit jus non patiendi, ut alia quædam jus suum sibi auferat (§. 267.), consequenter etiam ut id sibi non tribuat. Quamobrem necesse est, ut, ubi tribuere non vult, eandem ad tribuendum vi adigat. Ipsi igitur competit jus adversus alteram jus suum vi persequendi, si id tribuere non vult.

Jus hoc revera jus belli est (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem de eo plene agemus inferius, ubi de jure belli acturi sumus. E. gr. Si Gens una alteri damnum dedit, ad id resarciendum eidem tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quodsi resarcire nolit, huic competit jus illam vi adigendi, ut resarciat. Similiter si Gens una alteri tributaria facta, tributum autem solvere nolit; hæc solutionem tributi vi persequi potest.

§. 272.

De jure puniendi Gentium.

Genti unicuique competit jus puniendi alteram, quæ ipsam læsit. Cuilibet enim homini natura competit jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum idem jus ad Gentes quoque sit applicandum (§. 3.); Genti unicuique competit jus puniendi alteram, quæ ipsam læsit.

Ostenditur etiam hoc modo. Genti unicuique competit jus non patiendi, ut ab altera lædatur (§. 252.). Quamobrem cum pœnis obligemus alios ad actiones omittendas (§. 288. *part. 1. Phil. pract. univ.*); Genti quoque unicuique competit jus puniendi alteram, quæ ipsam læsit.

Pro-

Propositio præsens non parvam utilitatem habet in jure belli penitius enucleando, ut ideo prætermitti minime debuerit. Poterat vero multis adhuc modis aliis demonstrari; sed demonstrationes cumulari opus non est. Cuilibet Genti competit jus securitatis & omnis læsio eidem adversatur (§. 253.). Quodsi ergo Gens quædam lædentem punit, jus securitatis suum adversus eam vi persequitur: id quod omnino facere potest (§. 271.).

§. 273.

De jure se jus suum defendendi.

Genti unicuique competit jus se & jus suum adversus alteram defendendi. Etenim cuilibet competit jus se defendendi (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum idem jus ad Gentes quoque sit applicandum (§. 3.); Genti quoque unicuique competit jus se adversus alteram defendendi. *Quod erat unum.*

Jam vero unicuique etiam Genti competit jus non patiendi, ut alia quædam jus quoddam sibi auferat (§. 267. Quamobrem si jus, quod ea actu habet, Gens alia eidem auferre intendat, vel conetur, vi eidem resistere licet (§. 727. *Ontol.*). Quare cum in eo jus defendendi jus suum consistat (§. 972 *part. 1. Jur. nat.*); Genti unicuique competit jus adversus alteram jus suum defendendi. *Quod erat alterum.*

Propositio hæc principium est belli defensivi, quemadmodum suo loco videbimus. Poterat ipsa defensio sui ad defensionem juris sui reduci. Etenim Gentem facit pactum, quo in civitatem coaluerat (§. 4. 5. *part. 8. Jur. nat.*), quod cum legi naturæ convenienter fuerit factum (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*), jure suo hoc fecit. Quodsi ergo Gens quædam alteram qua Gentem impugnat, in jus ipsius involat, cosequenter dum se defendit, jus suum defendit. Immo quan-

quando Gens se defendit adversus alteram, jus quoque securitatis suæ defendit. Sed nolumus in hisce esse prolixiores.

CAPUT III.

De Dominio Gentium & Juribus cum eodem connexis.

§. 274.

Quænam sint originarie in dominio Gentis.

SI *Gens regionem quandam occupavit, omnis terra & quæ in ea sunt in dominio ipsius sunt.* Etenim si plures conjunctim eandem rem occupant, dominium in eadem conjunctim acquirunt (§. 189. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gens sit multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), si Gens quædam regionem quandam occupat, omnes qui Gentem faciunt conjunctim eandem occupant, consequenter omnes conjunctim, hoc est, tota Gens dominium in iis, quæ occupantur, acquirunt. Quoniam itaque, quando regio occupatur, omnis terra & quæ in ea sunt, occupantur, ea in dominio Gentis sunt.

Modus originarius acquirendi dominium occupatio est (§. 178. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem & Gens dominium in certis terris & iis, quæ in eadem sunt, rebus originarie acquirere non potuit nisi occupando. Quemadmodum vero, si a communione primæva receditur, jus occupandi rem quandam omnibus indifferenter competit, qui eadem indigent (§. 179. *part. 2. Jur. nat.*); ita etiam Gentes terras dominio vacuas perpetui usus causa occupare potuerunt, & hoc modo dominium in terris & rebus, quæ in iisdem sunt, acquirere. Duo autem concipiuntur casus. Aut enim homines nondum sedem fixam habentes, vel sede sua non contentæ in societatem civi-

civilem coiverunt & illam quærentes regionem quandam occuparunt, quemadmodum olim contigisse constat in migrationibus Gentium, aut familiæ segreges in eadem regione habitantes societatem civilem contrahere & sic eandem totam occupare possunt. In casu priore divisione certæ terræ partes atque res fiunt singulorum; in posteriore autem manent, quæ fuerant & quæ adhuc nullius erant transeunt in dominium Gentis. Casus istos jam supra distinximus (§. 86. 87). Nimirum Gens, quæ perpetui sui usus causa regionem occupat, non modo omnem terram, sed etiam res omnes, quæ in ea sunt, sibi habere velle intelligitur: qui animus ad occupationem, qua dominium acquiritur (§. 175. *part. 2. Jur. nat.*), necessario requiritur (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*). Etsi enim ob ignorantiam, vel alia quacunque de causa rei cujusdam nullum faciat usum, aut de præsenti eum non curet; usus tamen, quem habere possunt, etiam ad Gentem illam pertinet, & quatenus usus perpetui gratia regionem occupat, eum quoque intendisse censetur, quem forte in futurum habere possunt. Præterea certum est, neminem propterea dominium in re sua amittere, quod eam negligenter tractet, nec omnem faciat usum, quem habere potest.

§. 275.

De locis desertis, sterilibus & incultis in regione a Gente inhabitata.

Quoniam omnis terra & res omnes, quæ sunt in regione a Gente occupata, in dominio ipsius sunt (§. 274.); *si qua sunt in regione, quam Gens inhabitat, loca deserta & sterilia, aut inculta, ea Gentis sunt*, consequenter *de iis disponere nequit nisi Gens, aut Rector civitatis, siquidem in eum jus sum transtulit* (§. 118. 120. *part. 2. Jur. nat.*): *quod fecisse intelligitur, si imperium absque ulla restrictione, vel limitatione*, consequenter *sine ulla lege fundamentali* (§. 77. *part. 8. Jur. nat.*), *fuerit translatum.*

Istiusmodi loca sunt sylvæ immensæ, quæ nullum Genti usum præbent, terræ incultæ, ad quas nimirum colendas nulla indi-

indigentia compellit incolas, terræ steriles, quas ob nimium laborem ac sumtus faciendos nemo colere vult, lacus ingentes, loca paludosa & quæ alia sunt his gemina.

§. 276.

An loca in regione inhabitata deserta, sterilia & inculta pro lubitu occupare liceat.

Quoniam loca deserta & sterilia, aut inculta Gentis sunt, quæ regionem inhabitat (§. 275.); *nemo sive exterorum, sive incolarum ea occupare & dominio suo subjicere potest* (§. 338. *part. 2. Jur. nat.*).

Dominia rerum usus causa introducta sunt & appetuntur: an vero usum facere velit, an nolit dominus, arbitrio ipsius relictum est, nec propterea licet alteri rem suam auferre, aut eadem uti. Quod vero nemo in dubium vocat inter privatos; id etiam concedendum inter Gente. Eadem dominii Gentis vis est, quæ privati.

§. 277.

Quomodo dominium a privatis in iis acquiratur.

Similiter cum de locis desertis, steribus & incultis in regione inhabitata nemo disponere possit, nisi Gens, aut qui ejus jus habet, veluti Rector civitatis (§. 255.); *dominium illorum in privatos transferri nequit nisi consensu populi, aut ejus, qui populi jus habet, veluti Rectoris civitatis.*

Dominium rerum, quæ jam sunt in dominio, ab alio acquiri nequit nisi domini voluntate, jus nimirum suum in acceptantem transferentis (§. 13. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium in locis desertis, sterilibus atque incultis Gens habeat (§. 275.); nec sine ipsius voluntate in privatum quendam idem transire potest. Quando enim dominium in privatum transfert Rector civitatis, id populi voluntate fieri censetur (§. 158. *part. 8. Jur. nat.*). Ceterum quia Gentes imperium cum dominio simul occupant, hæc vero jura a se invicem distincta sunt, quod de jure uno, veluti dominio dicitur, non trahendum est ad alterum.

§. 278.

§. 278.

De dominio in locis desertis & incultis.

Quoniam Gens in locis desertis, sterilibus atque incultis dominium habet (§. 275.), imperium autem cum dominio a Gentibus simul occupatur (§. 85.): *Gens etiam, & per consequens Rector civitatis in locis desertis, sterilibus atque incultis, quæ sunt in regione sua, imperium habet & licet dominium transferatur in privatos, imperium tamen in iisdem retinetur.*

Non hic loquimur de alienatione, quæ fit inter Gentes, & alienationem quoque imperii in parte quadam regionis, qualis sunt loca, de quibus sermo est, continet: id quod ex materia substrata facile intelligitur. Potest dominium transferri sine imperio; transferri etiam potest jus utrumque simul. Translatio tamen dominii in privatum, etiam extraneum, non intelligitur facta cum translatione imperii summi, ita ut ipsum imperium alienatum censeri debeat.

§. 279.

De locis incultis concedendis ad culturam advenis.

Advenis loca deserta & inculta sunt concedenda, ut eadem colant. Etenim si loca deserta & inculta ex sterilibus, aut nullius saltem usus, cultura efficiuntur fertilia & utilia, cum hoc modo res industriales multiplicentur, & rerum naturalium proventus industria ac labore promoveatur, id utique ad perfectionem status Gentis pertinet (§. 30. *h.* & §. 421. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gens quælibet statum suum perficere debeat (§. 35.), advenis loca deserta & inculta sunt concedenda, ut eadem colant.

Concessio illa non uno modo fieri potest, vel ut pro labore & impensis conferatur ad certum tempus ususfructus, vel ut dominium gratis transferatur iis, qui colere voluerint, immo etiam culturam suscipientibus certa privilegia dentur, veluti immunitas ab oneribus ad certum tempus, vel ut feudum,

aut emphytensis constituatur in iis fundis, & aliis adhuc modis, prouti circumstantiæ tulerint. Quodsi advenæ fuerint exules, beneficium in concessione consistit, cum sic habeant, unde se sustentent. Quodsi loca sterilia & inculta colantur, terra quoque plures alere potest, & consequenter si advenis colenda tradantur, id facit ad augendam potentiam (§. 69.), cujus incrementum curæ habere debent Gentes (§. 70.).

§. 280.

De jure occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt.

A voluntate Gentis dependet, utrum res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, in communione primæva relinquere, an jus occupandi dominio suo subjicere velit. In casu dubio hoc voluisse præsumitur. Quodsi jus occupandi occupavit, denuo arbitrii ipsius est, utrum id rem publicam, aut rem universitatis, an rem singulorum facere velit. Dari res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, occupando tamen eidem subjici possunt, haud obscurum est. Tales enim sunt pisces, aves & feræ quadrupedes. Tales sunt etiam margaritæ, conchæ, corallia, succinum, quæ colliguntur in litoribus maris occupatis. Immo huc quoque referuntur fructus arborum & fruticum sylvestrium. Rerum igitur istarum dominium cum originarie acquirendum sit (§. 176. *part. 2. Jur. nat.*), occupando acquiritur (§. 178. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam vero jus occupandi res domino adhuc carentes dominio subjici potest (§. 316. *part. 2. Jur. nat.*), actus occupationis autem voluntarius est, quod per se patet; a voluntate utique Gentis regionem quandam occupantis unice dependet, utrum etiam jus occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, occupare velit, nec ne, consequenter cum idem maneat omnium hominum commune, si non occupet, res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, in communione primæva relinquere (§. 9. *part. 2. Jur. nat.*). *Qud erat primum.*

Enim-

Enimvero cum Gens utilitatis suæ causa regionem occupet, quod per se patet, e re autem ipsius sit, si jus occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, in dominio ejusdem sit, ut non modo de eo pro lubitu inter suos disponere possit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.)*, verum etiam exteros excludat ab exercitio hujus juris (§. 120. *part. 2. Jur. nat.)*, ne in terris suis istas sibi acquirant; in dubio Gens jus occupandi res dominio suo subjecisse præsumitur (§. 244. *part. 2. Jur. nat.* & §. 578. *Log.*). *Quod erat secundum.*

Quodsi Gens occupavit jus occupandi res in regione sua, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, id in dominio ipsius est (§. 175. *part. 2. Jur. nat.).* Quamobrem cum dominus de re sua disponere possit, prouti visum fuerit (§. 118. *part. 8. Jur. nat.);* si Gens jus occupandi occupavit, arbitrii ipsius est, utrum id velit toti Genti commune esse, an in certas universitates, vel etiam singulos transferre, consequenter utrum id rem publicam, an rem universitatis, vel singulorum facere velit (§. 88.). *Quod erat tertium.*

Præsumtio pro occupatione maxime naturalis est. Nisi enim expressa lege, qualis erat apud Romanos, cautum, ut res, quæ in dominium nondum venerunt, occupare liceat, quibus visum fuerit, nec dominio universitatum, vel singulorum subjectum sit; vix quispiam erit, qui non iniquum judicet, si quis peregrinus pisces, aves, vel alias feras capiat. Quando vero de jure occupandi disponit Gens, prudentia jubet, ut attendatur, quid maxime e re civitatis sit.

§. 281.

Si jus occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, sit singulorum, & e re civitatis fuerit, ne sit singulorum; Re- *De vi dominii eminentior*

nentis in jus occupandi singulis competens. *ctor civitatis singulis id auferre potest.* Etenim Rector civitatis dominium eminens habet in rebus subditorum (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiam in jure occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, iisdem competente. Quoniam itaque vi domini eminentis de rebus propriis civium salutis publicæ causa in casu necessitatis disponere potest (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*); vi hujus domin[illegible] quoque ipsis jus occupandi res, quæ in nullius adhuc dominium venerunt, auferre potest, si e re civitatis sit, ut non maneat singulorum.

Istiusmodi casus necessitatis est, si singuli jus istud in abusum trahant, ut ipsis magis noxium sit, quam utile, ac manifestum damnum ex promiscuo ejus usu in Remp. redundet: id quod non uno modo fieri posse, haud difficulter intelligitur. Prævalet tum omnino salus publica, suprema civitatis lex (§. 86. *part. 4. Jur. nat.*), & dominio eminenti locum facit (§. 110. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 282.

An liceat Gentem ex regione, quam incolit, expellere. *Genti nulli competit jus alteram ex regione, quam incolit, expellendi, ut sedem ibidem figat.* Gens enim, quæ regionem incolit, non modo dominium in terris & rebus, quæ in illa sunt (§. 274.), verum etiam imperium habet (§. 85.). Quodsi ergo ex regione, quam incolit, expellitur, jus suum eidem a[illegible]fertur. Quamobrem cum Gens nulla alteri jus suum auferre debeat (§. 264. *h.* & §. 722. *part. 1. Jur. nat.*); nulli quoque competit jus alteram ex regione, quam incolit, expellendi, ut sedem ibidem figat (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Non est, quod excipias, id tum esse licitum, si Gens, quæ expellitur, antea idem fecerit. Tum enim perinde est, ac si

rem

rem furtivam aut raptam possessori aut quasi eripere velles eo animo, ut sit tua. Nemo autem est, qui nesciat, hoc modo dominium in eo acquiri minime posse. Nec factum illicitum alterius factum tuum licitum efficit, veluti jure talionis, cui tamen, si vel maxime jus talionis admittatur, in præsenti locus non est. Notandum vero hic est, quamvis imperium proprie loquendo sit jus in actiones hominum competens (§. 194. *part.* 7. *Jur. nat.*); idem tamen referri ad loca, in quibus commorantur homines, qui imperio subjecti sunt. Quodsi ergo vel maxime consociatio Gentis non tollatur, quando expellitur, id quod tamen fieri necesse est, si regionem vacuam invenire non possit, quam occupet; aufertur tamen eidem etiam quoad imperium jus idem exercendi in iis locis, ex quibus expellitur. Nihil itaque in demonstratione infertur, quod inferri non poterat, qualemcunque tandem casum fingas. Lex naturæ non minus jura Gentium, consequenter etiam earum dominium & imperium tuetur, quam singulorum (§. 3.). Quemadmodum privatorum quilibet sorte sua contentus esse debet, nec inhiare alienis, quia hæc suis meliora; ita quoque Gens quælibet sede sua contenta esse debet, nec ideo sedibus suis exuere aliam, quod ea sit melior. E diametro hoc adversum est justitiæ, quæ cuique jus suum tribui vult (§. 926. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter fieri vetat, quod salvo jure alterius fieri nequit (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 283.

An liceat fines imperii propagare.

Nulli Genti competit jus fines imperii propagandi. Etenim quæ imperii fines propagat, idem extendit ultra limites in loca Gentis vicinæ. Quamobrem cum Gens vicina in iisdem dominium & imperium habeat (§. 274. 85.); eodem prorsus, quo ante (§. 282.), modo patet, nulli Genti competere jus fines imperii propagandi.

Casus præsens spectari potest tanquam sub præcedente comprehensus, quamvis aliqua dissimilitudo intercedat, quatenus

qui loca, ad quæ extenditur imperium, incolunt, sede sua non expelluntur. Quamvis enim his non auferatur dominium privatum in fundis, aufertur tamen dominium, quod in illa terrarum parte Genti competit. Valet hic idem jus, quod obtinet inter possessores fundorum vicinorum.

§. 284.

De limitibus territoriorum definiendis.

Quoniam nulli Genti competit jus fines imperii propagandi (§. 283.), seu ultra limites regionis imperium suum extendendi, consequenter necesse est, ut limites hi sint certi; *limites regionum, aut, si mavis, territoriorum* (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*), *sunt definiendi inter Gentes vicinas.*

Ita præscinduntur lites, quæ inter Gentes vicinas oriri possunt. Ceterum quando de non propagandis finibus imperii hic agitur, nemo non videt, nobis jam non esse sermonem de iis casibus, in quibus justa quadam de causa alteri eripitur, quod suum est. De hoc demum agendum erit, ubi jus belli demonstraturi sumus.

§. 285.

De concordia Gentium.

Gentes inter se concordes esse debent. Sunt enim membra civitatis maximæ, in quam coivisse intelliguntur (§. 9. 10.), consequenter spectandæ tanquam cives (§. 6. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum cives inter se concordes esse debeant (§. 1083. *part. 8. Jur. nat.*); Gentes quoque inter se concordes esse debent.

Gentibus nihil magis utile concordia; raram tamen eandem esse satis exploratum est.

§. 286.

§. 286.

Quoniam Gentes inter se concordes esse debent (§. 285.); *omni studio ea vitare tenentur, quæ discordiis locum faciunt, aut iis fovendis inserviunt* (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). *De discordiis vitandis.*

Urget igitur etiam concordia Gentibus præcepta, ut limites territoriorum inter vicinas determinentur, & qualibet imperium suum intra eos coërceat. Haud exiguum ad felicitatem Gentium vicinarum momentum affert concordia; sicuti ex adverso multorum tædiorum causa est & multum nocumentum affert discordia.

§. 287.

Quoniam Gentes inter se concordes esse debent (§. 285.), concordes autem sunt, quorum eadem voluntas & noluntas (§. 132. *part.* 7. *Jur. nat.*); *Gentium* quoque, *inprimis vicinarum, eadem esse debet voluntas & noluntas: quæ qualis esse debeat, officia eorum* in arterioribus demonstrata *loquuntur.* *In quo concordia Gentium consistat.*

Identitas voluntatis & noluntatis, in qua concordia consistit, suas habet leges, ut sit recta. Non sufficit idem velle ac nolle, cum velle ac nolle quidvis nobis liberum non sit, sed alia velle, alia nolle debeamus. Concordia virtus non est naturaliter præcepta, nisi quatenus voluntas & noluntas legi naturæ, consequenter officiis congruit. Atque hinc etiam dignoscitur, quinam sit discordiarum causa. Nimirum si tu vis, quod velle debes, alter autem non vult; discordiæ causa minime tu es, sed potius alter, qui voluntatem suam ad tuam componere debebat. Quodsi vero uterque vult, quod velle non debebat, contraria tamen voluntate, veluti si uterque sibi mutuo tædia creare intendit; culpa quoque in utroque hæret.

§. 288.

§. 288.

Lex generalis de concordia conservanda.

Quoniam Gentium eadem esse debet voluntas & noluntas, quam officia mutua exigunt (§. 287.); *Quod officiis convenienter Gens quædam sibi fieri vult ab altera, id etiam alteri facere, quod autem fieri non vult, id alteri non facere debet.*

Si Gentes omnes officii partes erga alias explerent, nulla foret discordia, sed constans ac perpetua concordia. Cum lex naturæ, quæ officia Gentium erga se invicem tam positiva, quam negativa, hoc est, tam ea quæ sibi mutuo facere, quam quæ non facere debent, præscribat (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 3. *h.*), eadem autem utilitati Gentium consulat (§. (§. 263. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non datur modus alius, quo concordia facilius conservetur, & ex adverso discordia evitetur, quam si Gens una alteri faciat, quæ sibi fieri non vult, utilitate nimirum movente voluntatem, nocumento autem noluntatem. Ast quoniam utilitas non est ratio sufficiens juris (§. 265. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ne voluntas & noluntas a veri tramite aberret, officiis congrua esse debet. Vide, quomodo alias hæc officia limitaverimus & quæ de iisdem annotavimus (§. 98. 99. *part. 1. Jur. nat.*). Cum nemo velit, rem suam sibi ab altero auferri, aut se quomodocunque in exercitio dominii sui turbari; id non facilius præcavetur, quam si quis habet animum alteri non faciendi, quod sibi fieri non vult. Quoniam itaque in præsenti id agimus, ut dominia & imperia Gentium in tuto collocentur; apprime hic locus fuit, in quo officium præsens inculcaretur & de concordia Gentium, quæ eodem conservatur, ageretur.

§. 289.

Quomodo Gentes extera bona

Respectu Gentium exterarum bona omnia singulorum simul sumta habenda pro bonis Gentis, seu bona civium pro bonis civitatis Gentes enim inter se spectantur tanquam personæ singulares (§. 2.).

(§. 2.). Quamobrem cum omnes conjunctim, qui Gentem faciunt, a Gentibus exteris non spectentur nisi persona una; bona etiam illorum simul sumta aliter spectari nequeunt, quam bona hujus personæ, hoc est, Gentis. Patet itaque respectu Gentium exterarum bona omnia singulorum simul sumta habenda esse pro bonis Gentis, seu, quod perinde est, cum singuli, qui Gentem faciunt, sint membra ejusdem civitatis (§. 4. *part. 1. Jur. nat.*), bona civium respectu Gentium exterarum habenda pro bonis civitatis.

singulorum respicere debeant.

Dominia privata non attenduntur nisi inter privatos: inter Gentes autem de eo quæstio est, quod est Gentis. Ut vero facilius intelligatur, inter Gentes bona civium habenda esse pro bonis civitatis; cogita in civitate dari commnionem bonorum, qualem esse voluit *Campanella* in Rep. Solis. Nemo sane erit, qui dubitet hæc bona, quæ sunt in dominio civium conjunctim sumtorum (§. 129. *part. 1. Jur. nat.*), esse bona civitatis? Nonne autem a voluntate Gentis dependet, utrum communionem bonorum introducere velit in Rep. an vero dominiis privatis locum relinquere? Quoniam itaque Genti nulli competit jus ad aliquem actum, qui ad exercitium imperii alterius Gentis pertinet (§. 255.); nulla quoque attendere debet, quid de dominio rerum constituerit Gens altera in Rep. utrum voluerit, ea esse communia, an vero singulis propria. Quamobrem si vel maxime posterius placuerit, Gentes tamen exteræ bona singulorum aliter spectare nequeunt quam bona Gentis. Quæ vero dicuntur de Gentibus, ea non producenda ad singulos, qui sunt de Gente, ita ut privatus quidam de Gente una spectare possit bona privati cujusdam de Gente alia tanquam bona Gentis hujus: neque enim singuli, qui Gentem faciunt, jus Gentis habent, quippe quod est universorum, vel ejus, in quem id fuit translatum. Utemur autem propositione præsenti in demonstrandis aliis in sequentibus tanquam principio.

§. 290.

De jure ad bona alterius Gentis.

Quoniam respectu Gentium exterarum bona civium habenda sunt pro bonis civitatis (§. 289.); *si Genti cuidam jus est ad bona quædam alterius Gentis, eidem jus est ad bona civis cujusque promiscue intra terminos scilicet debiti.*

Nimirum si jure suo Gens uti velit adversus alteram, non quærit, num sit hujus, vel illius privati, sed num pertineat ad Gentem, ad cujus bona jus quoddam habet. Non tamen propterea plus juris eidem competit ad res civis privatas, quam habet ad bona civitatis aut, si mavis, Gentis alterius. Jus enim hoc æstimandum est ex debito civitatis, seu Gentis alterius. Clariora hæc evadent, ubi in sequentibus ad particularia applicabuntur.

§. 291.

De occupatione terrarum inhabitatarum.

Insulæ in oceano ortæ vel detectæ aliæque terræ dominio & imperio vacuæ, seu inhabitatæ a Gente qualibet occupari & coloniæ in iis condi possunt. Insulæ enim in oceano ortæ vel detectæ, aliæque terræ inhabitatæ, seu dominio & imperio vacuæ, cum nulli adhuc Genti jus proprium ad eas competat, res nullius sunt (§. 6. *part. 2. Jur. nat.)*, consequenter natura adhuc sunt communes omnium hominum (§. 7. *part. 7. Jur. nat.).* Quamobrem cum rerum, quæ sunt in communione primæva, dominium occupando acquiratur (§. 175. *part. 2. Jur. nat.)*, & quando ab ea receditur, sicuti introductis dominiis atque imperiis jam recessum est, jus occupandi omnibus competat, qui re quadam indigent, indifferenter (§. 179. *part. 1. Jur. nat.);* insulæ in oceano ortæ, vel detectæ aliæquæ terræ inhabitatæ, seu dominio & imperio vacuæ a Gente qualibet occupari possunt. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero quoniam occupando acquiritur dominium (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*), & si Gens quædam regionem vacuam occupat, imperium simul occupat (§. 85.); in insula in oceano orta vel detecta aliaque terra dominio & imperio vacua Gens, quæ occupavit, dominium & imperium habet. Quia vero utrumque jus nullius usus est, nisi insula, & terræ occupatæ inhabitentur, quod per se patet; necesse est ut coloniæ in iis condantur. Quamobrem cum Gens quælibet insulam & terras istiusmodi occupare possit, *per demonstrata n. 1* postquam occupavit, colonias quoque ibidem condere potest. *Quod erat alterum.*

Coloniæ Romanis dicebantur urbes minores, ad quas habitandas ex majoribus urbibus mittebantur incolæ. Unde etiam eodem sensu vocabulum trahi potest ad integros districtus terrarum, ad quas habitandas a Gente quadam mittuntur incolæ. Immo parum refert, an qui illuc mittuntur sint incolæ, an peregrini. Quamprimum enim peregrini imperio civili Gentis, a qua mittuntur, se subjiciunt; incolis æquiparantur. Constat olim Romanos hoc modo urbem pauperibus exonerasse, qui censui solvendo non sufficerent, sicque egestati eorundem simul consuluisse, cum iis, qui in novam coloniam deduci volebant, duo, quator, sex aut septem jugera agri, & quandoque plus darent.

§. 292.

An ad territorium Gentis pertineant.

Quoniam Gens quælibet insulas aliasque terras inhabitatas occupare potest (§. 291.), si qua vero Gens regionem quandam occupat, omnis terra & quæ in ea sunt, in dominio ipsius sunt (§. 274.), & imperium in ista terra simul occupatur (§. 85.); *Gens, quæ prior insulam, aut terram inhabitatam occupavit, dominium & imperium in ea habet*, & per consequens *insulæ & terræ inhabitatæ, in quas a Gente occupante*

coloniæ deductæ sunt, territorii illius Gentis accessorium sunt, quantocunque intervallo ab eodem distent, ut ideo perinde sit, ac si eidem essent contermina, aut intra eosdem limites continerentur.

Distantia locorum non attenditur. Territorium enim constituitur per imperium civile (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*). In quibus itaque locis idem imperium civile est, ea ad idem territorium pertinent, seu tanquam partes ejusdem considerantur. Sermo autem hic est de territoriis Gentium. De dominio nullum est dubium, quin haberi possit in rebus quantocunque intervallo a se invicem remotis. Unde terræ, in quibus Gens imperium habet, etsi procul remotæ sint, ad ejus dominium pertinent cum ceteris, & sub communi dominii Gentis nomine comprehenduntur. Absit autem ut existimes, hæc absque ulla utilitate moneri: patebit enim usus in sequentibus, præsertim ubi de belli jure acturi sumus.

§. 293.

De jure extraneis non competente in territorio alieno.

In territorio alieno Gens nulla, nec privatus ullus peregrinus jus quoddam sibi arrogare potest. Etenim territorium, cum in eo imperium habeat (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*), atque dominium Gens, cujus est terra habitata (§. 274.), vel Rector civitatis (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), juri proprio Gentis, vel Rectoris civitatis subbjecta est (§. 34. *part. 8.* & §. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum vi juris proprii excludantur ceteri omnes, quicunque fuerint, jure omni ad jus istud proprium pertinente (§. 119. *part. 2. Jur. nat.*); in alieno quoque territorio Gens nulla, nec privatus peregrinus ullus jus quoddam sibi arrogare potest.

Monuimus jam superius eandem esse vim dominii Gentis, quæ privati (*not.* §. 276.). Quemadmodum itaque privatus pati non tenetur, ut alius quid faciat in fundo suo sine consensu

ſenſu ſuo; ita etiam Gens nulla pati tenetur, ut Gens quædam alia in territorio ſuo quid faciat ſine conſenſu ſuo, conſequenter jus qualecunque in eodem ſibi arroget (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*): id quod eadem facilitate intelligitur de peregrino privato quocunque.

§. 294.

De reo in territorium alienum fugiente.

Quoniam in territorio alieno Gens nulla jus quoddam ſibi arrogare poteſt (§. 293.), *vi armata in territorium alienum ingredi & reum fugientem, vel in eo latitantem inde abſtrahere minime licet.*

Non eſt quod objicias, ex ædibus privatorum ipſis inconſultis reos ibidem latitantes abduci. Ad dominium enim Gentis pertinet, quod vi imperii habet in fundis privatorum. Etenim Genti, & per conſequens ei, qui jus Gentis habet, vel cui idem exercendum demandatum eſt, in fundis privatorum competit omnis uſus, ſine quo imperium civile exerceri nequit, qui vel reſervatus eſt in conceſſione dominiorum privatorum, vel in quem tacite conſenſerunt, qui fundos privatos poſſidentes in civitatem coiverunt.

§. 295.

De ingreſſu in alienum territorium prohibito.

Similiter quia nemo peregrinus jus quoddam ſibi arrogare poteſt in territorio alieno (§. 293.); *contra prohibitionem domini territorii nemini peregrino in idem ingredi licet, ſive ſimpliciter, ſive certi negotii cauſa, prouti tulerit prohibitio.*

Eadem vis eſt dominii Gentis, quæ privati (*not.* §. 276.) Quemadmodum itaque dominus fundi privati prohibere poteſt, ne quis alius in eundem ingrediatur, quod nemo non concedit; ita quoque dominus territorii prohibere poteſt, ne quis peregrinus in id ingrediatur.

§. 296.

De prohibitione ingressus in alienum territorium sub certa pœna.

Quoniam contra prohibitionem domini territorii nemini peregrino in id ingredi licet (§. 295.), prohibitionis vero effectus nulus est, nisi pœnis ad non faciendum obligentur, qui quid facere prohibentur (§. 292. *part. 3. Phil pract. univ.*); *si dominus territorii prohibet, ne quis peregrinus territorium ingrediatur, pœnam in ingredientem decernere, seu sub certa pœna id prohibere potest.*

Ita olim Sinenses, quibus rationes sufficientes erant prohibendi, ne peregrini in territorium suum ingrederentur, pœnam capitalem statuerant in eum, qui ingredi auderet. Facile autem patet prohibitionem notam esse debere iis, qui ingredi prohibentur, una cum pœna, cujus metu deterreri debent, ne ingrediantur. Alias enim ingressum tentantes seu ingredi volentes monendi saltem sunt, ut recedant, & prohibitio cum pœna, quæ eidem adjuncta, patefacienda. Qui contra prohibitionem sibi notam ingredi audet; is sibi imputet, si pœna illi adjecta afficiatur.

§. 297.

De prohibitione sub pœna, ne missionarii accedant.

Quia dominus territorii prohibere potest sub certa pœna, ne quis peregrinus certi negotiii causa in id ingrediatur (§. 295. 296.), missionarii vero idem ingrediuntur religionis suæ incolis persuadendæ causa (*not.* §. 261.); *dominus territorii quin sub certa pœna prohibere possit, ne missionarii in id ingrediantur, dubitandum non est.*

Vidimus jam superius (§. 262.), a voluntate Gentis uniuscujusque pendere, utrum missionarios tolerare velit, an nolit. Quodsi tolerare nolit, prohibere etiam potest, ne territorium suum ingrediantur, idque sub pœna, ne prohibitio effectu suo destituatur: id quod etiam supra jam indicavimus, cum demon-

demonstraremus, missionarios tanquam refractarios puniri posse, si discedere jussi discedere nolint (§. *cit.*). Relegenda hic quoque sunt, quæ ibidem annotavimus.

§. 298.

A domini territorii voluntate unice dependet, sub qua lege accessum peregrinis permittere velit. Per se patet, accessum ad territorium pertinere ad usum loci, in quo imperium civile domino ejus competit. Quoniam itaque dominus de usu rei suæ pro arbitrio suo disponere potest (§. 118. 136. *part. 2. Jur. nat.*); a domini quoque territorii voluntate unice dependet, sub qua lege accessum peregrinis permittere velit.

De accessu peregrinorum ad territorium alienum.

Vix opus est, ut observemus, ne hic committatur quod iniquum est, violanda non esse officia humanitatis. Hoc enim observandum est in omni juris proprii translatione, atque concessione actuum ad id pertinentium: sit ita, quod domino permittendus sit juris sui etiam abusus, quamdiu nil agit contra jus alterius perfectum (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*). Atque hinc facile dijudicatur, num lex, sub qua accessus permittitur, iniqua sit. Si vero vel maxime lex fuerit iniqua, de injuria tamen sibi facta conqueri nequit, qui sub ea lege in territorium alienum ingreditur, cum ab ipsius voluntate dependeat, utrum sub ea lege ingredi velit, an non ingredi, nec contra prohibitionem domini ingredi liceat (§. 295.)

§. 299.

Dominus territorii non permittere intelligitur peregrinis, ut in territorio suo versentur, vel ibidem commorentur, nisi sub hac conditione, ut legibus loci subsint eorum actiones. In territorio enim imperium civile habet (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*) & vi potestatis legislatoriæ, quæ ad idem pertinet (§. 813. *part. 8. Jur. nat.*), leges ferre potest de iis, quæ in territorio suo, aut

Sub qua conditione accessus peregrinis permissus intelligatur.

locis

locis certis ad idem pertinentibus fieri, aut non fieri vult. Quoniam vero contraria voluntas, quæ exceptionem parit, non præsumitur; dominus territorii non præsumitur velle, ut peregrinorum actiones sint a lege exemtæ. Quamobrem peregrinis non permittere intelligitur, ut in territorio suo versentur, vel ibidem commorentur, nisi sub hac conditione, ut legibus loci subsint eorum actiones.

In territorio alieno nullum jus competit Genti cuidam exteræ, seu Rectori alterius civitatis. Quamobrem quando civis tuus in alieno territorio versatur, ibidem juri tuo non subest. Absurdum vero foret, ut tunc liberum ipsi esse deberet facere, quid velit. Quilibet agnoscere tenetur, in hoc loco huic imperium civile competere, consequenter si in eo versari, vel commorari velit, juri quoque ejus se subjicere debet. Non est, quod urgeas leges civiles non obligare nisi membra ejus civitatis, in qua feruntur (§. 967. *part. 8. Jur. nat.*): id enim obtinet, quamdiu quis extra territorium penes Gentem suam est, ubi domino territorii nihil juris in ipsum competit. Accessus vero ad territorium alienum parit jus quoddam in eum, quod alias domino competebat.

§. 300.

Quomodo peregrini in territorio alieno legibus loci subjiciantur.

Quoniam a domini territorii voluntate unice dependet, sub qua lege accessum peregrinis permittere velit (§. 298.), nec is permittere intelligitur, ut peregrini in territorio suo versentur, vel ibidem commorentur, nisi sub hac conditione, ut legibus loci subsint eorum actiones (§. 299.); *Si peregrini ad territorium alienum accedunt, in eoque versantur, vel commorantur, tacite promittere intelliguntur*, consequenter *sese obligant* (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), *quod actiones suas legibus loci subjicere velint*, & per consequens *eadem vis legum in ipsos est, quæ in cives.*

Nihil

Nihil in eo est, de quo Gens aliqua conqueri possit. Jus enim hoc omnium Gentium commune est. Et quemadmodum Gens una vult, ut peregrini subjecti sint legibus suis, quamdiu in territorio suo versantur, vel commorantur; ita etiam velle debet, ut, si subditi sui in Gentis alterius territorio versantur, aut commorantur, iidem legibus ejusdem subjiciantur (§. 288.).

§. 301.

An peregrino in alieno territorio delinquentes ibidem & quomodo puniendi.

Quia actiones peregrinorum, quamdiu in alieno territorio versantur, vel commorantur, subjacent legibus loci, in quo sunt (§. 300.); *si peregrini in territorio alieno delinquunt, juxta leges loci puniendi sunt.*

Non igitur necesse est, ut mittantur ad Gentem suam ab ea puniendi, quamvis non negem, ita conveniri posse inter Gentes vicinas: per pacta enim jura immutari posse, ecquis est qui nesciat? Vix tamen credendum est, ullum prostare istiusmodi conventionis exemplum. Suis enim difficultatibus non caret, si istiusmodi pacto standum esset, quemadmodum utique stari deberet (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*). Hinc si civis tuus furatus est in alieno territorio & ibidem deprehenditur; pati debes, ut e patibulo suspendatur, vel si homicidium commisit, ut decollectur, vel ob minus quoddam delictum mulctetur.

§. 302.

De controversiis peregrinorum in alieno territorio definiendis.

Similiter quia peregrini in territorio alieno legibus loci, in quo versantur, vel commorantur, subjecti sunt (§. 301.); *si inter ipsos & cives, vel duos etiam peregrinos, quædam de jure controversiæ oriantur, eædem a judice loci juxta leges loci sunt definiendæ.*

Nec obstat leges civiles patrias ab iis differre: illis enim in territorio, in quo versantur, locus non est, cum dominus ter-

territorii eas attendere non teneatur, qui in ferendis legibus in territorio suo prorsus independens est a Gente quacunque alia, vel Rectore civitatis cujuscunque alterius, prouti ex superioribus & jure publico universali satis superque constat.

§. 303.

De civibus temporariis.

Peregrini, quamdiu in territorio alieno versantur, aut commorantur, sunt cives temporarii. Quando enim in territorium alienum ingrediuntur, tacite sese obligant, quod actus suos legibus loci subjicere velint & legum in eos eadem vis est, quæ in cives (§. 300.). Cum a Domini territorii voluntate unice dependeat, sub qua lege accessum peregrinis permittere velit (§. 298.); leges quoque ferre potest, quæ solos peregrinos tenent Quamobrem cum leges civiles non obligent nisi membra ejus civitatis, in qua feruntur (§. 967. *part. 8. Jur. nat.*); peregrini, quamdiu in territorio alieno versantur, vel commorantur, spectandi sunt tanquam membra ejus civitatis, cujus est territorium, consequenter cum membra civitatis cives sint (§. 6. *part. 8. Jur. nat.*); peregrini, quamdiu in territorio alieno versantur, aut commorantur, sunt cives temporarii.

Qui in territorio alieno versatur, aut commoratur, cum id fieri nequeat nisi consensu domini territorii (§. 295.), civibus sese associat non quidem perpetuo, sed ad certum saltem tempus. Atque non aliter spectari potest, quam tanquam in civitatem certa lege ad certum tempus receptus (§. 409. *part. 8. Jur. nat.*). Notio igitur civis temporarii, quales peregrinos concipimus, quamdiu in territorio alieno versantur, aut commorantur, nihil absurdi continet & nemo est, qui nesciat, peregrinos quoque in territorio alieno commorantes cives temporarios dici.

§. 304.

§. 304.

Quoniam *peregrini*, quamdiu in territorio alieno versantur, aut commorantur, cives temporarii sunt (§. 303.); *obligentur nonnisi ad ea facienda, & non facienda obligantur, quæ civibus isto tempore sub iisdem circumstantiis facienda, vel non facienda essent, nisi quatenus leges particulares de peregrinis aliud insinuant* (§. 298.). *Ad quænam peregrini in alieno territorio.*

Differunt utique cives temporarii a perpetuis & per consequens differentia hæc attendenda quoque venit in metienda obligatione peregrinorum & metiendo jure domini territorii in peregrinos. E. gr. si isto tempore injuria affecisset civis civem, puniretur (§. 651. *part. 8. Jur. nat.*). Puniri igitur etiam potest peregrinus ob injuriam civi, vel peregrino alteri illatam. Similiter si civis cum cive contraxisset, ad contractum adimplendum cogi a judice posset pars invita (§. 540. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem si peregrinus cum cive, aut peregrino alio contraxit; a judice quoque ad contractum adimplendum pars invita adigi potest. Eodem modo patet, si cives certas merces isto tempore vendentes onera quædam ferre deberent, ea quoque ferenda sunt a peregrinis istiusmodi merces vendituris, nisi peculiares de peregrinis latæ leges contrarium præcipiant. Ast si qua onera, qua civibus imponuntur, nullum respectum habent ad negotium, cujus causa in territorio alieno commorantur, aut versantur peregrini, ea quoque ab ipsis exigi minime possunt. Ita quæ defendendæ civitatis causa imponuntur, peregrinis imponere minime licet. Sicuti in civitate jus Rectoris civitatis metiendum est ex fine, cujus gratia in eandem coiverunt singuli (§. 30. 4. *part. 8. Jur. nat*); ita jus in peregrinos metiendum est ex fine, cujus causa civibus sese ad tempus iidem associarunt. Inter peregrinos & Rectorem civitatis tacitum quoddam pactum intercedit; cujus objectum est id, ob quod peregrinus in territorio ipsius commoratur vel versatur, &, si quæ leges peculiares de peregrinis fuerint latæ, eædem vim conditionum pactio isti adjecta-

jectarum habent. Ad quæ igitur ducit recta istius pacti interpretatio, ad ea cogi potest peregrinus (§. 466. *part. 6. Jur. nat.*). Facile autem patet, ut leges peculiares vim conditionum pacto tacito adjectarum habeant, necesse esse, ut peregrinis in territorium alienum adventantibus notæ sint, ne ignorantia invincibili laborent (§. 28. *part. 1. Phil. pract. univ.*). quæ ipsis imputari nequit (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ab æquitate nimium abhorret, si peregrinus sentiat damnum ex eo, quod nosse minime potuit. Quamobrem si peregrinis permissum esse non debet, ut certas merces ad nundinas apportent, quales vendere alias licuit; curæ omnino habendum est Rectori civitatis, ut tempestive voluntas ipsius iisdem innotescat. Ex iis, quæ diximus, abunde intelligitur, ex fonte, quem aperuimus, multa particularia deduci posse, quæ prolixitatis evitandæ causa jam commemorare minime lubet. Id unice notandum, a civibus temporariis, quos peregrinos in territorio alieno versantes, vel commorantes esse ostendimus (§. 303.), distinguendos esse eos, qui nocendi animo in territorium ingrediuntur. Jus enim in eos nascitur ex jure se adversus injurias extraneorum defendendi, quod ex ipso fine civitatis fluit (§. 12. 13. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 305.

De nexu inter dominium Gentis & imperium.

Dominium Gentis cum imperio connexum est. Etenim in ea regione, quam Gens occupavit, omnis terra & quæ in ea sunt, in dominio Gentis sunt (§. 274.), & quæ in singulos distributa non sunt, in dominio universorum, seu totius Gentis manserunt (§. 87.), in iis tamen dominium eminens retentum (§. 110. 111. *part. 8. Jur. nat.*). Quoniam vero Gens, quando regionem occupat, imperium simul occupat (§. 85.), & dominium eminens tanquam pars potentialis imperii considerandum (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*); ratio, cur imperium in omnibus locis, quæ ad terram a Gente inhabitatam

tatam pertinent, & cur dominium eminens in fundis privatorum habeat, non alia est, quam quod ea omnia sint in Gentis dominio & dominium eminens in fundis privatorum fuerit reservatum (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum inter se connexa sint, quorum unum continet rationem sufficientem coëxistentiæ alterius (§. 10. *Cosmol.*); dominium Gentis cum imperio connexum est.

Datur itaque naturalis nexus dominii Gentis cum imperio, ita ut posito dominio ponatur etiam imperium, sublato autem imperio tollatur etiam dominium. Quodsi enim exteræ cuidam Genti competat imperium e. gr. in viis publicis, Gens regionem inhabitans, in qua sunt viæ publicæ, de iis pro lubitu disponere nequit, consequenter nec dominium in iis habet (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 306.

De translatione dominii Gentis in Rectorem civitatis.

Quoniam dominium Gentis cum imperio connexum (§. 305.); *quando imperium in Rectorem civitatis transfertur, dominium Gentis simul transfertur, & eadem lege translatum intelligitur qua imperium, nisi specialiter quid dictum fuerit.* Hinc porro sequitur, *si imperium saltem sit in usufructu, res quoque, quæ in dominio sunt Gentis, non nisi in usufructu esse, sive fuerint corporales, sive incorporales, & si imperium fuerit in patrimonio ut hæ quoque in eodem sint, & ita porro.*

Leges fundamentales de imperio etiam pertinent ad dominium Gentis. Ex iis igitur & modo habendi imperium definitur jus Rectoris civitatis in rebus, quæ subjacent dominio Gentis, respectu nimirum Gentis istius. Actus quidam ad exercitium hujus dominii spectantes adeo cum actibus ad exercitium imperii pertinentibus cohærent, ut a se invicem separari minime possint: unde nexus imperii & dominii Gentis clarissime in oculos incurrit. E. gr. viæ publicæ sunt in dominio Gentis. Cura autem reficiendarum viarum publicarum & ex-

actio vectigalium pro vectura ad imperium civile pertinet. Leges quoque de viis publicis ferre potest superior quoad actus, qui domini arbitrio subsunt. Immo ex dominio Gentis fluit, quod vi imperii etiam Rectori civitatis competat jus in certos actus ad dominium singulorum spectantes. Trahit imperium istiusmodi actus ad se, quemadmodum vicissim dominium singulorum actus imperii. Atque inde est, quod imperium, quod proprie est jus in personam, aut personarum certas actiones, inhæreat fundis privatorum. Acutiores itaque facile perspicient, quam sit necesse, ut, qui jus publicum universale intimius inspicere voluerit, ad ea, quæ diximus, animum attendere debeat.

§. 307.

Dominus regionis cur dicatur Rector civitatis.

Intelligitur jam, quo sensu Rector civitatis dicatur *Dominus regionis*, idiomate patrio der Landes-Herr, scilicet, quatenus dominium Gentis habet.

Unde cum nomine Rectoris civitatis recte conjungitur a subditis nomen Domini, ita ut e. gr. dicatur Rex & Dominus, etsi non sit dominus fundorum, qui sunt privati juris. Appellatione Regis jam agnoscitur, eidem competere jus determinandi actiones subditorum, prouti e re Reip. ipsi visum fuerit. Quodsi igitur appellatio Domini esse non debeat fine mente sonus, necesse est ut eadem denotetur jus quoddam in res, quæ sunt vel universorum, vel singulorum. Hoc autem jus aliud esse nequit, quam dominium Gentis, cujus quædam pars est dominium eminens, ideo contentum sub imperio, quatenus imperium influit in actus dominii Gentis & jus unum cum altero connexum est. Possent hæc uberius declarari; sed ne simus prolixiores, quam fert instituti ratio, propriæ uniuscujusque meditationi ea relinquimus.

§. 308.

§. 308.

De terra vacua a Gentibus pluribus simul, vel a privato occupata.

Si Gentes duæ, vel plures simul insulam, aut terram aliam vacuam occupent; quælibet earum in ea parte imperium & dominium habebit, quam occupavit: consultius tamen est, ut de divisione inter se conveniant. Immo naturaliter occupare etiam potest privatus, modo sufficiens adsit hominum multitudo, qui imperium ejus subire & sedem ibi figere velint. Quoniam jus occupandi insulam, aut terram aliam vacuam indifferenter omnibus Gentibus competit (§. 291.): si duæ vel plures simul, seu eodem tempore occupent, idem jus habent, nec Gens una alteram in usu juris sui impedire potest. Quamobrem cum Gens insulam occupans dominium in ea & rebus omnibus, quæ in ea sunt, acquirat (§. 274.) & cum ea simul imperium (§. 85.); quælibet Gens dominium & imperium habet in ea insulæ, vel terræ parte, quam occupavit. *Quod erat primum.*

Enimvero cum facile inde oriantur lites, Gentes autem inter se concordes esse debeant (§. 285.); ut de divisione inter se conveniant, consultius est. *Quod erat secundum.*

Denique cum consociatio hominum in civitatem a libera eorundem voluntate dependeat *(§. 3. part. 8. Jur. nat.)*, insula autem & regio vacua occupetur tum quoad dominium, tum quoad imperium, *per demonstrata*, privatus autem destituatur jure occupandi quoad dominium solum (*§. 179. part. 2. Jur. nat.); si quis privatus permovere possit sufficientem hominum multitudinem, qui imperium ejus subire & sedem in terra occupata figere velint, quin eam occupare & dominium ac imperium in ea acquirere possit, dubitandum non est. *Quod erat tertium.*

Ad

Ad conventionem de divisione insulæ aut terræ alterius simul a duabus Gentibus occupatæ neutra cogi potest, etsi eam suadeat concordia. Unde diximus, consultius esse, ut de divisione inter se consentiant, quam ut unaquæque sibi habere velit, quod occupavit. Ista enim conventio quasi transactio quædam est (§. 882. 883. *part. 5. Jur. nat.*), ad quam nemo invitus cogi potest (§.886. *part. 5. Jur. nat.*). Si duo ad rem nullius occupandam concurrunt, Germanis placuit, ut ea utriusque sit pro parte dimidia: hinc in actu occupandi concurrentes dicere solent, Halbpart, quod idem sonat, ac mihi pro parte dimidia. Et constat Atheniensibus eundem fuisse morem. Quamvis vero in occupatione rerum mobilium, vel etiam immobilium in usum privatum æquitati admodum convenire videatur mos iste, in occupatione tamen regionum & insularum vacuarum, qua non solum dominium, verum etiam imperium acquiritur, non idem tuto pronunciatur, cum variæ sese offerre possint circumstantiæ, ob quas divisio in partes inæquales præferenda sit divisioni in æquales, ne dicam quod divisio terrarum in partes æquales non æquiparanda sit divisioni rerum mobilium in tales partes, quæ certo quippe pretio æstimantur, ut unus tantundem accipiat, quantum alter. Jus privati occupandi insulam, vel terras alias non habitatas non minus perspicuum est, modo omnia accurate perpendantur. Cum enim civitates constituantur legi naturæ convenienter (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*); animus civitatem constituendi licitus est. Quoniam vero hoc fieri nequit, nisi prostet terra, in qua habitare potest multitudo hominum in civitatem coëuntium; qui animo constituendi civitatem terram vacuam occupat, eam non occupat, nisi quia eadem indiget. Unde omnino patet, eidem jus occupandi competere (§.178. *part. 2. Jur. nat.*). Quodsi vero sufficientem numerum hominum reperire non possit, qui imperium ejus subire & sedem ibidem figere velint; non minus patet, occupationem temerariam esse (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), quæ nullum juris effectum parere potest (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 309.

§. 309.

An regiones a Gente habitatas occupare liceat, quia incognitæ.

Terras incognitas a Gente habitatas occupare exteris Gentibus non licet. Cum enim Gens, quæ terram inhabitat, eandem occuparit (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*); & terra in dominio ipsius est (§. 274.) & imperium in ea res ipsius propria (§. 85. *h.* & §. 34. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemini rem suam auferre liceat (§. 519. *part. 2. Jur. nat.*); nec dominium & imperium Genti, quod habet in terra, quam inhabitat, auferre licet. Quoniam itaque hoc facit, qui terram antea sibi incognitam, sed a Gente habitatam occupat (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*); terras incognitas a Gente habitatas occupare exteris Gentibus non licet.

Repugnat ipsa notio occupationis, quæ supponit rem occupabilem esse nullius (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*), nec ignorantia jus dare potest ad id, ad quod alias tibi jus nullum competit. Pone tibi non constare, alicubi degere Sempronium opibus abundantem. Ecquis affirmare ausit, tibi esse jus opes suas Sempronio eripiendi? Nonne vero Gentes eodem jure naturali inter se utuntur, quo privati (§. 3.)? Notandum vero, nos vocabulum Gentis sumere in significatu fixo, quem eidem tribuimus, quatenus scilicet denotat multitudinem hominum, qui in societatem civilem coiverunt (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*), ut adeo Gens nulla concipi possit sine imperio civili (§. 31. *part. 8. Jur. nat.*). Cœtus enim hominum in certis terris cohabitantium, sed imperio civili carentium Gentes non sunt, nisi quod per inconstantiam loquendi abusive ita dicantur. Distingvendæ utique sunt familiæ segreges in eadem terra habitantes a Gentibus, nec ad eas applicari possunt quæ de Gentium jure & officiis demonstrantur. Quodsi cupido habendi mentem obnubilet, quo minus veritatem propositionis præsentis perspicere possis, ad animum revoca id, quod supra demonstravimus (§. 288.), Gentem nullam alteri face-

re debere, quod sibi fieri non vult. Sane si Genti uni licet occupare terras ab alia Gente occupatas, quia eidem hactenus incognitæ fuerunt; ex eadem ratione licebit etiam Genti huic terras Gentis illius occupare, vel alteri cuicunque exteræ. Quoniam vero eidem jus tale non concedet, ecqua, quæso, ratio est, cur sibi hoc jus competere debeat, cum Gentium omnium natura eadem sint jura eædemque obligationes (§. 17.)? Absurdum itaque est fingere jus terras a Gente inhabitatas occupandi ea solummodo de causa, quod tibi hactenus fuerint incognitæ, id quod idem omnino est, ac res, quæ nobis incognitæ sunt, licet sint in dominio alicujus, propterea pro rebus nullius habere, quod ignoremus, eas in rerum natura existere.

§. 310.

De familiis segregibus in regione quadam cohabitantibus.

Si familiæ segreges in regione quadam cohabitant & fundos privatos possident; in iis dominium habent, sed loca cetera sunt res nullius, seu in communione primæva adhuc relictæ. Quodsi vero familiæ istæ sedem fixam non habeant, sed per incultas solitudines errent; fundi, qui ipsorum usui inservire possunt, sunt in communione mixta, ceteris in primæva manentibus. Quodsi enim familiæ segreges sedes fixerunt sibi in regione quadam, fundos, quos possident, ab initio omnino occuparunt (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*), ac per consequens dominium in ipsis acquisiverunt (§. 175. *part. 2. Jur. nat.*), quod postea transiit in posteros. Fundi igitur privati, quos possident, sunt in dominio ipsarum. *Quod erat primum.*

Enimvero cum natura res omnes sint communes, quælibet vero earum nullius (§. 7. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter in communione primæva existant (§. 9. *part. 2. Jur. nat.*), modus vero originarius acquirendi dominium occupatio sit (§. 178. *part. 2. Jur. nat.*); quæ a familiis istis occupata

ta non ſunt, ea in communione primæva adhuc relicta ſunt, ſeu adhuc nullius ſunt. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi familiæ ſedem fixam non habeant, ſed per incultas ſolitudines errent; in id tamen tacite conſenſiſſe intelliguntur, ut fundi in ea regione, in qua ſedes pro lubitu mutant, uſui ſingulorum inſervientes ſint communes, & quin is ipſis ſit animus, ne ab exteris uſu iſto priventur, dubitandum non eſt. Quamobrem regionem iſtam quoad fundos uſui ipſorum inſervientes occupaſſe (§. 174. *part. 2. Jur. nat.*), ac per conſequens conjunctim in iis dominium acquiſiviſſe cenſentur (§. 175. *part. 2. Jur. nat.*), ita ut omnibus nonniſi indifferenter competat eorundem uſus. Fundi igitur iſti in communione mixta ſunt (§. 129. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Quod vero cetera loca præter hoſce fundos in communione primæva manſerint, eodem prorſus modo patet, quo idem in caſu priore *n.2.* demonſtravimus. *Quod erat quartum.*

Uſus cauſa res occupantur. Unde dominio ſingulari a familiis ſegregibus non ſubjiciuntur niſi res, quarum uſus omnibus promiſcue quovis tempore patere nequit: quæ vero uſum iſtiusmodi habere poſſunt, immo neceſſario habere debent vi communionis primævæ, juris omnibus æque competentis, non modo fruſtra, ſed etiam non ſine injuria in dominium ſingulare deducerentur, immo ceteri, qui hoc uſu indigent, id minime paterentur. Occupatio autem per univerſitatem facta non concipi poteſt in familiis ſegregibus, quos ſola cohabitatio in eadem regione nullo modo unit. Quodſi vero familiæ ſegreges Scytharum more per incultas ſolitudines paſcendi potiſſimum pecoris, aut alterius cujusdam uſus cauſa errare ſoleant; animus errandi, qui uſu illo intento regitur, occupationem fundorum uſui ſuo inſervientium ſufficienter

prodit, utut sedem in iis non fixerint stabilem. Nihil igitur magis naturale est, quam ut in iis concipiatur communio mixta familiarum segregum. Immo ponamus exteras familias istorum fundorum aliquas dominio singulari subjicere velle; dubitandum non est fore, ut familiæ segreges hinc inde errantes resistant, sicque sufficienter prodant animum fundos istos sibi communes habendi cum exclusione exterorum. Propositio itaque præsens principiis Juris naturæ apprime convenit, modo singula rite trutinari noveris.

§. 311.

De occupatione fundorum vacuorum in regione, in qua familiæ segreges proprios possident.

Quoniam familiæ segreges in regione quadam cohabitantes fundos in dominio habent, quos occuparunt, loca vero cetera res nullius sunt (§. 310.); *si in terra, in qua familiæ segreges fundos proprios habent, adhuc sunt fundi alii, quorum usus privatus seu singularis esse potest, iidem a quocunque occupari possunt* (§. 173. *part. 2. Jur. nat.*).

Nullius hic in occupando jus violatur, consequenter occupatio fit sine ullius injuria (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), quin potius occupans suo jure utitur (§. 179. *part. 2. Jur. nat.*), eodem scilicet, quo familiæ segreges ibidem habitantes usi sunt, cum fundos dominio suo subjicerent. Cumque Gens proprie loquendo non sit hominum multitudo, qui sine imperio civili vivunt (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*); nullus quoque, qui in regionem istam venit, proprie loquendo peregrinus dici potest (§. 7. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter quæ de peregrinis in regionem aliquam adventantibus demonstrantur, ad eos applicari minime possunt. Terra omnis unicuique patet, quamdiu a nemine imperium in ea occupatum, & unusquisque occupare potest, quæ sunt in ea dominio vacua, qui iisdem indiget.

§. 312.

De familiis segregibus hinc inde errantibus.

Quoniam *fundi usui privato*, seu singulorum *inservientes in ea regione, in qua familiæ segreges hinc inde errant*, in communione mixta earundem sunt (§. 310.), & per consequens qui in numero istarum familiarum non sunt, dominio, quæ illæ in fundis istis habent, excluduntur (§. 130. *part. 2. Jur. nat.*); fundi isti *a nullo adventante in regionem a familiis hisce habitatam occupari possunt, etiamsi in præsenti actu iisdem non utantur, qui regionem incolunt.*

Non usu non amittitur dominium. Et si familiæ segreges per loca inculta errent, usum fundorum nonnisi alternis vicibus intendunt: id quod facile patet, modo animum ad rationem attendas, quæ eas ad errandum per loca inculta permovet.

§. 313.

An familiæ segreges imperio civili subjici possint.

In utraque hypothesi nemini competit jus imperio civili subjiciendi familias segreges. Natura homines omnes liberi sunt (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), nec introductione dominiorum status libertatis tollitur (§. 147. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus connatum nemini hominum auferri possit (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*), auferatur vero saltem ex parte, si qui contra voluntatem suam imperio civili subjiciantur (§. 152. *part. 1.* & §. 28. *part. 8. Jur. nat.*); in utraque hypothesi nemini competit jus imperio civili subjiciendi familias segreges in regione quadam habitantes, vel commorantes.

Non est quod objicias, si familiæ segreges in civitatem redigantur, eas fieri cultiores & saluti ipsarum magis prospici, quam si sine imperio civili cohabitant. Quamobrem officiis erga alios maxime convenire, ut imperio subjiciantur civili. Hinc enim nullum jus nascitur libertate sua naturali contra volunta-

tem suam alterum privandi, vel eam in commodum vel maxime ipsius restringendi, quantum finis civitatis exigit: nullum enim tibi competit jus cogendi alterum, ut, ubi perfectionem ejus promovere vis, id a te fieri patiatur (§. 666. *part. 1. Jur. nat.*). Nec est, quod porro urgeas, si terræ non maneant incultæ, Gentium exterarum commoda promoveri posse, quibus carere coguntur nullo commodo illorum hominum, qui sine imperio civili illas occuparunt quoad fundos usui suo inservientes: neque enim jus tibi nascitur ad id, quod alterius est, quia is re sua non ita utitur fruitur, quemadmodum poterat, si vel maxime tibi prodesset, si aliter uteretur frueretur. Quod vero de singulis nemo non admittit, id etiam de integris familiis segregibus sine imperio civili in regione aliqua degentibus admitere tenetur. Et quomodo quæso ostendas, tui vel alterius Gentis commodi causa familias invitas imperio subjicere licere, cum ex eo, quod tibi utile est, nullum nascatur jus (§. 265. *part. 1. Phil. pract. univ.*)? Sane si hæ rationes valerent, liceret quoque Gentes barbaras & incultas imperio suo subjicere, ut quod ipsis melius est subirent. Quamvis enim hic obstare videatur imperium, quod vel Genti, vel Rectori ejus aufertur; non tamen inde nascitur aliqua differentia, quia in casu propositionis præsentis aufertur libertas invitis. Utrobique itaque subjectio injuria non vacat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Ceterum eodem redit, si quis jus inde derivare velit, quod Gentium intersit vicinos habere bene moratos. Quamdiu enim vicini te non lædunt, nec jus quoddam in eos tibi nascitur (§. 252.). Quod vero religionis causa alios imperio suo subjicere non liceat, per ea patet, quæ supra demonstravimus (§. 260. 261.). Quæ enim de Gentibus in causa religionis demonstrata sunt, facile quoque ad familias segreges regionem quandam inhabitantes applicantur. Aliud vero est, si iis persuadeas, ut imperium civile subeant. Tum enim civitas constituitur pacto, quæ origo civitatum est (§. 3. *part 8. Jur. nat.*) & fons imperii civilis (§. 31. 32. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 314.

§. 314.

De læsionibus privatis civium diversarum Gentium.

Si civis Gentis unius civem Gentis alterius lædit proprio ausu, aut quomodocunque eidem injuriam facit; id Genti imputari nequit, nisi factum lædentis, aut injuriam inferentis ratihabeat, vel approbet Rector civitatis. Etenim quod civis proprio ausu facit respectu Gentis, cujus civis est, factum alienum est, propterea quod civis unus & Gens universa non sunt una eademque persona: quod per se patet. Quamobrem cum factum alienum nemini imputari possit, nisi quatenus idem a voluntate sua dependet (§. 650. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si civis Gentis unius civem Gentis alterius proprio ausu lædit, aut quomodocunque eidem injuriam facit, id Genti imputari nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam factum alienum imputatur approbanti (§. 673. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si Rector civitatis factum lædentis, vel injuriam inferentis ratihabet, id ipsum quoque eidem imputatur, consequenter cum is Gentem suam, quando cum aliis ipsi negotium, repræsentet (§. 39.), ipsi etiam Genti. *Quod erat alterum.*

In Jure Gentium plurimum refert, ut læsiones privatorum non confundantur cum læsionibus Gentium. Quamobrem necesse est, ut constet, quandonam Gens læsisse putanda sit civem Gentis alterius, aut si mavis, subditum alienum, ubi privatus quidam injuriam intulit. Nascuntur enim ex maleficio jura adversus lædentem, de quibus statui nequit, nisi certo constet, quinam pro lædente habendus.

§. 315.

Quando ob læsionem istam dici

Quoniam *si civis Gentis unius civem Gentis alterius proprio ausu lædit, aut quomodocunque eidem injuriam facit*, id Genti impu-

nequeat Gens alteram læsisse. imputari nequit (§. 314.); *Gens illa hanc læsisse, aut injuria affecisse dici nequit.*

Actus civis privati non sunt actus Gentis, cui subditus est, cum non fiant tanquam a subdito, seu quatenus subditus est. Nullum igitur respectum ad civitatem habent, cujus agens est membrum. Aliter sese res habet, si faciat jussu Rectoris civitatis, cui tanquam superiori obedit.

§. 316.

Quando dicenda sit. Ex adverso quia Genti imputatur factum, quo civis Gentis alterius civem læsit, vel injuriam eidem intulit, si ratihabet, vel approbat Rector civitatis (§. 314.); *si Rector civitatis, cujus membrum est pars lædens, factum lædentis aut injuriam inferentis civi alterius Gentis ratihabeat, vel approbet, Gens, de qua est pars lædens, ipsa læsisse aut injuriam intulisse putanda est.*

Nimirum tum Rector civitatis, & per consequens Gens ipsa (§. 39.), concurrit ad factum civis & ita factum, quod antea erat factum hominis privati, abit in factum Gentis. Nimirum ex post facto accedens ratihabitio æquipollet jussui, cum ratihabens, vel approbans etiam jussurus fuisset, si intentio agentis antea ipsi innotuisset, ut adeo quasi perinde sit, ac si Gens ipsa per civem suum fecisset, quod is fecit, & per consequens recte per se idem fecisse putetur.

§. 317.

De non ferendo, ut subditi alienis subditis injuriam faciant. *Rector civitatis ferre non debet, ut quis subditorum civi alterius Gentis damnum det, aut injuriam faciat.* Etenim nemo alteri damnum dare (§. 533. *part. 2. Jur. nat.*), aut injuriam afferre debet (§. 911, *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Rector civitatis vi adigere debeat subditos, ut minimum actus externos ad legem naturæ componant (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*

nat.), consequenter minime ferre, ut actus eidem contrarios edant; ferre etiam non debet, ut quis subditorum civi alterius Gentis damnum det, aut injuriam faciat.

Ne dubium suboriatur, quasi observantia legis naturæ a Rectore civitatis promovenda saltem respiciat cives, minime vero extendenda sit ad peregrinos, quemadmodum ex demonstratione (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*) colligi posse videtur, ac inde quoque inferri, quod imperium civile extendi nequeat ultra eas actiones, quæ ad commune bonum civitatis consequendum pertinent (§. 35. *part. 8. Jur. nat.*); probe notandum est, interesse Gentium, ne Rectores civitatum ferant, ut subditus unius lædat subditos alterius. Quodsi enim istiusmodi læsiones ab utraque parte tolerandæ forent, quemadmodum tolerandæ essent, si Rectori unius civitatis ferre liceret, ut subditi sui alterius subditos impune læderent; nec is tutos suos præstare posset ab injuria aliorum: id quod communi bono civitatis utique adversatur (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*). Accedit, quod Gentes, quatenus in civitatem maximam coivisse intelliguntur, singulæ quoque universis sese obligasse censeantur, quod commune bonum promovere velint (§. 12.). Ecquis vero non videt, ad hanc ipsam obligationem quoque pertinere, ne Rector civitatis ferat, ut subditi sui subditis alienis damnum dent, aut injuriam faciant? Quodsi ergo non satisfacit demonstratio, quam attulimus; ex hoc ipso principio eandem facile aliter adhuc demonstrare datur.

§. 318.

De damno subditis alienis dato reid sarciendo & subdito ob injuriam ali-

Quoniam Rector civitatis ferre non debet, ut quis subditorum civi alterius Gentis, seu subdito alieno damnum det, aut injuriam faciat (§. 317.), qui autem damnum dedit, id resarcire tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), & qui alterum læsit jure punitur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), quique faciunt, quæ in Rep. permittenda non sunt, pœnis coërcendi

enis subditis illatam puniendo.

(§. 647. *part. 8. Jur. nat.*); *si quis subditorum subdito alieno damnum dedit, aut injuriam facit, Rector civitatis in casu priore eum adigere debet, ut damnum datum resarciat, in casu autem posteriore eum punire.*

Si subditus tuus lædatur a subdito alieno, non vis, ut id faciat impune, & si damnum detur, utique vis, ut id resarciatur. Quamobrem nec permittere debes, ut subditus tuus alienum lædat, & ubi dederit damnum, ut resarciatur curandum (§. 288.). Introductione civitatum non tolluntur officia hominum erga se invicem (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); sed id potius agitur, ut omnes eorum partes magis adimpleantur, quam si singuli mansissent sui juris.

§. 319.

De jure in Gentem, cui perpetuus mos est alienos subditos lædendi.

Si Genti cuidam perpetuus fuerit mos alienos subditos pro lubitu lædendi & damnum ipsis dandi; Gentibus ceteris jus est eandem vi adigendi, ut morem mutet. Etenim Gens nulla ferre debet, ut subditi sui alienos subditos pro lubitu lædant iisque damnum dent (§. 317.), quin potius lædentes punire & ut damnum datum resarciatur curare tenetur (§. 318.). Quoniam itaque universis Gentibus competit jus cogendi singulas, si obligationi suæ satisfacere nolint, aut in eo negligentes se præbeant (§. 13.); si Genti cuidam perpetuus fuerit mos alienos subditos pro lubitu lædendi & damnum ipsis dandi, Gentibus ceteris jus est eandem vi adigendi, ut morem mutent.

Constat fuisse & olim, & hodienum quoque adhuc esse Gentes nonnullas, quæ sibi persuadent, quasi in Gentem aliam quidvis impune liceat, veluti ut liceat in territorium alienum irruere, pecudes inde abigere, res quascunque pro lubitu auferre, immo subditos alienos in servitutem abducere. Perversum hunc morem jam supra (*not.* §. 156.), quam alias notavimus (*not.* §. 618. *part. 1. Jur. nat.*). Eum Gentibus ferendum non esse, nemo nega-

negaverit, qui principia Juris naturæ atque Gentium perspecta habet. Immo notioni civitatis maximæ, quæ fundamentum est felicitatis totius generis humani, mos iste e diametro adversatur. Quamobrem si quædam Gentes conjunctis viribus Gentem eundem servantem vi adigant ad eundem immutandum, jure suo hoc faciunt, immo non faciunt, nisi quod officio erga se & Gentes alias convenit.

§. 320.

Gens quælibet alteri jus quoddam in territorio suo constituere potest. Etenim Gens in ea regione, quam occupavit, omnem terram & quæ in ea sunt, in dominio habet (§. 274.) & in fundis privatorum dominium eminens retinet, dum juris singulorum facti sunt (§. 110. 111. *part. 8. Jur. nat.).* Cumque imperium quoque in eadem habeat (§. 85.), consequenter eadem territorium ipsius sit (§. 166. *part. 8. Jur. nat.);* territorium quoque in dominio Gentis, consequenter res ipsius propria est (§. 132. 736. *part. 2. Jur. nat.)*, aut, si mavis, res sua (§. 124. *part. 2. Jur. nat.).* Quoniam itaque quilibet in re sua alteri jus quodcunque constituere potest (§. 982. *part. 3. Jur. nat.)*, quale nimirum voluerit (§. 984. *part. 2. Jur. nat.);* quælibet etiam Gens alteri jus quoddam in territorio suo constituere potest. *De jure Genti alteri in territorio suo constituti.*

Interest haud pro raro Gentis vicinæ, ut jus quoddam ipsi competat in territorio alieno. Quamobrem officiis Gentium erga se invicem convenit, ut una in utilitatem alterius jus quoddam in territorio suo eidem constituat, ut ideo constitutio istiusmodi juris ad abusum dominii Gentium minime sit referenda.

§. 321.

Quoniam *Gens quælibet alteri* jus quoddam in territorio suo constituere potest (§. 320.); eidem *concedere potest jus istiusmodi* *Exempla pis-jurium.*

piscandi in flumine suo, vel etiam in maris parte; quæ in dominio ipsius est, jus fortalitium habendi in solo suo, vel præsidium in certo munimento, jurisdictionem in certis locis intra territorium, vel etiam in certis causis, aut in certas personas, immo certas urbes, aut terræ partes dominio ejus & imperio subjicere valet, & quæcunque alia jura Genti vicinæ, aut exteræ cuicunque utilia concipi possunt.

Quodsi exempla hæc jurium Genti exteræ in territorio suo constitutorum consideres, non amplius dubitabis, interesse Gentium vicinarum, non modo, sed etiam sepositarum, ut ipsis in territorio alieno certa jura constituantur. Quæ vero de juribus istis porro tenenda sunt, patent ex iis, quæ de constitutis juribus in re aliena in genere (c. 6. *part.3. Jur. nat.*), & de servitutibus in specie demonstravimus (c. 6. *part. 5. Jur. nat.*): istiusmodi enim jura pro servitutibus territoriorum haberi, ex servitutis definitione patet (§. 1267. *part. 5. Jur. nat.*). Non igitur opus est, ut ad specialia descendamus.

§. 322.

De modo originario acquirendi istiusmodi jura.

Si qua Gens in regione quadam adhuc vacua certa loca, aut jura quædam occupavit; Gens alia regionem istam postea occupans eadem occupare nequit. Etenim quamdiu regio adhuc vacua est, Genti unicuique occupare licet in eadem, quæ voluerit (§. 291.), & quæ occupavit ipsius sunt (§. 175. 124. *part. 2. Jur. nat.*), ac per consequens jus in iis acquisitum nulla Gens alia ipsi invitæ auferre potest (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quamvis itaque Gens alia regionem adhuc vacuam occupare possit (§. 291.) & dum occupat, dominium in omni terra & omnibus, quæ in ea sunt (§. 274.), una cum imperio acquirat (§. 85.); non tamen occupare potest illa loca, aut etiam jura, quæ ab alia Gente jam antea occupata fuerant.

E. gr.

E. gr. ponamus, Gentem quandam in insula vacua extruxisse fortalitium, aut occupasse jus venandi certas feras; hoc minime obstat, quo minus insula ab alia Gente occupari possit cum quoad dominium, tum quoad imperium. Pati tamen tenetur, ut Gens extera fortalitium habeat in ista insula, vel ut jus venandi certas feras cum exclusione ipsius exerceat. Atque hinc patet, istiusmodi jura, quæ servitutis speciem habent, originarie quoque acquiri posse. Nil vero obstat, quo minus etiam similia jura acquirantur a Gente in ea regione, in qua habitant familiæ segreges fundos privatos possidentes (§. 310.) ut ideo opus non sit idem demum demonstrari.

§. 323.

Quoniam Gens regionem vacuam occupans occupare nequit loca & jura in eadem ab alia Gente jam antea occupata (§. 322.); *Si Gens quædam in regione quadam vacua occupet certa loca & jura, postea vero alia integram regionem, loca ista & jura manent Gentis, quæ prior occupavit, cum quoad dominium, tum quoad imperium, nec quicquam juris in ea competit Genti alteri*, ac per consequens *loca non sunt de territorio Gentis alterius, eadem vero pati tenetur, ut illa intra territorium suum jura sibi competentia pro lubitu exerceat & de iisdem disponat*, cumque jura hæc exercere non possit, nisi in territorium alterius ingrediatur, *liber* quoque *eidem competit ad territorium alienum accessus*, & quia exercitium juris sui prorsus independens est a voluntate domini territorii, *quoad actus ad exercitium juris sui spectantes legibus loci subjectus non est, qui exercet*, cum vero *quoad actus ceteros* aliter spectari non possit quam tanquam peregrinus, qui in territorio alieno versatur, aut comoratur, propterea quod jus ipsius ad eos non extenditur, quoad eosdem *legibus loci subjectus est* (§. 300.), *&, si delinquit, juxta leges loci puniendus* (§. 301.), *si inter ipsum & cives oriatur controversia, a judice loci juxta leges* *De jure inde nascente.*

loci definienda (§.302.), *& eadem quoad facienda & non facienda obligatio ipsum tenet, quæ peregrinos alios* (§. 304.).

Utriusque Gentis jura sarta tecta conservanda sunt. Quamobrem actus ad exercitium juris alicujus requisiti probe discernendi sunt ab aliis, ad quos jus istud non exporrigitur, ne pars una involet in jus alterius, & jura diversa inter se confundantur. Ne tamen facile controversiæ oriantur, concordiæ a Gentibus colendæ (§. 285.) inimicæ; consultius est, ut per pacta ea definiantnr.

§. 324.

An civis maneat, qui in alieno territorio versatur.

Peregrini in territorio alieno versantes, vel commorantes manent cives, seu subditi Gentis suæ. Etenim cum peregrini in territorio alieno versantes, vel commorantes a Gente sua non eo discesserint animo, ut domicilium mutent (§. 137.), quin potius animum redeundi ad Gentem suam habeant; membra quoque civitatis suæ, consequenter cives (§. 6. *part. 8. Jur. nat.)*, seu subditi Gentis suæ manent.

Aliud omnino est a societate, qualis etiam civitas est (§. 3. *part. 8. Jur. nat.*), discedere, & ipso facto declarare, quod quis societatis illius membrum esse nolit, aliud vero per aliquod tempus abesse a loco, in quo societas sedem suam habet. Absentia a loco domicilii neminem privare potest jure, quod in eodem habet, nec liberare ab obligatione, qua ibibidem tenetur. Nec obstat, quod peregrinus, quamdiu in territorio alieno versatur, aut commoratur, sit civis temporarius (§. 303.); obligatio enim, qua tanquam civis temporarius tenetur in territorio alieno, ad certas saltem actiones ad certum tempus restringitur, quæ obligationi, qua quis Genti suæ tanquam civis tenetur & juri quod apud eandem ipsi competit, nihil detrahit. E. gr. ponamus in Rep. recepti moris esse, ut suo ordine ad certam dignitatem cives quidam ascen-

ascendant. Quodsi absentem ordo tangat, absentia minime obstat, quo minus ejus compos fiat, si vel maxime tunc temporis in alieno territorio commoretur. Similiter si quis moritur, cui secundum leges loci hæres existit; propterea quod in territorio alieno versatur ibidemque tanquam civis temporarius consideratur, hæreditatem non amittit. Similiter ponamus capitationem constitui; tributum in caput suum constitutum absens perinde, ac si præsens esset, solvere tenetur, etsi in alieno territorio verseur, aut certi negotii causa ibidem commoretur. Obligatio peregrini in territorio alieno consistit cum obligatione, qua quis tenetur Genti suæ, nec una alteri contradicit, modo intime utramque perspicias.

§. 325.

De obligatione & jure civium, qui tanquam peregrini in alieno territorio commorantur.

Quoniam peregrini in territorio alieno versantes vel commorantes cives, seu subditi Gentis suæ manent (§. 324.); *obligatio, qua tenentur Genti suæ non tollitur, nec jure, quo apud eandem fruuntur, privantur cives, seu subditi, propterea quod per aliquod tempus in territorio alieno versantur, aut negotii cujusdam causa in eodem commorantur*, ac per consequens *si in territorio alieno civis concivem lædit, & lædens ad suos redit, ibidem secundum leges loci puniri potest, & ad damnum resarciendum adigi.*

Equidem quæ in corollario præsenti dicuntur, jam satis patent per ea, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 324.); non tamen inconsultum duximus, ut id in numerum propositionum referatur. Exemplum puniendi eum, qui concivem in territorio alieno læsit, tale esto. Ponamus civem concivem suum in territorio alieno interfecisse, & fuga sibi consuluisse, ne ibidem puniri posset. Quodsi in patriam redeat, quin puniri possit ob homicidium perpetratum, dubitandum non est. Aliter vero sese res habet, si in loco delicti a pœna ordinaria absolutus in patriam redit: neque enim ob idem delictum bis puniri quis potest, & quælibet Gens jurisdictionem alte-

alterius in territorio suo agnoscere tenetur, consequenter in sententia, quam jure suo usa tulit, acquiescere. Quoniam enim Gens sine imperio civili non concipitur (*not.* §. 309.); si Gens una jurisdictionem alterius in terriorio suo agnoscere nollet, id perinde esset, ac si eam pro Gente nollet habere: id quod utique existimationi, quam Gens una alteri debet (§. 186.), e diametro adversatur (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 326.

De testamento in alieno territorio facto.

Quoniam peregrinus *in territorio alieno versans* adhuc manet civis Gentis suæ (§. 324.), consequenter actus ejus, qui ad territorium alienum nullum respectum habent, legibus patriis subsunt; *si testamentum condit, id secundum leges in loco domicilii præscriptas facere tenetur, nec aliter validum esse potest.* Quatenus tamen Gens una jurisdictionem alterius agnoscere tenetur (*not.* §. 325.); *testamentum valet ut judiciale, si in loco judicii ibi, ubi factum, fuerit depositum.*

Ita testari nequit sine solemnitatibus, quas leges patriæ requirunt ad validitatem testamenti, si vel maxime eædem non requirantur juxta leges loci, in quo id conditur, nec portio statutaria viduæ diminui potest, etiamsi leges istius loci aliter eandem definiant. Valere testamentum debet in loco domicilii. Quamobrem rationi nihil magis consentaneum, quam ut de valore ejus statuatur secundum leges hujus loci.

§. 327.

De bonis peregrini in alieno territorio mortui.

Si peregrinus moritur in territorio alieno, naturaliter bona, quæ ibidem habet, sunt ejus, qui ipsi in patria hæres existit; non vero fisco cedunt, nec testamenti factio eidem adimi potest. Etenim si peregrinus in territorio alieno versatur, aut commoratur, civis manet Gentis suæ (§. 324.), consequenter hæres ipsi existit,

existit, qui secundum leges loci, in quo domicilium habet, vel ab intestato succedit, vel quem in testamento legitime facto (§. 326. 332.) hæredem instituit. Quoniam itaque Rectori civitatis in peregrinum, qui in territorio suo versatur, vel commoratur nonnisi jus in eas actiones competit, quæ respectum quendam ad finem civitatis habent (§. 299. 304. *h.* & §. 35. *part. 8. Jur. nat.*); rerum quoque suarum dominus est, quæ secum habet, vel ibidem possidet, eaque spectantur tanquam bona ad Gentem exteram pertinentia (§. 289.). Quamobrem quia cum bonis ceteris, quæ in loco domicilii habet, vel in terra patria, in eundem censum veniunt; si in territorio alieno moritur, naturaliter bona, quæ ibidem habet, sunt ejus, qui ipsi in patria hæres existit. *Quod erat unum.*

Cum bona, quæ peregrinus in territorio alieno moriens habet, sint ejus, qui ipsi in patria hæres existit, *per demonstrata n. 1.* quod naturaliter fisco cedere nequeant, in aprico est. *Quod erat secundum.*

Quoniam denique peregrinus, qui in territorio alieno, seu Gentis exteræ versatur aut commoratur, rerum suarum dominus est, quas ibidem habet, vel possidet, *per demonstrata n. 1.* nec ea, si moritur, fisco cedere naturaliter possunt, *per demonstrata n. 2.* domino autem naturaliter testamentum facere licet (§. 999. *part. 7. Jur. nat.*); peregrino in territorio alieno versanti, aut commoranti quoad bona, quæ ibidem habet, vel possidet, testamenti factio naturaliter adimi nequit. *Quod erat tertium.*

Si vel maxime peregrinum in territorio alieno, seu exteræ cujusdam Gentis versantem, aut commorantem consideres tanquam civem temporarium (§. 303.); non tamen inde in-

ferre licet, quod bona ejus post mortem habenda sint pro rebus nullius, quæ jure occupationis in Rectorem civitatis translato fisco cedunt. Neque enim civi testamenti factio ademta, consequenter nulla ratio est, cur ea adimi debeat ei, qui ad tempus civi æquiparatur. Contrarium itaque potius inde infertur. Tenendum præterea, testamenti factionem esse jus homini naturaliter competens (§. 999. *part. 7. Jur. nat.*), quod ipsi propterea ademtum minime intelligitur, quod per aliquod tempus in territorio Gentis cujusdam exteræ versatur, aut commoratur. Non urgemus officia alia Gentium erga se invicem, quibus minime convenit, ut bona peregrini in territorio alieno mortui fisco cedant.

§. 328.

Jus albinagii quid sit. *Jus albinagii* dicitur, quo exteri jure successionis in bonis defuncti civis, vel peregrini excluduntur, & per consequens nec in testamento institui possunt hæredes, nec legata iisdem relinqui.

E. gr. Sumamus tibi esse fratrem, qui in Anglia domicilium habet, ibidemque improlem mori. Eidem, si in loco domicilii tui moreretur, ab intestato succederes. Quodsi Angli te excludant tanquam exterum jure successionis; hoc fieri dicitur jure albinagii. Similiter si idem, vel etiam Anglus quidam te institueret hæredem, vel tibi legatum relinqueret; testamentum vero declararetur pro nullo, nec tibi hæreditatem vel etiam legatum capere permitteretur; jure albinagii hoc itidem fieri diceretur. Constat jus albinagii inter Gentes quasdam etiam cultiores esse receptum. Quamobrem instituti nostri ratio postulat, ut ostendamus, utrum juri naturali conveniat, an vero ab eodem abhorreat.

§. 329.

De successione extero- *In bonis defuncti civis naturaliter succedere possunt exteri tum ab intestato, tum si hæredes in testamento instituantur, immo ipsis*

quo-

rum in bonis defuncti civis & legato exteris relicto.

quoque legata relinqui possunt. Cum jure naturali testamentum facere liceat (§. 999. *part. 7. Jur. nat.)*, naturaliter succedit in bonis defuncti, qui hæres institutus est (§. 994. *part. 7. Jur. nat.)*; vel testamento non facto ab intestato succedit (§. 1021. *part. 7. Jur. nat.)*, veluti liberi (§. 975. *part. 7. Jur. nat.)*, aut, si nulli fuerint ascendentes, vel descendentes in vivis, certo ordine, qui sunt in familia patris, vel matris, vel parentum superioris gradus (§. 1034. *part. 7. Jur. nat.)*. Successio igitur in bonis defuncti nititur voluntate defuncti expressa (§. 994. *part. 7. Jur. nat.)*, aut præsumta (§. 1031. *part. 7. Jur. nat.)*, consequenter cognatione (§. 562. *part. 7. Jur. nat.)*. Quamobrem cum Rectori civitatis in res civium nonnisi dominium eminens competat (§. 111. *part. 8. Jur. nat.)*, vi cujus de iis in casu necessitatis salutis publicæ causa disponere potetest (§ *cit.*), qualis in præsenti non existit, quod per se patet, & præterea Gens una alteri (§. 165.), consequenter etiam civibus Gentis alterius officia humanitatis præstare teneatur (§. 654. 655. 620. *part. 1. Jur. nat.)*, ac ideo non impedire, quo minus etiam exterus consequatur, quæ ad vitam commode ac jucunde transigendam faciunt (§. 702. *part. 1. Jur. nat.)*; naturaliter omnino in bonis defuncti civis succedere possunt exteri tum ab intestato, tum si hæredes in testamento instituantur. *Quod erat unum.*

Quoniam legata legi naturæ convenienter relinquuntur (§. 1004. *part. 7. Jur. nat.)*, sunt vero donationes rei cujusdam, vel etiam certæ pecunæ summæ ultima voluntate factæ (§. 1003. *part. 7. Jur. nat.)*, consequenter perinde est, ac si legatarius in parte quadam bonorum succederet defuncto, in bonis autem defuncti civis naturaliter succedere etiam possunt exteri *per demonstrata n. 1.* iisdem quoque legata relinqui possunt. *Quod erat alterum.*

Dominium est jus nobis in rebus competens (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), imperium vero est jus in actiones hominis vi pacti competens universis (§. 3. 31. *part. 8. Jur. nat.*), quatenus ad commune civitatis bonum consequendum diriguntur (§. 35. *part. 8. Jur. nat.*). Dominium natura prius concipitur imperio, quod illius tuendi causa introductum (§. 1. *part. 8. Jur. nat.*), atque ideo per se ab imperio prorsus independens est. Etsi itaque introductis dominiis imperium accedere concipiatur, jura tamen ex dominio descendentia intacta manent, & in actus domini vim suam illud non exerit, nisi quatenus iidem bono publico adversantur, aut sine iis id promoveri nequit. Neque imperium tollit officia hominum erga se invicem lege naturali praescripta, propter immutabilitatem hujus legis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Homines, cuicunque imperio civili subjecti sunt, manent aeque homines. Quae igitur officiis eorum erga se invicem conveniunt, ea per imperium civile naturaliter non mutantur. Et ea de causa; cum constet, successionem in bonis defuncti rationem sufficientem in dominio & officiis hominum erga se invicem habere, quemadmodum abunde constat ex iis, quae de illa demonstravimus in parte septima Juris naturae, successio in bonis defuncti, quam lex naturae approbat, introductione imperiorum minime tollitur. Quamobrem nihil magis naturale est, quam ut cives diversarum Rerump. sibi invicem succedant eodem modo, quo succederent, si essent concives. Non est, quod objicias, admissa ista successione in bonis defuncti, bona Gentis unius venire ad Gentem alteram, propterea quod respectu Gentium bona singulorum pertineant ad bona Gentis (§. 289.). Quoniam enim Gentes, quatenus in civitatem maximam coivisse intelliguntur, universae singulis sese obligasse censentur, quod ipsarum bono prospicere velint (§. 12.), & jure quoque Gentium necessario Gens una alterius commoda promovere debet, quantum citra neglectum officii erga seipsum fieri potest (§. 156.); pro absurdo id minime habendum, quod bona quaedam Gentis unius ve-

niant

niant ad Gentem alteram. Qui tale quid sibi persuadere possunt, imbutum possidere videntur animum perverso illo errore, quasi imperia civilia amicitiam hominum universalem ad certum numerum restrinxerint, & eos, qui natura amici esse debebant, effecerint inimicos, aut saltem legem charitatis limitent juxta vulgatum illud male intellectum: ordinatam charitatem incipere a seipso, cum eidem nonnisi locus sit, quando collisio officiorum erga se & erga alios exceptionem parit (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 330.

Jus albinagii juri Gentium minime convenit. Jure enim albinagii jure successionis in bonis defuncti civis, vel etiam peregrini in territorio alieno mortui excluduntur exteri, nec in testamento institui possunt hæredes, nec iisdem legata relinqui (§. 328.), ac per consequens si in loco non sit, qui juxta leges istius loci hæres existere potest, bona defuncti tanquam res nullius jure occupationis Rectori civitatis competente fisco cedunt. Enimvero si peregrinus moritur in territorio alieno, naturaliter bona, quæ ibidem habet, sunt ejus, qui ipsi in patria hæres existit, non vero fisco cedunt, nec testamenti factio eidem adimi potest (§. 327.), & in bonis civis naturaliter succedere possunt etiam exteri tum ab intestato, tum si hæredes in testamento instituantur, immo ipsis quoque legata relinqui possunt (§. 329.). Jus igitur albinagii juri Gentium minime convenit. *An jus albinagii sit juris Gentium.*

Ubi igitur jus istiusmodi receptum est, id nonnisi ex instituto venit, & æquitati adversatur (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 156. *b.*). Quamvis enim lex civilis efficiatur ex naturali, quatenus aliquid additur, vel demitur; quod tamen addendum, vel subtrahendum, rationem sufficientem habere debet vel in statu civitatis in genere, vel hujus, in qua fertur,

in specie (§. 991. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem jus albinagii admitti non potest nisi per modum exceptionis in casibus particularibus collisionis officiorum Gentium erga seipsas & erga alias, qui tamen rarissimi sunt & difficilis inter Gentes disquisitionis, ut jure ex notione civitatis maximæ derivando non attendi mereantur (§. 987. *part. 8. Jur. nat.* & §. 22. *b.*).

§. 331.

De bonis immobilibus, quæ peregrinus in alieno territorio possidet.

Si peregrinus in territorio alieno bona immobilia possidet; ea sunt sub jurisdictione loci, in quo jacent, & leges vel statuta quoad illa dominum obligant. Etenim cum dominus territorii imperium habeat in territorio suo (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*); si permittit, ut peregrinus in eodem bona immobilia possideat, non alia lege id permittere intelligitur, quam ut maneant sub jurisdictione loci, in qua jacent, & legibus quoque vel statutis loci eadem afficientibus subjectus sit eorum dominus. Quamobrem cum nisi sub hac lege dominium in iis acquirere potuerit peregrinus (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); eadem quoque sub jurisdictione loci, in quo jacent, sunt & leges vel statuta dominum, perinde ac si esset civis, seu domino territorii subjectus ibidemque domicilium suum haberet, obligant.

E. gr. Si subditus Brunswicensis possidet bona immobilia in Saxonia electorali; eum quoad hæc bona obligant leges Saxonicæ, & statuta, si qua dantur, ejus loci, in qua sita sunt, & quoad eadem jurisdictionem loci agnoscere tenetur. Absurdum utique foret in gratiam exterorum, quibus conceditur, ut bona in territorio suo acquirant, mutari jura, quæ res afficiunt, easque subjici juri alieno: id quod non concipitur sine diminutione imperii civilis, quod Rectori civitatis competit independenter ab omni alia Gente.

§. 332.

§. 332.

Quoniam bona immobilia in territorio alieno a peregrino possessa sunt sub jurisdictione loci, in quo jacent, & leges vel statuta quoad illa dominum obligant (§. 331.), *hæredes ejus, qui bona immobilia in alieno territorio habet, in iis succedere nequeunt, nisi secundum leges loci, in quo jacent, onera, quæ respectum ad ea habent, etiam a domino eorundem ferenda, & actus omnes, qui ad ea quomodocunque referuntur, jurisdictioni loci subsunt.*

De juribus particularibus quoad eadem.

Nimirum eadem respectu istorum bonorum conditio est civis & peregrini. Quicquid igitur valet de cive, idem etiam valet de peregrino. Ita subditus Brunswicensis in bonis immobilibus, quæ in Saxonia sita sunt, succedere non potest, nisi secundum jus Saxonicum, non attenta differentia, si qua datur inter jus Saxonicum & Brunswicense. Hinc contingit, ut, qui excluditur in loco domicilii, succedere tamen possit quoad immobilia in loco rei sitæ. Jura peregrina valere nequeunt in territorio alieno: cum enim potestas legislatoria ad imperium spectet (§. 813. *part. 8. Jur. nat*), id fieri non posset nisi cum diminutione imperii. Ecquis vero sibi persuaserit, facto privato, quo dominium rei immobilis in territorio alieno acquiritur, diminui imperium domini territorii, ita ut pati cogatur in eo, quæ imperio suo adversa sunt? Onera, quæ imponuntur rebus immobilibus, præstantur ab eorum possessoribus, quia possident. Immunitas privilegium est (§. 853. *part. 8. Jur. nat.*), quæ cum concedi nequeat nisi a superiore (§. 855. *part. 8. Jur. nat.*), a cujus voluntate unice dependet, num concedere velit (§. 856. *part. 8. Jur. nat.*), nemini ideo competere potest, quod domicilium alibi, quam in loco rei sitæ habeat. Domicilium possidentis in impositione istiusmodi onerum minime attenditur. Qui rem immobilem acquirit, cui certa onera imposita sunt, vel imponi a superiore possunt; is eam non aliter acquirit quam cum onere suo tam actuali, quam possibili. Immo absurdum omnino foret peregrinos

bona

bona immobilia acquirentes immunes esse ab oneribus, quæ a civibus præstanda essent, si ea possiderent. Onera rebus inhærentia (spectatur vero etiam tanquam onus jus onus rei imponendi) transeunt cum rebus ad quemlibet possessorem. Similiter si contractus emtionis venditionis, vel hypotheca judiciali autoritate confirmari debeat, ut valeat; confirmatio obtineri nequit nisi ab eo, qui jurisdictionem in loco rei sitæ habet, nec actio adversus debitorem morosum, qui hypothecam alteri constituit, alibi quam in foro rei sitæ institui potest, etiamsi is alibi domicilium habeat. Nisi hæc omnia ita se haberent, dominio ac imperio Gentium multis modis præjudicaretur, cum quo contraria consistere minime possunt.

§. 333.

De jure possidendi bona immobilia in territorio alieno.

A voluntate Rectoris civitatis dependet, utrum permittere velit, nec ne, ut peregrini bona immobilia in terris suis possideant. In territorio alieno nemo peregrinus jus quoddam sibi arrogare potest (§. 293.), consequenter nec jus possidendi bona immobilia. Quamobrem jus hoc acquirere nequit, nisi concessione domini territorii, seu Rectoris civitatis. A voluntate igitur Rectoris civitatis dependet, utrum permittere velit, nec ne, ut peregrini bona immobilia in terris suis possideant.

Non obstat, quod naturaliter in bonis civis succedere possint exteri (§. 327.), nec jus albinagii, quo successione excluduntur (§. 328.), conveniat juri Gentium (§. 330.). Quodsi enim contingat, peregrinum jure hæreditario acquirere rem immobilem, cum possidere nequeat, eam vendere tenetur. Neque est, quod existimes prohibitionem, ne quis peregrinus, seu qui alibi locorum domicilium habet, bona immobilia possideat, juri naturali Gentium adversari. Quemadmodum enim a superiore accessus ad territorium suum peregrinis prohiberi potest naturaliter, si e re civitatis sit (§. 295. *h. &*

§. 30.

§. 30. *part 8. Jur. nat.*); ita ex eadem ratione prohibere etiam potest, ne quis peregrinus bona immobilia possideat. Quamvis enim negari nequeat, concessionem possessionis convenire officiis Gentium erga se invicem; si tamen hæc collidantur cum officiis erga seipsas, collisio exceptionem parit. Non desunt rationes a fine civitatis desumtæ, cur possessio sit concedenda, nec desunt rationes, cur subinde non sit concedenda. Sed de iis judicandum est Rectori civitatis & ejus judicio standum, ne libertas naturalis civitatis violetur (§. 50. *part. 8. &* §. 156. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 334.

An jus possidendi certa lege concedi possit.

Quoniam a voluntate Rectoris civitatis dependet, utrum permittere velit, nec ne, ut peregrini in terris suis bona immobilia possideant (§. 333.), a voluntate autem jus aliquod in alium transferentis pendet, quomodo & qua lege id transferre velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); *Rector* quoque *civitatis ferre potest legem, sub qua peregrinis concessa esse debeat immobilium possessio in terris suis.*

E. gr. Imponere potest onus possessori peregrino, a quo sunt immunes cives sui, & ex adverso concedere quoque potest certas immunitates aut jura alia, quibus cives non fruuntur, prouti e re civitatis seu Reip. esse existimaverit. Rationes alterutrum suadentes ad prudentiam civilem pertinent: hic loci vero saltem agitur de Jure, & rationes æquitatis discutiuntur, quæ stricto juri seu externo haud raro contrariantur, quatenus scilicet permittendus quoque est domino juris sui abusus, ne libertas naturalis violetur. Sæpius enim jam monuimus, rationes illas attendendas esse in juris sui usu, ut eodem cum sensu officii utamur.

§. 335.

An non concedi nisi certæ religioni addictis.

Cum *Rector civitatis* ferre possit legem, sub qua peregrinis concessa esse debeat immobilium possessio (§. 334.); *prohibere* quoque *potest, ne qui alii religioni addictus est, quam quæ in terris suis recepta, bona immobilia possideat*, consequenter *si peregrinus alii religioni fuerit addictus, is arcetur non qua peregrinus, sed quatenus religioni alii addictus est.*

Ita in Saxonia electorali prohibitum, ne alius, quam Lutheranus immobilia possidere queat. Quamobrem si peregrinus, seu in alio territorio domicilium habens, prædium emat, contractus non confirmatur, nisi ante probaverit, se Lutheranorum sacris addictum esse. Nec obstat legi istiusmodi, si ab sacris hisce alieni tolerentur, immo etiam si exercitium religionis ipsis permittatur. Domicilium enim habere in aliquo loco & frui exercitio religionis atque possidere bona immobilia a se invicem minime dependent, nec desunt rationes fini civitatis convenientes, ob quas illud concedatur, etiamsi hoc non permittatur,

§. 336.

De contrahendis matrimoniis apud Gentes vicinas.

Naturaliter peregrinis permissum est matrimonia ambire & contrahere apud vicinas Gentes, nisi e re civitatis fuerit, ut a Gente quadam id non permittatur. Etenim per se patet, naturaliter liberum unicuique esse, cum qua fœmina matrimonium contrahere velit. Enimvero quando in civitatem coëunt homines, universis competit imperium in singulos (§. 31. *part. 8. Jur. nat.)*, & libertas singulorum restringitur quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt (§. 47. *part. 8. Jur. nat.)*. Quamobrem si e re civitatis fuerit, ut a Gente quadam non permittatur peregrinis matrimonia apud se ambire & contrahere; libertatem hanc ipsis per-

permittere non tenetur: si vero libertas ista nihil detrimenmenti afferat Reip. naturaliter quoque eadem minime restringitur. Peregrinis itaque permissum est matrimonia ambire & contrahere apud vicinas Gentes, nisi e re civitatis fuerit, ut a Gente quadam id non permittatur.

In iis, quæ ad Gentes pertinent, rationes naturales desumendæ sunt a fine civitatis, ex quo metiendum est Jus universorum in singulos (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*). Quod itaque naturaliter liberum unicuique est, id naturaliter quoque tale manet in civitate, nisi idem fini ejusdem adversetur. Lex vero naturæ, quæ salutem publicam supremam civitatis legem facit, (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), libertatem quoque naturalem restringit in iis, quæ fini civitatis adversantur, si vel maxime ignorantia, aut negligentia Gentis, seu ejus, qui jus Gentis habet, id permittatur. Deest nimirum Gens officio suo erga seipsam, nec jure suo utitur, quo uti poterat, sicuti ex adverso jure suo abutitur, si finis civitatis minime exigat, ut libertas naturalis restringatur, non tamen permittatur, quod unicuique naturaliter liberum.

§. 337.

Quoniam peregrinis naturaliter permissum est matrimonia ambire & contrahere apud vicinas Gentes, nisi e re civitatis fuerit, ut a Gente quadam id non permittatur (§. 336.), de eo autem statuere ad imperium civile pertinet (§. 60. *part. 8. Jur. nat.*), in cujus actum nullum Genti ulli naturaliter jus aliquod competit (§. 255.); *a voluntate Gentis cujuslibet dependet, utrum peregrinis permittere velit, nec ne, & qua lege permittere velit, ut apud se matrimonia ambiant & contrahant, atque in ea Gentibus ceteris acquiescendum.* *De jure Gentium quoad matrimonia.*

Quodsi juxta Jus naturæ rationes prohibitionis ponderare volueris, ad collisionem officiorum Gentium erga seipsas & er-

ga alias attendendus quoque eſt animus, & excutiendæ inprimis ſunt rationes particulares, ob quas a peregrinis ambiuntur matrimonia. Circumſtantiæ cum in caſibus particularibus admodum varient, multa disquiſitione haud raro opus eſt, ut de actus rectitudine judicium minime fallax feratur.

§. 338.

De jure neceſſitatis Gentium.

Naturaliter Genti exteræ competit aliquod jus in eas res, quæ ſunt in dominio Gentis alterius, ſi in caſu emergente contingat alicui penitus auferri uſum neceſſarium illarum rerum. Dominia enim introducta intelliguntur cum tacita hac reſtrictione, ut, ſi in caſu emergente contingat alicui penitus auferri neceſſarium rerum uſum, eidem jus aliquod competat in eas res, quæ ſunt in dominio (§. 563. *part. 6. Jur. nat.*). Quoniam itaque idem intelligendum eſt de rebus, quæ in dominium Gentium venerunt (§. 3.); naturaliter quoque Genti exteræ competit aliquod jus in eas res, quæ ſunt in dominio Gentis alterius, ſi in caſu emergente contingat ipſi penitus auferri uſum illarum neceſſarium.

Ne jus neceſſitatis Gentium ultra limites ſuos in infinitum extendatur, probe expendenda ſunt, quæ de eodem tradidimus alibi (§ 564. *& ſeqq. part. 6. Jur. nat.*).

§. 339.

Quale ſit jus neceſſitatis Gentium.

Quoniam naturaliter Genti exteræ competit aliquod jus in eas res, quæ ſunt in dominio Gentis alterius, ſi in caſu emergente contingat, ipſi penitus auferri uſum rerum illarum neceſſarium (§. 338.), conſequenter juri huic locum non facit niſi extrema neceſſitas, quæ alio modo evitari nequit, hæc ipſa autem neceſſitas jus petendi in jus cogendi vertit, ut Gens altera faciat, vel det (§. 599. *part. 6. Jur. nat.*);

jus

jus necessitatis Gentium jus perfectum est (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter *vis, quæ adhibetur ad obtinendum, quod petenti denegatur, aut ob periculum præsens peti nequit, sive clandestina, sive aperta, licita est.*

Jus hoc necessitatis in bello haud raro locum habet: sed de eo dispiciendum, ubi de jure belli & in bello agitur. Occurrere tamen quoque possunt casus pacis tempore, quamvis rarius, quorum unum vel alterum in medium afferre lubet in iis, quæ mox sequuntur.

§. 340.

Cum naturaliter Genti exteræ competat aliquod jus in eas res, quæ sunt in dominio Gentis alterius, si in casu emergente contingat ipsi penitus auferri usum rerum istarum necessarium (§. 338.), & hoc jus perfectum sit (§. 339.); *si alterius tanta sit frumenti penuria, ut fame plurimis pereundum sit, nisi a Gente vicina copia frumenti ipsi fiat, hæc ipsa Gens ad frumentum æquo pretio sibi vendendum cogi potest, immo frumentum vi auferre licet, si vendere nolit.* *De jure ad frumentum Gentis vicinæ in casu intolerabilis famis.*

Facile autem patet, extremam necessitatem nondum adesse, quamdiu superior subditis prospicere potest. Ita laudandus omnino est mos Imperatorum Sinarum, qui ex granariis suis subditorum indigentiam sublevant, si qua in provincia fame laborant subditi. Quod enim a Gente sua haberi potest, id ab alia vi extorquere non licet. Poterant hic alia adhuc moneri, sed quæ silentio præteriri & propriæ cujusque meditationi relinqui ratio non una jubet. Quæ vero de frumento demonstrantur, ea facile intellliguntur etiam de rebus aliis cibo inservientibus.

§. 341.

Ex eadem ratione patet, *si virorum populo matrimonia contrahere cum fœminis vicinarum Gentium denegetur*, cum sine *De jure necessitatis ra-*

ptus virginum. matrimonio se conservare nequeat, *necessitatem virginum raptum facere licitum.*

Exemplum habemus in Romanis, qui ab initio erant virorum populus, nec sine raptu virginum se conservare poterant.

§. 342.

De usu navium, plaustrorum, equorum & operarum peregrinorum.

Ex eadem quoque ratione intelligitur, *si qua Gens ad avertendum periculum præsens indiget navibus, plaustris, equis vel operæ peregrinorum, usum necessarium eidem naturaliter patere.* Res nimirum civitatis, quibus introductis dominiis etiam æquiparantur operæ (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), respectu Gentis habentur pro rebus, quæ sunt in dominio Gentis (§. 289.).

Immo cum in extrema necessitate jus commune ad res reviviscat (§. 600. *part. 6. Jur. nat.*); nil obstat, quo minus singulos, qui sunt diversarum Gentium cives, immo etiam eos, qui iisdem imperant, quoniam Gentes spectantur inter se tanquam personæ liberæ in statu naturali viventes (§. 2.), spectes tanquam in statu naturali adhuc viventes. Sane non alia de causa, quæ de jure necessitatis respectu singulorum demonstrantur, ad integras Gentes applicanda veniunt (§. 3.). Ponamus e. gr. incendium sævire aliquo in loco & desiderari equos, ut aqua eidem restinguendo sufficiens advehatur; quin prætervehentes cogi possint, ut equorum suorum usum concedant, dubitandum non est. Similiter si in flumine, qui terminus arcifinius est, periculum submersionis immineat, quin liceat navibus, quæ sunt ad littora alterius territorii, ad servandum homines & merces uti, inscio, vel etiam invito domino, non est quod dubitemus.

§. 343.

De jure innoxiæ utili-

Naturaliter Gentibus promiscue competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ sunt in dominio alterius Gentis. Etenim hoc ipsum jus

tatis Gentium.

jus innoxiæ utilitatis eſt (§. 685. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominia rerum introduci non potuerint niſi ſalvo jure innoxiæ utilitatis (§. 686. *part. 6. Jur. nat.*), & Gentes inter ſe utantur jure naturali (§. 3.); naturaliter quoque Gentibus promiſcue competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ ſunt in dominio Gentis alterius.

Cum de juribus innoxiæ particularibus, veluti de tranſitu ad cauſas juſtas per terras & flumina, de jure commorandi in terris, quæ ſunt in domino Gentis, de receptu eorum, qui ſedibus ſuis expulſi ſunt, de jure res æquo pretio ſibi comparandi, quibus Gentes aliæ non indigent, & quæ ſunt his gemina, jam ſatis prolixe egerimus (§ 689. *& ſeqq. part. 6. Jur. nat.*); eadem hic repeti ſupervacaneum foret. Aliqua tamen ibidem non dicta addere lubet, ut appareat, quomodo in caſibus emergentibus principiis generalibus ſit utendum.

§. 344.

De acceſſu peregrinorum ad academias noſtras.

Peregrinis permittendum eſt, ut ſtudiorum cauſa in ſcholis & academiis noſtris commorentur, nulla habita ratione religionis. Quicquid enim Gens docta & culta conferre poteſt, ut barbaræ & incultæ fiant doctæ atque cultiores, id facere debet (§. 168.), conſequenter non impedire debet, ut ſcientiæ atque liberales artes & virtutes floreant apud Gentes alias. Quamobrem cum in ſcholis & academiis ea diſcantur, quæ cognitu ac ſcitu neceſſaria ſunt atque utilia (§. 433. 434. *part. 8. Jur. nat.*), &, ſi peregrinis quoque patet ad eas aditus, eo ipſo obtineatur, ut ſcientiæ quoque atque liberales artes virtuteſque propagentur apud Gentes exteras, quod per ſe patet, jus vero commorandi in terris noſtris ſtudiorum cauſa jus innoxiæ utilitatis ſit, exteris non denegandum (§. 692. *part. 6. Jur. nat.*); peregrinis utique permittendum, ut ſtudiorum cauſa in ſcholis & academiis noſtris commorentur. *Quod erat unum.* Quo-

Quoniam vero Gens nulla alteram vi adigere potest ad religionem suam amplectendam (§. 259.), nec ob diversitatem religionis Gens ulla alteri officia humanitatis, quæ sibi invicem debent, denegare potest (§. 263.), multoque minus privare jure mittendi pueros, adolescentes & juvenes suos in scholas & academias nostras studiorum causa ipsis competente, *per demonstrata;* permittendus utique est peregrinis ad scholas & academias nostras studiorum causa accessus nulla habita ratione religionis. *Quod erat alterum.*

Ponamus aliquem peregrinum accedere ad academiam nostram, Matheseos, philosophiæ aut medicinæ addiscendæ causa. In numerum studiosorum recipiendus, a quacunque Gente veniat & cuicunque religioni tandem addictus sit, si vel maxime lege fundamentali constitutum, ne toleretur alia, quam recepta religio, nec bona immobilia possidere possit nisi qui eam publice profitetur. Aliud enim est certorum quorundam studiorum causa, quibus nihil cum religione commune est, commorari in his terris, aliud vero ibidem habere liberum religionis exercitium & bona immobilia possidere. Illud nimirum pertinet ad jus commorandi justa de causa in alieno territorio, quod sub jure innoxiæ utilitatis comprehenditur; hoc vero minime.

§. 345.

De jure commorandi valetudinis causa in terris alienis.

Peregrinis permittendum, ut valetudinis recuperandæ causa apud nos commorentur, nulla habita ratione diversitatis religionis. Etenim in terris dominio subjectis ob justas causas aliquantisper commorari licet (§. 692. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum unusquisque operam dare teneatur, ut valetudinem recuperet (§. 413. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter eidem jus competat ad actus, sine quibus valetudinem recuperare nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), jusque hoc per-

perfectum sit (§. 905. *part. 1. Jur. nat.)*; valetudinis recuperandæ causa commorari in territorio alieno, seu in terris dominio alterius Gentis subjectis justa omnino causa est (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Peregrinis igitur permittendum, ut valetudinis recuperandæ causa apud nos commorentur. *Quod erat unum.*

Quod vero nulla hic habenda sit ratio diversitatis religionis, non absimili modo demonstratur, quo idem in propositione præcedente ostendimus. *Quod erat alterum.*

Variæ sunt rationes, cur quis in terris alienis valetudinis recuperandæ causa commorari teneatur, veluti si in itinere in morbum incidit, si in morbo depellendo consilio & auxilio medici cujusdam prudentis ac circumspecti uti voluerit, si ei in acidulis aquis aut thermis tanta fiducia fuerit, ut sine earum usu se non reconvalescere posse credat. In casu primo jus necessitatis concurrit cum jure innoxiæ utilitatis: quo in casu tanto turpius foret peregrino concedere nolle, ut in terris nostris commoretur (§. 758. *part. 1. Jur. nat.)*, immo injustissimum §. 748. *part. 1. Jur. nat. & §. 159. part. 1. Phil. pract. univ.)*.

§. 346.

De transitu commerciorum causa personis & mercibus concedendo.

Qui commercia expetunt cum Gente seposita, iis atque mercibus permittendus est transitus per terras, flumina & partes maris, quæ sunt in dominio Gentis alicujus. Etenim naturaliter unicuique competit jus ad commercia cum Gente quacunque alia exercenda (§. 199.), nec Gens prohibere potest, ne qua alia cum Gente seposita commercia exerceat (§. 200.). Quoniam itaque commercia cum Gente seposita exerceri nequeunt, nisi concedatur transitus per terras, flumina, aut partes maris, quæ sunt in dominio Gentis cujusdam alterius, vi autem juris innoxiæ utilitatis Gentibus promiscue naturaliter

liter competentis (§. 343.), transitus ob justas causas per terras & flumina, consequenter & partes maris, quæ in dominio sunt, tam personis (§. 689. *part. 6. Jur. nat.)*, quam mercibus concedendus, nisi metus justus damni adsit, (§.690. *part. 6. Jur. nat.)*, qualis in casu propositionis præsentis non adest; qui commercia expetunt cum Gente seposita, iis atque mercibus per terras, flumina & partes maris, quæ sunt in dominio Gentis alicujus, permittendus est.

Facile patet ex demonstratione propositionis præsentis, quando in casu particulari quæstio incidit de transitu per terras, flumina & partes maris, quæ sunt in dominio Gentis alicujus, exteris concedendo, duo evincenda esse, nimirum adesse justam transitus causam, nec Genti, per cujus territorium transitus conceditur, ullum metuendum ex transitu damnum.

§. 347.

Item studiorum causa in academiam proficiscenti.

Si quis studiorum causa in academiam Gentis sepositæ proficiscitur, ei permittendus est transitus per terras, quæ sunt in dominio Gentis cujusdam. Etenim cum in academiis juvenes ad scientiam rerum scitu necessariarum & utilium perducantur (§. 434. *part. 8. Jur. nat.)*, nemo autem impedire debeat, quo minus alter consequatur virtutes intellectuales (§. 696. *part. 1. Jur. nat.)*, consequenter ut addiscat scitu necessaria atque utilia (§. 547. 220. *part. 1. Jur. nat.* & §. 275. *Psych. empir.)*; justa omnino causa est, cur quis in academiam proficiscatur. Quamobrem quia vi juris innoxiæ utilitatis Gentibus naturaliter promiscue competentis (§. 343.) transitus per terras dominio subjectas ob justas causas sit concedendus, nisi metus justus damni adsit (§. 699. *part. 6. Jur. nat.*), qualem in præsenti casu nullum adesse per se patet; si quis studiorum causa in academiam Gentis sepositæ proficiscitur, ei permittendus

tendus est transitus per terras, quæ sunt in dominio Gentis cujusdam.

Non est, quod excipias fieri posse, ut intersit Gentis, per cujus terras transeundum, ut Gens vicina, unde venit qui in academiam proficiscendi animum habet, maneat barbara atque inculta. Cum enim Gens quælibet conferre debeat, quicquid potest, ut barbara & inculta quædam alia fiat docta atque cultior (§. 168.); non impedire licet, ne scientia rerum necessariarum atque utilium ad eandem propagetur (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Dantur equidem plures adhuc causæ justæ aliæ, ob quas per terras, quæ sunt in dominio Gentis alterius, transeundum; sed de his haud difficile erit in casibus obviis judicium, modo quis officia tam hominum, quam Gentium erga seipsam animo comprehenderit, & una perpendat, legem naturæ nobis dare jus ad ea, sine quibus iisdem satisfacere minime valemus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in cujus usu aliquem impedire justitiæ utique adversatur (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*). Non igitur opus est, ut ad plures casus particulares descendamus.

§. 348.

De jure Gentium communi ad actus ex suppositione.

Si qua Gens promiscue Gentibus aliis jus quoddam ad certos actus in terris suis permittit; id Genti uni negari non potest, nisi delictum præcesserit. Etenim si qua Gens promiscue Gentibus aliis jus ad certos actus in terris suis permittit; non sub alia conditione id ipsis permittitur, quam quia Gentes sunt, quibus idem debet, quod sibi, quatenus altera id habet minime in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest (§. 156.). Quodsi ergo Genti uni idem negare velit, perinde omnino est, ac si eam pro Gente non haberet, aut, cum tamen omnes Gentes natura inter se æquales sint (§. 16.), eandem ceteris non æquipararet. Quamobrem

obrem cum hoc in contemtum ejus vergat (§. 787. *part. 1. Jur. nat.)*, Gens vero nulla contemnere debeat alteram (§. 790. *part. 1. Jur. nat.* & §. 3. *h.)*, quin potius quælibet tanti aestimare alteram, quanti meretur (§. 186.), consequenter in hypothesi propositionis præsentis habere pro æque Gente; si qua Gens promiscue Gentibus aliis jus quoddam ad certos actus in terris suis permittit, id Genti uni negari non potest. *Quod erat unum.*

Enimvero si Gens quædam erga concedentem deliquit, cum ipsi competat jus eam puniendi (§. 272.), in pœnam vero adimi quoque possint jura (§. 589. *part. 8. Jur. nat.)*; Genti quoque, si delictum praecesserit, negari potest jus ad certos actus, quod aliis promiscue permittitur. *Quod erat alterum.*

Grotius lib. 3. c. 2. §. 22. vocat ***Jus commune ad actus ex suppositione***, quia supponit factum Gentis, nimirum promiscuam permissionem, in oppositione ad ***Jus commune ad actus simpliciter tale***, quod naturaliter Gentibus competit sine ullo facto Gentis, quale est jus ad actus tales, quibus ea comparantur, sine quibus vita commode duci nequit. vid. l. c. §. 19. Poterat illud quoque dici ***hypotheticum***, hoc vero ***absolutum.*** Exempla prioris recenset *Grotius* l. c. §. 22. si externis alicubi venari, piscari, aucupari, margaritas legere, ex testamento capere, res vendere, extra penuriam fœminarum conjugia contrahere liceat.

§. 349.

De jure ad actus per modum beneficii concesso.

Si a Gente quadam certis quibusdam Gentibus aliis conceditur jus ad certos quosdam actus ob rationes quasdam singulares; Gentibus ceteris id negare potest. Si enim fuerint rationes singulares, ob quas Gens quædam Gentibus certis quibusdam aliis jus

jus quoddam ad certos actus concedit; Gentes hæ non amplius spectantur tanquam Gentes simpliciter, nec jus, quod ipsis conceditur, tanquam jus innoxiæ utilitatis, quod ex communione primæva residuum (§. 687. *part. 6. Jur. nat.*) introductis dominiis commune Gentium mansit (§. 686. *part. 6. Jur. nat.* & §. 3. *h.*), cum vi libertatis naturalis Gentibus competentis (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*) de innoxia utilitate unicuique statuere liceat & ceteris in judicio isto sit acquiescendum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo a Gente quadam certis quibusdam Gentibus aliis conceditur jus ad certos quosdam actus ob rationes quasdam singulares, Gentibus ceteris id negari potest.

Agitur hic de jure innoxiæ utilitatis, quod cum Gentibus promiscue competat naturaliter (§. 343.), negari nulli potest nisi in casu collisionis officiorum Gentis erga seipsam & erga Gentes alias (§. 206.). Quoniam vero ea in re standum est Gentis negantis judicio vi libertatis naturalis (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); ideo videndum, quomodo voluntatem suam declaret. Quodsi ergo Gentibus aliis promiscue concedit jus ad certos quosdam actus innoxiæ utilitatis; ipso facto declarat, officium erga seipsam nullum collidi cum officio erga alias Gentes (§. 472. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter sibi nullum esse jus negandi alicui Genti jus quoddam innoxiæ utilitatis. Enim vero si id promiscue concedere nolit, contrarium utique ipso facto significat, standumque est ceteris Gentibus ejus judicio (§. 157.). In casu itaque priori viget libertas Gentium naturalis, vi cujus jure innoxiæ utilitatis uti pro lubitu possunt; in casu autem posteriori libertas naturalis extendi nequit ad istiusmodi actus, qui non amplius innoxiæ utilitatis censentur jure innoxiæ utilitatis sublato. Ideo *Grotius* recte dicit, in casu priori vi libertatis naturalis Gentibus promiscue permissum esse jus ad certos actus, quod nimirum tamdiu subsistit, quamdiu jus istud innoxiæ utilitatis manet; in posteriori autem jus istud permitti per

modum beneficii, cum non amplius id Gentibus ceteris competat, ut eodem pro lubitu uti possint, & per consequens in priori casu violari jus naturaliter competens, & jus libertatis, vi cujus eodem pro lubitu Gens quælibet uti potest, in quo utique injuria consistit (§. 859. *part. 1 Jur. nat.*); in posteriori autem cum negatio beneficii ferenda sit (§. 28. *part.* 4. *Jur. nat.*) & arbitrio dantis relinquendum, cuinam dare velit (§. 29. *part.* 4. *Jur. nat.*), injuriam nullam committi. Notandum vero quamdiu jus occupandi res nullius a Gente quadam in terris suis, vel etiam parte maris occupata occupatum non est, jus occupandi competere naturaliter Gentibus omnibus, ad jus autem innoxiæ utilitatis referri accessum ad territorium alienum, ut jure isto uti possint: id quod ideo tenendum, ne quenquam confundant exempla ex *Grotio* ante allata (*not.* §. 348). Quando actus quidam promiscue Gentibus permittuntur, non agitur de eo, quod permittentis proprium est, sed quod naturaliter ipsis competit, nec negari debet, nisi in casu collisionis officiorum erga seipsam & erga Gentes alias, & libertas in permittendo locum non habet, nisi quatenus de collisione ista standum permittentis, aut permittere nolentis judicio. Acute haud raro distinguenda sunt in Jure naturæ & Gentium, quæ alias facile confunduntur, ne quod veritati consentaneum pro erroneo habeatur, vel contra.

§. 350.

De diversoriis & hospitiis.

Gentibus curæ habendum, ne desint domus, in quibus iter facientes & peregrini, quibus transitus permittitur, cum rebus suis commode ac secure pernoctare, ciboque ac potu salubri frui possint, & equis pabulum suppeditatur ac operæ, quibus illi indigent, præstantur pro æquo pretio. Etenim in transitu per terras peregrini commodæ quietis causa in domum recipiendi, ubi commode recipi possunt, cibusque ac potus salubris una cum operis, quibus indigent, pro æquo pretio præstari debet (§. 699. *part.* 6. *Jur.*

6. Jur. nat.). Quamobrem cum peregrinis constare nequeat, in quibusnam domibus commode recipi possint & ipsis ea, quibus indigent, præstari, immo de eo judicium vi libertatis naturalis sit penes dominum (§. 156. *part. 1.* & §. 118. 121. *part. 2. Jur. nat.*); necesse est ut ea fini peculiares prostent domus. Ne igitur Gentes desint officio suo, curæ iisdem habendum, ne tales desint domus, in quibus peregrini, quibus transitus permittitur, cum rebus suis commode, &, quod per se intelligitur, etiam secure pernoctare, ciboque ac potu salubri frui possunt, ac operæ, quibus indigent, iisdem præstantur, pabulum vero equis suppeditatur pro æquo pretio. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam iter facientes quicunque, sive peregrini fuerint, sive populares, seu earundem terrarum incolæ, qui respectu incolarum certi loci pro peregrinis haberi possunt, opus habent, ut commodæ quietis causa in domum recipiantur, ciboque ac potu salubri & operis alienis in eadem indigent, quod per se patet; quin idem valeat de iter facientibus quibuscunque, quæ de transeuntibus per territorium alterius Gentis demonstrata sunt, nemo in dubium revocabit. *Quod erat alterum.*

Vocantur istiusmodi domus, in quas recipiuntur iter facientes & peregrini per terras nostras transeuntes, ***Diversoria*** & ***Hospitia***, sermone vernaculo Gasthöffe, Wirthshäuser. Eorum necessitas respectu popularium pertinet ad Jus publicum universale, respectu autem peregrinorum, quibus transitus permittitur, ad Jus Gentium. In priori casu illas requirit finis civitatis, vi cujus nihil negligendum, quod ad vitæ necessitatem & commoditatem quomodocunque facit (§. 4. ***part. 8. Jur. nat.***); in posteriori autem easdem exigit jus ex communione primæva residuum a Gentibus non temere negligendum, prov-

prouti ex anterioribus abunde intelligitur. Resp. igitur bene constituta dici non meretur, quæ diversoriis & hospitiis commodis destituitur, & ubi itineris vel transitus causa nimius fieri debet sumtus.

§. 351.

De officiositate erga peregrinos.

Erga peregrinos apud nos commorantes, vel per terras nostras transeuntes officiosi esse debemus, & Rectori civitatis curræ esse debet, ut simus. Etenim officiosi esse debemus in omnes (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum officiosus sit, qui ad officia humanitatis aliis quibuscunque præstanda semper paratus est (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter prompte quodlibet officium præstat, quantum in potestate sua est; erga peregrinos quoque apud nos commorantes, vel per terras nostras transeuntes officiosi esse debemus (§. 156.). *Quod erat unum.*

Quoniam in Rep. constituenda opera danda est, ut subditi actus minimum externos ad legem naturæ componant (§. 395. *part. 8. Jur. nat.*), subditi autem erga peregrinos officiosi esse debent *per demonstrata n. 1.* Rectori civitatis, cui competit in civitate imperium, ut id exerceat (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), curæ etiam esse debet, ut subditi erga peregrinos in terris suis commorantes, vel per eas transeuntes sunt officiosi. *Quod erat alterum.*

Officia erga alios non debentur alia de causa, quam quia ipsi sunt æque homines. Non igitur tolluntur, etsi non eidem nobiscum imperio civili subjecti sint: inde enim nonnisi in casu collisionis officiorum aliis præstandorum, ceteris paribus, nascitur prælatio concivis (§. 668. *part. 1. Jur. nat.*). Alias officiositas absque ulla differentia viget inter concives & peregrinos, nec aliud datur meritum, ob quod præstandum, nisi indigentia ejus, cui præstandum (§. 667. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 352.

§. 352.

Si erga peregrinos apud se commorantes, vel per terras suas transeuntes saltem plurimi officiosi sint; Gens laudem officiositatis meretur. Etenim quæ de majore parte Gentis prædicanda sunt, ea derivantur in ipsam Gentem & de ea prædicanda sunt (§. 43.). Quodsi ergo plurimi erga peregrinos apud se commorantes, vel per terras, quas incolunt, transeuntes officiosi fuerint; laus quoque officiositatis in Gentem ipsam derivatur, & ea officiosa dicenda est erga peregrinos.

Quomodo laus officiositatis erga peregrinos in Gentem derivetur.

Officiositas erga peregrinos Gentem maxime commendat & gloriam ejus ad exteros propagat. Quamobrem cum gloria Gentis suæ etiam Rectori civitatis curæ esse debeat (§. 51.); hoc quoque nomine curæ habere tenetur, ut subditi peregrinis sese præbeant officiosos.

§. 353.

Gentes erga se invicem officiosæ esse debent. Etenim homines erga se invicem ut sint officiosi naturaliter obligantur (§. 899. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes eodem inter se jure utantur, quod naturaliter viget inter singulos homines (§. 3.); Gentes quoque erga se invicem officiosæ esse debent.

De officiositate Gentium.

Officiositas, quæ prædicatur de Gente per se, non confundenda est cum ea, quæ a singulis in eam derivatur (§. 352.). Etenim vi huius diversarum Gentium cives officia humanitatis sibi invicem præstant; vi autem illius Gens una universa alteri universæ, vel, quod perinde est, Rectores civitatum, quæ Gentes repræsentant (§. 39.), sibi invicem qua Rectores civitatum, seu quatenus Gentes suas repræsentant.

§. 354.

In quo ea consistat.

Quoniam Gentes erga se invicem officiosæ esse debent (§. 353.), officiositas vero in promptitudine præstandi alteri officia humanitatis consistit (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*); *Gentium officiositas consistit in promptitudine præstandi sibi invicem ea officia, quæ Gentes naturaliter sibi invicem debeat.*

Quoniam itaque in antecedente capite abunde ostendimus, quænam officia Gens Genti debeat, virtus autem requirit constantem & perpetuam voluntatem committendi actiones legi naturæ conformes (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ sunt officia naturalia (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qualis esse debeat voluntas Gentium &, qui eas repræsentant (§. 39.), Rectorum civitatis, hinc intelligitur. Non sufficit in Gentibus actus externus, licet inde Gens una alterius voluntatem colligere teneatur, sed requiritur, ut idem cum internis actibus, præsertim voluntate recte determinata consentiat. Gentes enim virtuosæ esse debent, etiam qua Gentes, ut cum sensu officii aliteri faciant, quod faciunt. Quamvis enim Gens una alteri non aliter prosit quam actu externo; magis tamen consulitur felicitati Gentium, si actus externus ex virtute proficiscatur, quam si per rationes extrinsecas, quæ non in omni casu adsunt, quo una alterius ope indiget, nec semper eædem sunt, determinatur. Virtus Gentium in Rectoribus civitatum residet, qui eas repræsentant (§. 39.).

§. 355.

De jure navigandi per maria occupata.

Unicuique Genti liberum jus est navigandi per maria etiam occupata, nisi adsit metus justus damni. Quoniam naturaliter Gentibus competit jus ad res innoxiæ utilitatis, quæ sunt in dominio alterius (§. 343.); jus liberum navigandi per maria occupata Genti unicuique competens eodem prorsus modo demonstratur, quo ostendimus transitum ad justas causas per terras

terras & flumina dominio ſubjecta denegari non poſſe (§. 689. *part. 6. Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero ſi juſtus metus damni ex permiſſione nauigationis fuerit Genti, in cujus dominio eſt pars maris; eodem quoque modo oſtenditur, eam navigationem permittere non teneri, quo oſtendimus tranſitum per flumina dominio ſubjecta prohiberi poſſe (§. *cit.*). *Quod erat alterum.*

Equidem cum nulla adſit differentia inter tranſitum per flumina dominio ſubjecta ob juſtas cauſas & inter navigationem per maria occupata; non opus eſſe videbatur, ut jus liberum navigandi per maria occupata Gentibus demum peculiariter vindicaretur. Quoniam tamen controverſias ea de remotas inter Gentes fuiſſe & hodienum moveri poſſe indubium eſt; diſertam ejus mentionem fieri conſultum duximus, ne quid prætermiſiſſe videamur, quod ad definiendas Gentium controverſias facit. Relegenda autem hic ſunt, quæ de tranſitu innoxio per terras & flumina dominio ſubjecta alias annotavimus (*not.* §. 689. *part. 6. Jur. nat.*).

Jus alterius non tollitur niſi in caſu colliſionis legis permiſſivæ cum præceptiva, aut prohibitiva (§. 211. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec metus tuus tollit jus meum, niſi is conveniat vel officio erga teipſum, vel erga alios, veluti ſi damnum, aut periculum a te avertendum (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), vel etiam ab aliis (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*): id quod non minus de Gentibus intelligendum, quam de ſingulis hominibus (§. 3.). Quamobrem cum metus oriatur, ſi quod malum nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus (§. 822. *Pſych. empir.*); is demum metus juſtus erit, quando minimum probabiles adſunt rationes, damnum nobis, vel aliis datum iri, permiſſo tranſitu navium per mare occupatum, quod avertere obligamur. Conſtat enim homines quosdam

natura esse meticulosos, ut metu inani urgeantur. Metus justus metiendus ex probabilitate eventus mali, qui exigit, ut quædam adesse certum sit ad determinandum actum illius requisita. Uberiorem lucem affunderet Logica probabilium, si ea sufficienter foret exculta & in formam artis redacta. Hactenus igitur contenti esse debemus seminibus, quæ in Logica sparsimus (§. 578. *& seqq. Log.*). Sæpius jam provocavimus ad Logicam probabilium, unde utilitas ejus intelligitur, immo necessitas eam in formam artis redigendi. Existimandum tamen non est, perfunctoria opera rem tam arduam confici posse: Logica enim probabilium magis inaccessa est, quam demonstrativa, quæ scientiam parit & in formam artis dudum redacta.

§. 356.

De modo concedendi transitum per mare occupatum.

Quoniam vnicuique Genti liberum est jus navigandi per maria etiam occupata, nisi adsit metus justus damni (§. 355.); *si qua Gens prohibere velit, ne quædam alia per mare a se occupatum naviget, naturaliter rationes allegare debet, cur id concedere nolit, &, ubi justus metus adest, cautionem exigere potest, ut transitus sit innoxius, immo etiam præscribere legem, sub qua is concessus esse debeat*, consequenter *si suspicio esse potest, ne noxia sit navigatio, veluti si armata fuerit, concessio petenda.*

Quamvis enim vi libertatis naturalis, quæ etiam Gentibus competit (§. 55 *part. 8. Jur. nat.*), standum sit judicio ejus, in cujus dominio pars maris est, quamdiu nil fit contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); in præsenti tamen id non valet, quia navigationis innoxiæ prohibitio est contra jus navigantis (§. 355.). Et qui jure suo utitur, pati minime tenetur, ut sine justa causa, qualis hic est justus damni metus, in usu ejus impediatur. Quoniam facilius contingit, ut transitus per terras & flumina territorio inclusa noxius sit, quam per mare; jus quoque domini latius patet in casu priori, quam in posteriori

riori, & per consequens transitus facilius negatur (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 357.

De mari quoad imperium saltem occupato.

Si pars maris saltem quoad imperium occupatum, usus Gentium communis manet. Quoniam imperium & dominium sunt duo jura distincta, quorum unum absque altero subsistere potest; imperium maris sine dominio occupari potest. Usus rerum ad dominium pertinet (§. 136. *part. 2. Jur. nat.*), & natura usus rerum necessarias unicuique patet, prout cuique opus est (§. 27. *part. 2. Jur. nat.*), rebus omnibus communibus existentibus (§. 24. *part. 2. Jur. nat.*). Quodsi ergo in parte quadam maris saltem imperium occupetur, usus Gentium communis manet.

Hinc cuilibet ibidem pro lubitu navigare, piscari, corallia & conchas colligere licet, nec sine injuria ab usu maris quis prohiberi potest. Atque jus hoc non confundendum est cum eo, quod in mari occupato ex communione primæva adhuc residuum est & de quo ante egimus. Recte autem observat *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 3. §. 13. n. 2. imperium acquiri in partem maris tam ratione personarum, ut si classis, qui maritimus exercitus est, aliquo in loco maris se habeat, cum quicquid intra fines imperii est imperio occupantis subsit, quam ratione territorii, quatenus ex terra cogi possunt, vel etiam classe, qui maris parte versantur, nec minus, quam si in ipsa terra reperirentur. Patet autem imperium maris classe occupatum temporarium esse, quamdiu scilicet ea ibidem versatur. Ceterum vide, quæ supra demonstravimus (§. 131. 132.).

§. 358.

An usucapio & præscriptio locum

Usucapio & præscriptio etiam locum habet inter Gentes. Usucapio juris naturalis est (§. 1023. *part. Jur. nat.*). Quamobrem

habeat inter Gentes. obrem cum Gentes inter se utantur jure naturali (§. 3.); usucapio quoque inter Gentes locum habet. *Quod erat unum.*

Enimvero cum præscriptio sit amissio juris ex consensu præsumto (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*), usucapio vero dominii acquisitio ex derelictione rei præsumta (§. 1021. *part. 7. Jur. nat.*), & jura, tanquam res incorporales (§. 497. *part. 1. Jur. nat.*), etiam in dominio sint (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*); ex præsumta derelictione non minus præscribuntur jura, quam dominium acquiritur. Quamobrem cum usucapio locum habeat inter Gentes, *per demonstrata n. 1.* præscriptio quoque inter eas locum habet. *Quod erat alterum.*

Differentiam usucapionis & præscriptionis satis perspicue explicavimus (§. 1021. *part. 3. Jur. nat.*). Ea igitur observata, jus, quod in re habuerat, qui eam dereliquisse præsumitur, præscribitur, & idem possessor acquirit, consequenter rem usucapit. Quodsi ergo jura consideres tanquam rem incorporalem, quæ est in dominio; idem quoque facile intelligitur de Jure, veluti de imperio, quod derelinquenti præscribitur, possidenti acquiritur, quatenus scilicet in illo animus derelinquendi & consensus in acquisitionem a possessore factam præsumitur.

§. 359.

An inter Gentes usucapio & præscriptio procedat ex silentio diuturno. *Usucapio & præscriptio ob silentium diuturnum inter Gentes non tam facile præsumitur, quam inter privatos.* Usucapio nimirum nititur derelictione rei præsumta (§. 1021. *part. 3. Jur. nat.*), ac inde quoque pendet præscriptio, consensu nimirum in amissionem juris præsumto ex præsumto animo derelinquendi (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum rei derelictio ex silentio diuturno præsumatur, nisi manifestæ rationes in contrarium prostent (§. 1058. *part. 3. Jur. nat.*), ac ideo

ideo silentium, ex quo consensus præsumitur, debeat esse scientis ac volentis (§. 1055. *part. 3. Jur. nat.*), ut non taceat, quando loqui poterat & debebat (§. 1054. *part. 3. Jur. nat.*), Gentes vero jus suum persequi nequeant nisi vi armorum, id quod non semper in potestate, nec consultum est; usucapio & præscriptio ob silentium diuturnum inter Gentes non tam facile locum habet, quam inter privatos.

' Qui non ignorat, quantos bellum sumtus requirat & quantum cumulum malorum post se trahat, & quam parum valeant vires adversus potentiorem; is in dubium minime revocabit, haud raro silendum esse, quod loqui non sit consultum, & commodam expectandam esse occasionem, qua oblata jus suum vi persequi datur adversus reddere nolentem. Accedit præterea, quod silentium quoque unius scientis ac volentis nocere nequeat aliis, quibus is facto suo jus quæsitum auferre nequit (§. 368. *part. 8. Jur. nat.*): id quod inprimis in imperiis obtinet, cum possessor imperii regnum derelinquere nequeat sine consensu populi & eorum, qui jus suo ordine succedendi habent. Præscriptio igitur inter Gentes, si ex solo silentio diuturno procedere debet, utique maximis difficultatibus obnoxia est, præsertim cum lis sub judice nullo sit, utrum silentium fuerit scientis ac volentis, necne.

§. 360.

Præscriptio immemorialis dicitur, quæ nititur possessione immemoriali, seu si initii præsentis possessionis memoria non extat, consequenter *si possessio immemorialis fuerit, probari nequit, lis quænam utrum possessio a domino, an a non domino ad præsentem possessorem sit continuata fuerit.* *Præscriptio immemorialis.*

Recte monet *Grotius* l. 2. c. 4. §. 7. tempus memoriam excedens non plane idem esse cum centenario: memoria enim facti ultra centum annos scriptis conservari potest. Quando igitur

igitur extant ſcripta fide digna, quibus initium poſſeſſionis præſentis probari poteſt, poſſeſſio immemorialis non eſt, cum jam conſtet a quonam poſſeſſio ad præſentem poſſeſſorem continuata fuerit.

§. 361.

An ea ſit juris naturæ.

Præſcriptio immemorialis juris naturæ eſt. Naturaliter enim quilibet poſſeſſor præſumitur dominus rei, niſi proſtent rationes probabiles in contrarium (§. 1033. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero ſi præſcriptio immemorialis fuerit, ea nititur poſſeſſione immemoriali, ac per conſequens probari nequit, utrum poſſeſſio a domino, an a non domino ad poſſeſſorem præſentem continuata fuerit (§. 360.), atque ideo proſtare nequeunt rationes probabiles, quod præſens poſſeſſor dominus non ſit, conſequenter quo minus recte præſumatur. Quamobrem præſcriptio immemorialis juris naturæ eſt.

Effectus nimirum præſcriptionis immemorialis eſt, ut res in ſtatu quo relinquatur, ſeu ut qui poſſidet maneat in poſſeſſione. Quodſi enim vel maxime contingat, ut poſſeſſio ad præſentem poſſeſſorem a non domino continuata fuerit, de quo tamen conſtare nequit *per hypotheſin*; poſſeſſio tamen juri naturæ minime adverſatur, cum nemo rem a ſe poſſeſſam reſtituere teneatur, niſi qui reſtitutionem petit dominium ſufficienter probaverit (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*), qualis probatio hic deficit *per hypotheſin.* Alia vero eſt ratio, ſi conſtat, poſſeſſionem a prædone, ſeu non domino ad præſentem poſſeſſorem fuiſſe continuatam: tunc enim initium poſſeſſionis vitioſæ non amplius obſcurum eſt, conſequenter nec poſſeſſio immemorialis. Atque tum ſalvum manſit jus domini, ſeu ejus, ad quem dominium pertinet, quod quantumcunque tempus, cujus quippe in dominiorum & jurium quorumcunque tranſlationem vis nulla eſt, eidem auferre minime potuit.

§. 362.

§. 362.

Quoniam præscriptio immemorialis juris naturæ est (§. 361.), jus vero naturæ obtinet inter Gentes (§. 3.); *præscriptio* quoque *immemorialis inter Gentes locum habet.* *An locum habeat inter Gentes.*

Non video, quicquam difficultatis in eo superesse, modo significatus præscriptionis immemorialis non mutetur, & ad certum annorum numerum restringatur. Neque enim qui possidet, sed qui rem petit, dominium sufficienter probare tenetur (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*). Cumque constare in casu præscriptionis immemorialis nequeat, possessionem a prædone, seu non domino ad præsentem possessorem fuisse continuatam (§. 360.); præsens possessor rem bona fide possidet (§. 153. *part. 2. Jur. nat.*), ac per consequens in peccato minime versatur, cum non adsit, cui rem restituere obligetur (§. 471. *part. 2. Jur. nat. &* §. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 363.

Qui silentii diuturni rationes allegat, adversus eum non valet præscriptio. Cum enim silentium esse debeat scientis ac volentis, ut derelictio, unde pendet consensus in amissionem juris, præsumi possit (§. 1055. *part. 3. Jur. nat.*); ex diuturno silentio ideo præsumitur derelictio, quod credibile non sit, tanto temporis spatio parti adversæ jus suum in notitiam venire non potuisse, aut nullam oblatam fuisse occasionem interpellandi. Quodsi igitur rationes silentii diuturni allegantur, ratio præsumtionis cessat, consequenter etiam præscriptio (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*), ac ideo non valet adversus eum, qui silentii diuturni rationes allegat. *Quando non noceat diuturnum silentium.*

Nemo adeo absurdus erit, ut putet, solo lapsu temporis invito domino jus transferri posse. Quamobrem qui animum derelinquendi in altero præsumit, rationes probabiles, cur præsumat, habere debet (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*). Quodsi

ergo hæ refutentur contrarium oſtendendo, præſumtio utique cadit: immo ſi pars adverſa rationes ſaltem probabiliores allegare valet, ob quas præſumi poteſt vel ignorantia juris ſui, vel defectus occaſionis jus ſuum perſequendi; aut poſſeſſionem ſaltem interpellandi, præſumtio fortior vincit debiliorem. Leviſſima vero omnino eſt præſumtio, quæ ſola temporis diuturnitate nititur. Atque ideo patet, quod ſupra jam monuimus (*not.* §. 359.), præſcriptionem inter Gentes, quæ ex ſolo diuturno ſilentio procedere debet, maximis difficultatibus implicari, ut vix unquam ullius ſit uſus. Abſit autem ut eam confundas cum præſcriptione immemoriali (§. 360.).

§. 364.

De eo, qui ſigna quodam indicat, ſe jus ſuum remittere nolle.

Si quis ſigno quocunque ſufficienter indicat, ſe jus ſuum remittere nolle, etiamſi id non perſequatur, adverſus eum non valet præſcriptio. Etenim quod quis ſufficienter indicat, quando ad verum dicendum obligatur, id adverſus ipſum pro vero habetur (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis ſigno quocunque ſufficienter indicat, ſe jus ſuum remittere nolle, pro vero quoque contra ipſum haberi nequit, quod ideo remittere velit, quia id non perſequitur (§. 28. *Ontol.*). Quamobrem cum nemo jus ſuum amittat, ac per conſequens adverſus eum non valeat præſcriptio, niſi conſenſus in amiſſionem juris præſumi poſſit (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*); ſi quis ſigno quocunque ſufficienter indicat, ſe jus ſuum remittere nolle, etiamſi id non perſequatur, adverſus eum præſcriptio non valet.

Pertinet huc proteſtatio, quando ſcilicet quis contradicit, ſi quid committitur juri ſuo adverſum. Unde vulgo dicitur, proteſtando conſervari jus ſuum. Similiter huc pertinet, ſi, qui imperium remittere nolit, titulum & inſignia regia uſurpat, quamvis regnum non poſſideat. Ne lites inextricabiles inter

Gentes

Gentes oriantur, nonnisi vi armorum terminandæ, immo ne quidem hoc modo semper terminandæ; consultum omnino est, ut, qui jus suum conservare velit, remittere autem nolit, voluntatis quoque suæ signa manifesta edat, quantum in potestate est. Controversiæ enim de causis silentii diuturni inter Gentes, quarum lites sub judice nullo sunt, & rationes probatu difficiles utplurimum habent, difficillime dirimuntur, nec bellum modus aptus est ad eas definiendas, etsi huc tandem tanquam ad sacram anchoram sit confugiendum.

§. 365.

Quomodo ob factum, vel non factum alterius jus præscribatur.

Si quis ea, facit, vel non facit, quæ facere minime poterat aut non facere, nisi jus suum remitteret; adversus eum valet præscriptio. Etenim si quis ea facit, vel non facit, quæ facere minime poterat, aut non facere, nisi jus suum remitteret, is sufficienter indicat, se jus suum conservare nolle: quod si enim conservare vellet, opus omnino foret, ut diceret, se hoc facere, vel non facere, salvo jure suo. Quoniam itaque quod quis sufficienter indicat, quando ad verum dicendum obligatur, id contra ipsum pro vero habetur (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*); si quis ea facit, vel non facit, quæ facere minime poterat, aut non facere, nisi jus suum remitteret, adversus eum pro vero habetur, quod remittere velit, ac per consequens in amissionem juris sui consentiat. Valet igitur adversus eum præscriptio (§. 1024. *part. 3. Jur. nat.*).

Excipi nimirum non potest, se hoc fecisse, vel non fecisse, salvo jure suo. Cum enim mens alterius nemini pateat, nisi signis manifestis indicetur; necesse omnino erat, ut sufficienter indicaret, factum hoc, vel non factum juri suo nocere minime debere. Alias admittendæ forent reservationes mentales (§. 231. *part. 3. Jur. nat.*), quibus omnis negotiis humanis demeretur certitudo, & quæ illicitæ ipsaque naturæ lege prohibitæ

hibitæ ſunt, quando ad animi noſtri ſenſa alteri indicanda obligamur (§. 237. *part. 3. Jur. nat.*). Immo ſi tacitæ iſtiusmodi exceptiones in verbis & factis admittendæ eſſent, conſtare minime poſſet, quid contra loquentem, vel facientem pro vero habendum ſit. Qui ergo mentem ſuam alteri ſufficienter non indicat, quando indicare debet; is ſibi imputet, quod juri ſuo nocuerit. Præſumtionem derelictionis ex facto poſitivo jam alibi demonſtravimus (§. 1053. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 366.

An præſcriptio longiſſimi temporis conveniat juri Gentium voluntario.

Præſcriptio ob ſilentium longiſſimi temporis convenit juri Gentium voluntario. Etenim cum Gentes ſingulæ, quatenus in civitatem maximam coiviſſe intelliguntur, univerſis quoque ſeſe obligaſſe intelliguntur, quod commune bonum promovere, & univerſæ ſingulis, quod ipſarum bono in particulari proſpicere velint (§. 12.), in hoc quoque conſentire debent, ut unaquæque jure ſuo quiete fruatur (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*); conſequenter ut imperia aliaque jura tandem ſint certa, nec ſemper maneant in incerto. Quamobrem cum lex naturæ det jus ad eos actus, ſine quibus dominiorum, conſequenter etiam aliorum jurium quorumcunque, quæ non minus ac res corporales in dominio ſunt (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), certitudo obtineri nequit (§. 1050. *part. 3. Jur. nat.*), præſcriptione autem ob ſilentium longiſſimi temporis inter Gentes non admiſſa, imperia & jura alia Gentium incertitudini obnoxia maneant, quæ poſt longiſſimum tempus cauſſam bello dare poteſt, quo nihil magis ſaluti Gentium adverſari nemo in dubium revocare auſit; in præſcriptionem ob ſilentium longiſſimi temporis Gentes, quatenus in civitatem maximam coiviſſe intelliguntur, conſentire debent. Quoniam itaque jus Gentium voluntarium eſt, quod ex notione civitatis

tatis maximæ derivatur (§. 22.); præscriptio ob silentium longissimi temporis juri Gentium voluntario convenit.

Grotius præscriptionem inter Gentes ad jus Gentium voluntarium refert, quas ad eam provocasse ex Annalibus probat. Quoniam is jus Gentium voluntarium ex consensu Gentium moratiorum deducit (*not.* §. 20.), ac ideo ab aliis id pro figmento habetur, quia expressus Gentium consensus probari nequit, immo nec consensus nonnullarum alias obligare valet; præscriptio quoque inter Gentes non admittitur, quam tamen nos etiam naturaliter in certis casibus valere ostendimus (§. 358. *& seqq.*). Quodsi vero a jure naturæ recesseris, quia præscriptio ob silentium diuturnum difficilis est probationis, si ea hoc solo nitatur; non tamen a vero aberrat *Grotius* affirmans, jus Gentium voluntarium eidem minime obstare. Rationes enim eorum, quæ ad jus Gentium voluntarium referuntur, non intrinsecæ sunt, quales in Jure naturæ requiruntur, ex ipsis dominii, seu proprietatis, atque imperii notionibus petitæ, sed extrinsecæ, a fine civitatis maximæ desumtæ (§. 14.), non diversæ ab iis, ob quas jus civile ex naturali efficiendum (§. 22.). Quemadmodum itaque dantur rationes legum civilium, quæ a fine civitatis in genere civitatum omnium communi desumta pariunt jura civilia cuivis civitati convenientia, & per quas earum rectitudo definienda; ita quoque rationes ex fine civitatis maximæ, in quam ipsa natura Gentes coëgit (§. 9.), quatenus nimirum certa officia præscribit Gentibus ipsa lex naturæ, in anterioribus demonstrata, desumtæ pariunt jus inter Gentes, quod illius obtinendi causa admittendum, utut a jure naturæ perinde ac civile recedat. Nimirum cum civitas maxima non minus conveniat juri naturæ (§. 9.), quam civitates particulares (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*), ipsa lex naturæ Gentes obligat ad finem civitatis maximæ consequendum, consequenter jus dat ad ea constituenda, sine quibus finis pro conditione humana obtineri nequit, licet a rigore juris naturæ abeant. Quare cum abso-

num non videatur, ut præscriptio valeat inter cives in Rep. bene constituta, cum intersit Reip. ne dominia maneant in incerto; nec absurdum existimari potest, ut præscriptioni longissimi temporis inter Gentes sit locus, cum multo magis eorum intersit, ne ipsarum dominia & imperia semper sint incerta. Obligatio, quæ tenet singulos, ne negligentes sint (§. 1046. *part. 3. Jur. nat.*), sed potius diligentes in inquirendo in res suas, quæ forsan in alterius potestatem venerunt, nec non in jura sibi competentia (§. 1047. *part. 3. Jur. nat.*), & ut operam dent pro virili, ne dominia aliorum maneant in incerto (§. 1052. *part. 3. Jur. nat*), tenet etiam Gentes (§. 3.), consequenter etiam lex naturæ dat jus ad ea Gentibus, sine quibus dominiorum & imperiorum certitudo inter ipsas obtineri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque ideo Gentes recte in ea consensisse præsumuntur, quia consentire debuerunt, prouti ex supra jam annotatis (*not.* §. 9. & *not.* §. 12.) abunde liquet. Lex naturæ non minus consulit felicitati Gentium, quam singulorum, etiam quatenus minus malum tolerandum, ut evitetur majus. Jus igitur Gentium voluntarium non magis figmentum dici meretur, quam si quis jura mere civilia figmentis non tolerandis accensere vellet. Jus Gentium voluntarium adversari rigori juris naturalis, nemo sanus diffitetur; ast inde minime sequitur, inter Gentes minime tolerandum esse, ut ab eodem ne latum quidem unguem recedatur, si eum cum salute Gentium collidi in casu emergente contingat.

§. 367.

De jure Gentium pactitio quoad præscriptionem.

Si Gentes vicinæ de præscriptione inter se conveniunt; eo modo valebit præscriptio, quo conventum fuerit. Quoniam pacta sunt servanda, seu naturaliter obligant (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); si gentes vicinæ de præscriptione inter se conveniant, in se invicem jus exigendi transferunt, ut valeat præscriptio &

ea,

ea, de quibus conventum fuit (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*). Cumque jus aliquod in alterum transferens prouti sibi visum fuerit definire possit, quomodo translatum esse debeat (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); si Gentes vicinæ de præscriptione inter se conveniunt, eo modo valebit præscriptio, quo conventum fuerit.

Conventione Gentium de præscriptione non modo quasi pactum, quo nititur jus Gentium voluntarium, mutatur in pactum perfectum; verum etiam eidem addi possunt, quæ jure isto definita non sunt, aut saltem difficillime definiuntur, vel ob circumstantias latentes, aut non satis certas in casu emergente definiri nequeunt. Quamobrem cum præscriptio inter Gentes ob diuturnum silentium difficulter præsumatur (§. 359.) & præsumtio tota nitatur rationibus nonnisi probabilibus (§. 244. *part. 2. Jur. nat.*), quibus aliæ probabiles opponi possunt (§. 578. *Log.*), æstimatio autem graduum probabilitatis disceptationi obnoxia sit; consultum utique est, ut Gentes vicinæ de præscriptione inter se conveniant, Juri itaque pactitio consentaneum est, ut perinde ac lege civili præscriptio ad certum annorum numerum restringatur, quamvis non eundem, quem leges civiles volunt: neque enim quæ sunt arbitrii humani destituuntur ratione, cur ita potius, quam aliter determinentur, & hæc non eadem præcise est inter Gentes & inter singulos. Suadet etiam conventiones de præscriptione inconstantia hominum in admittendo jure etiam sibi non incognito, nisi ex pactis manifestis ortum trahat. Is enim esse solet mos plerorumque hominum, ut jus aliquod valere velint contra alios, non vero contra se. Etsi itaque Rector alicujus civitatis, quando ipsi præscriptio opponitur, regerat se nullam inter Gentes agnoscere præscriptionem; non tamen inde inferri potest, quod eandem in genere rejiciat. Quodsi enim præscriptio ipsi utilis foret, vix dubitandum est, quin eandem pro se allegaturus sit. Absonum igitur est per istiusmodi

modi exempla probare velle, quod inter Gentes nec naturaliter, nec jure Gentium voluntario valeat præscriptio. Et si opinione Rectorum civitatis standum; eccur ejus testimonium plus valere debet, contra quem allegatur præscriptio, quam hujus, qui eam pro se allegat? Facile itaque patet, per istiusmodi exempla nihil definiri posse, sed quæ dubia sunt in disceptationem deduci. Obiter quasi monemus, eos, qui jus Gentium voluntarium pro figmento habent, multa tamen admittere, quæ nonnisi ad hoc jus referri possunt, prouti luculenter constabit, ubi de jure belli acturi sumus.

CAPUT IV.

De Foederibus & aliis pactionibus Gentium, ac sponsionibus.

§. 368.

Potestates summæ & minores quænam dicantur.

Potestates simpliciter, in oppositione autem ad minores *Potestates summæ* dicuntur personæ, quibus imperium summum in civitate competit. Itaque *Potestates summæ sunt Rectores civitatis, qui summum imperium habent* (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), *ac populi liberi in democratia* (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*). Idiomate patrio vocantur die Gewaltigen. *Potestates minores* appellantur personæ, quæ partem quandam imperii dependenter a potestate summa & ejus nomine exercent, veluti magistratus (§. 162. *part. 8. Jur. nat.*) & belli duces, de quibus inferius. Idiomate patrio die Oberen appellantur.

Quoniam significatus vocabuli potestas Latio convenit & apud *Grotium* aliosque autores, qui de Jure Gentium agunt, usurpatur, ideo quoque in præsenti materia eadem appellatione uti voluimus. Quamvis vero potestatis vocabulum sine adjecto indifferenter de Rectoribus civitatum ac populis libe-

ris

ris atque magiſtratibus a ſcriptoribus Romanis adhibeatur, id quod etiam accidit vocabulo Germanico die Obern; cum tamen in præſenti argumento poteſtates ſummæ a minoribus ſollicite ſint diſtinguendæ, nos quoque cum *Grotio* vocabulo non utemur niſi cum adjecto.

§. 369.

Foedus dicitur pactum a ſummis poteſtatibus boni publici cauſa in perpetuum, vel longius ſaltem tempus inter ſe initum. Pacta vero, quæ præſtationes tranſitorias, ſeu non iterandas continent, *Pactionum* nomen retinent. *Foedera quid ſint: quid pactiones.*

E. gr. Si duæ Gentes de auxiliis in bello ſibi invicem præſtandis conveniunt; pactum hoc dicitur foedus: aſt ſi Gens una alteri permittit, ut ob annonæ caritatem frumentum in regione ſua coëmat, pactio erit. Iſtiusmodi quoque pactio ſunt induciæ mortuorum ſepeliendorum cauſa poſt prælium factæ.

§. 370.

Quoniam foedus pangitur a ſummis poteſtatibus (§. 369.), conſequenter ab iis, qui imperium ſummum habent (§. 368.), in democratia autem imperium ſummum eſt penes populum (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*), in monarchia penes monarcham (§. 133. *part. 8. Jur. nat.*), in ariſtocratia penes optimates (§. 135. *part. 8. Jur. nat.*), in Regno autem certo modo limitatum, vel diminutum eſſe poteſt (§. 139. *part. 9. Jur. nat.*), ita ut Rex quædam facere vel non poſſit, vel ſaltem ſine populi, aut certorum aliorum conſenſu facere nequeat; *in ſtatu populari foedera pangi nequeunt niſi a populo, in monarchia a monarcha, in ariſtocratia ab optimatibus, in regno vel a Rege, aut cum populi vel certorum aliorum conſenſu, vel ſine eo, vel* *Quinam foedera pangere poſſint.*

a populo, aut certis quibusdam aliis, prouti legibus fundamentalibus fuerit definitum.

Mixtarum Rerump. formae continentur legibus fundamentalibus, ac ideo ex his patet, cuinam jus foedera pangendi competat, aut si in Regem, vel optimates translatum certa lege, quomodo Rex, vel optimates jus istud exercere debeant. Quemadmodum originarie imperium civile est penes populum universum (§. 33. *part. 4. Jur. nat.*); jus quoque percutiendi foedera originarie penes eundem est. Quemadmodum vero populus pro lubitu imperium in personam unam, vel plures conjunctim transferre potest, & a voluntate ipsius dependet, qua lege idem transferre velit (§. 36. *part. 8. Jur. nat.*); ex modo translationis dijudicandum, quantum sit jus Rectoris civitatis in foederibus feriendis.

§. 371.

Qualis consensus populi ad foedus in democratia requiratur.

Quia in democratias seu statu populari foedera iniri nequeunt nisi a populo (§. 370.), in hac autem Reip. forma pro totius populi voluntate habendum, quod parti majori visum fuerit, nisi expresse de nonnullis aliter fuerit conventum, scilicet ut nonnisi vota unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat (§. 157. *part. 8. Jur. nat.*); *in statu populari validum est foedus, in quod pars major populi consentit, nisi expresse fuerit conventum, ut ad faciendum foedus unanimia vota adsint, vel certus votorum numerus vincat.*

Etsi in statu populari imperium plenum & summum sit penes populum (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*); modus tamen exercendi imperium certis legibus adstringi potest. Ac ideo in statu populari dari quoque possunt leges fundamentales (§. 77. *part. 8. Jur. nat.*), ex quibus judicium fieri debet de jure faciendi foedera.

§. 372.

§. 372.

Cum foedera sint pacta, quæ fiunt a summis potestatibus (§. 269.), perinde vero sit, sive quis per se, sive per alium quid faciat, ut mandatum faciendi foedus habeat, cui id faciendum nomine suo a potestate summa committitur (§. 640. *part. 4. Jur. nat.*); *foedus facere possunt, qui mandatum a summa potestate habent.* *De mandato faciendi foedus.*

Nec Gentes ipsæ convenire possunt foederum pangendorum causa, nec eorum Rectores facile ipsi hujus rei causa conveniunt. Quamobrem negotium hoc aliis mandant, veluti legatis, de quibus infra agetur. Unde *Livius* dicit foedera fieri jussu potestatis summae. Quantum vero sit jus eorum, quibus hoc negotium mandatur, ex mandato definiendum, cujus fines excedere nequit qui mandatum habet. Quamobrem quæ dudum alibi, parte nimirum quarta Juris naturæ, de mandato demonstrata sunt; ea ad praesens quoque negotium applicanda veniunt.

§. 373.

Porro quia foedera boni publici causa fiunt (§. 369.); *si summæ potestates, veluti Reges, inter se paciscuntur de rebus privatis, seu ad privatam ipsarum utilitatem spectantibus, vel etiam summa potestas cum homine quodam privato extraneo, pactum hoc foedus non est.* *De pactis privatis summarum potestatum.*

Nimirum ad foedus utrumque requiritur, ut paciscentes sint summæ potestates & ut materia, de qua fit pactio, ad bonum publicum pertineat. Quodsi alterutrum deficiat, foedus non erit, sed pactum privatum censetur. Ita si Rex quidam cum Rege alio paciscatur, ut certam vini quantitatem pro certo pretio sibi vendat; pactum hoc non erit nisi privatum. Consideranda hic est differentia, quæ inter actus

Regis regios & privatos intercedit (§. 284. *part. 8. Jur. nat.*,) cum quoad actus privatos is spectetur tanquam privatus, nec alio jure, quam jure privatorum fruatur (§. 285. *part. 8. Jur. nat.*). Similiter si Rex quidam cum quibusdam subditis alterius contrahit, ut certas merces in regionem suam convehant; pactum hoc privatum est, etsi ob utilitatem publicam initum.

§. 374.

Quænam de foederibus tenenda. Denique cum foedera pacta sint (§. 369.), promissa continentia (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), Gentes autem & earundem Rectores, in quos jus populi translatum (§. 32. 33. *part. 8. Jur. nat.*), jure naturae inter se utantur (§. 3.); *Quæ de pactis atque promissis in Jure naturæ demonstrata sunt, de foederibus quoque valent.*

Superfluum itaque foret ea repetere, quæ in parte tertia Juris naturæ de pactis atque promissis, quæ pacta continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), prolixe demonstrata sunt.

§. 375.

Quaenam de eorum interpretatione. Cum de foederibus valeant, quæ de pactis in Jure naturæ demonstrata sunt (§. 374.), in pactis autem nemo verborum suorum interpres esse possit (§. 461. *part. 6. Jur. nat.*), nec promissario permittendum, ut verba promittentis interpretetur eo sensu, quo eadem intellecta velit (§. 463. *part. 6. Jur. nat.*), sed eidem jus sit cogendi promissorem ad id, quod recta interpretatio suggerit (§. 466. *part. 6. Jur. nat.*); *in foederibus* quoque *neutra pars verborum suorum interpres esse potest, nec promissario permissum verba promittentis eo sensu interpretari, quo eadem intellecta velit, sed competit jus cogendi promissorem ad id, quod recta interpretatio suggerit*, consequenter *ea, quæ fit per regulas interpretandi* cap. 6. Jur. nat. *demonstratas* (§. 465. *part. 6. Jur. nat.*).

Quo-

Quoniam foedera utilitatis publicæ causa panguntur (§. 369.), cum qua utilitas Rectoris civitatis arctissimo vinculo cohæret, etiamsi seponatur pseudopoliticorum insulsa opinio, quasi populus sit propter Rectorem civitatis & ideo in Rep. omnia sint metienda ex utilitate ejusdem privata; nihil facilius contingit, quam ut foederatorum pars utraque tam verba sua, quam alterius ita interpretari velit, prouti sibi utilius. Fieri itaque nequit, quam ut oriantur controversiæ inter foederatos de eo, quod promissum est in foedere, aut exceptum, non aliter terminandæ, nisi admissa interpretatione juxta regulas facta, quas utraque foederatorum pars tanquam veras admittere tenetur (§. 464. *part. 6. Jur. nat.*). Sane qui interpretationem hanc rejicit, injuriam parti alteri facit (§. 466. *part. 6.* §. 859. *part. 1. Jur. nat.*): propterea vero dici nequit, interpretationem foederum esse inutilem, & controversias non nisi vi armorum terminandam. In Jure Gentium quæritur, quid rectum sit & quid Gentes earumque Rectores facere debeant, non vero quid faciant necesse sit, si veritati manus victas dare nolint: alias omne Jus Gentium dicendum foret inutile & Gentibus tribuenda foret licentia agendi, quasi in statu ipsarum valeat bellum omnium contra omnes, ita ut unicuique liceat, quod potest, insuper habita justitia in Gentibus earumque Rectoribus, quæ a civibus exigitur.

§. 376.

De foederibus & promissis servandis a Gentibus earumque Rectoribus, nec fide data fallenda.

Gentes earumque Rectores foedera & promissa servare, nec fidem datam fallere naturaliter obligantur. Foedera enim pacta sunt (§. 369.) & pacta promissiones continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum naturaliter obligemur servare pacta (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*) & promissa (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*), nec fidem datam fallere (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*); quæ vero de pactis & promissis in Jure naturæ demonstrata sunt, de foederibus quoque, quæ a summis po-

teſtatibus (§. 369.), conſequenter a Gentibus earumque Rectoribus panguntur (§. 368. *h.* & §. 33. 42. *part. 8. Jur. nat.)*, valeant; Gentes quoque earumque Rectores foedera & promiſſa ſervare, nec fidem datam fallere naturaliter obligantur.

Nihil magis laudem Gentibus earumque Rectoribus conciliat quam fides integra & illibata, cum maxime interſit, ne fides data fallatur, ſi foedera fuerint inita. Quamobrem cum non modo Gentes (§. 49.), verum etiam inprimis earum Rectores ſtudere debeant, ut eædem gloriam mereantur, nec quicquam committere, quod eandem imminuere, aut labefactare poſſit (§. 51.); Gentibus quoque earumque Rectoribus curæ habendum, ut ſint fidei pleni, conſtantes atque tenaces. Nihil magis famam Gentis, aut Rectoris Gentis apud Gentes exteras inquinat quam perfidia. Inſulſa eſt eorum ambitio, qui cum inter Gentes alias eminere volunt & ad nominis gloriam contendunt, potentia freti fidem fallere religioni ſibi minime ducunt. Averſantur perfidiæ nomen, merito exoſum inter Gentes, quaſi vero perfidus non ſit, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem ſuam adſtrinxit (§. 766. *part. 3. Jur. nat.*). Sed ea eſt hominum temeritas, cujus etiam labe inficiuntur ſummæ poteſtates, ut eſſe non erubeſcant, qui nominari nolunt.

§. 377.

Qualis obligatio contrahatur & quale jus acquiratur ex foederibus.

Ex foederibus perfecta naſcitur obligatio & jus perfectum acquiritur. Foedera enim pacta ſunt (§. 369.), conſequenter promiſſiones ab una parte factas, ab altera acceptatas continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum promiſſor promiſſario perfecte ſeſe obliget (§. 363. *part. 3. Jur. nat.)*, & promiſſario ad id, quod promiſſum eſt, jus perfectum

ctum competat (§. 364. *part. 3. Jur. nat.*); ex foederibus perfecta nascitur obligatio & jus perfectum acquiritur.

Pacta & per consequens foedera inter Gentes non alio fine introducta, quam ut homo unus alium & Gens una aliam sibi perfecte obligaret ad quid præstandum, quo indiget, ita ut jure perfecto ad id, quod præstandum, cum jam gaudeat, id non amplius petere, sed exigere, & præstare nolentem ad præstationem vi adigere possit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Foedera igitur maximæ utilitatis sunt inter Gentes, quæ tamen in cassum it, si fidem fallere liceat fiducia potentiæ.

§. 378.

An violatio foederis sit injuria.

Quoniam ex foederibus acquiritur jus perfectum (§. 377.), qui foedus violat, jus perfectum alterius partis violat. Quamobrem cum violatio juris perfecti injuria sit (§. 859. *part. 8. Jur. nat.*); *Qui foedus violat, parti alteri injuriam facit.*

Hoc notandum est, ut constet, quale jus competat foederato in violatorem foederis. Me vero vel tacente patet, *violari foedus*, si committatur, quod eidem contrarium, vel non præstetur, quod vi ejusdem præstandum.

§. 379.

Gentes foederatæ quænam sint.

Gentes foederatæ dicuntur, quæ foedus quoddam inierunt. Et eodem significatu *Rectores* quoque *civitatum foederati* dicuntur. Idiomate patrio Bundsgenossen appellantur.

Sumitur vocabulum subinde in significatu strictiori pro iis, qui foedere se tuendi juncti sunt, seu foedus de auxiliis in bello sibi invicem præstandis pepigerunt.

§. 380.

§. 380.

Ad quidnam Gentes foederatæ sibi invicem teneantur.

Quoniam Gentes foederatæ foedus quoddam inivérunt (§. 379.), ex foederibus autem perfecta nascitur obligatio (§. 377.) servandi scilicet quod in foedere promissum (§. 376.); *Gentes foederatæ sibi invicem perfecte obligantur ad præstanda ea, de quibus in foedere conventum* (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*), consequentet cum fidem datam fallere non debeant (§. 376.), ne fallere velle videantur, *sibi invicem ea prompte præstare debent.*

Fides laudem conciliat Gentibus earumque Rectoribus. Maxime autem elucet ex promptitudine praestandi ea, de quibus in foedere conventum. Quamobrem cum hæc ipsa promptitudo probet, Gentem esse fidei plenam atque tenacem; Gens, quæ eadem plurimum præstat, gloria maxime excellit, & ex adverso gloriæ ejus multum decedit, si ægre ac difficile ad illud præstandum adducitur. Constat autem præstationes esse duplices, affirmativas & negativas, quarum illæ in dando & faciendo, hæ in omittendo consistunt.

§. 381.

An foedera facere liceat antea jam factis contraria.

Foedera inire non licet foederibus cum alia Gente jam contractis contraria. Si enim foedera ineuntur foederibus cum alia Gente jam contractis contraria; in iis promittuntur, quæ vi foederis antea contracti præstare non licet. Quamobrem cum foedera sint servanda (§. 376.), consequenter ea præstanda, quæ in foedere promissa sunt (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*); impossibile est, ut utrumque foedus servetur, consequenter fides data fallenda: quod cum sit illicitum (§. 376.), nec foedera inire licet foederibus cum alia Gente jam contractis contraria.

E. gr. ponamus conventum esse in priori foedere, ut mihi soli

soli certas merces vendas; non licet foedus inire cum alio, ut eidem quoque merces istiusmodi emere apud te liceat. Similiter si promiseris te tertio cuidam auxilia non missurum, si bello implicetur; foedus cum eo pangere non licet de mutuis auxiliis mittendis, si alteruter vester bello impetatur. Quodsi enim pactum prius servandum, in casu priori nemini nisi mihi merces conventæ vendendæ sunt; in posteriori tertio auxilia non mittenda, si bello impetitur: in utroque igitur casu posterius foedus iniri nequit absque animo fidem datam fallendi in foedere priori, immo foederis prioris violatione. Quando quis foedus init, cum se perfecte obliget ad præstandum id, quod promittit (§. 377.), libertatem suam quoad actum contrarium promisso alienat (§. 360. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem non amplius a voluntate ipsius dependet, utrum contrarium tertio cuidam promittere velit, nec ne.

§. 382.

Foedera quænam priora, quænam posteriora dicantur.

Si diverso tempore *foedera* pangantur cum diversis Gentibus, quæ prius ineuntur, dicuntur *priora;* quæ post alia jam facta demum fiunt, *posteriora.*

Quamvis hæc sine explicatione intelligi posse videantur, brachylogiæ tamen causa explicanda erant, ne in sequentibus aliquid obscuritatis supersit. Opus etiam habemus in disciplinis terminis, ne concise dicta videantur non sufficienter determinata.

§. 383.

De foederibus posterioribus, quæ prioribus contraria.

Foedera posteriora prioribus contraria injusta sunt, nec naturaliter valida. Etenim ex foederibus jus perfectum acquiritur (§. 377.). Quodsi ergo foedera ineantur, quæ prioribus contraria sunt, cum, quod posterioribus promittitur, præstari nequeat, nisi priora violentur foedera; posteriora fiunt contra jus perfectum ejus, cum quo priora inita sunt

(§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.).* Quamobrem cum injustum sit, quod est contra jus alterius (§. *cit. part.* 1. *Phil. pract. univ.);* foedera posteriora prioribus contraria injusta sunt. *Quod erat unum.*

Quodsi foedera posteriora contraria fuerint prioribus, in iis promittuntur, quæ salvis foederibus prioribus promitti nequeunt, consequenter perinde est, ac si rem, quam non amplius habet qui foedus posterius init, promitteret. Quamobrem cum promissio invalida sit, si quis promittit rem, quam se non amplius habere novit (§. 637. *part.* 3. *Jur. nat.)*; foedera posteriora, quæ prioribus contraria sunt, naturaliter invalida sunt. *Quod erat alterum.*

Patet per ea, quæ paulo ante annotata sunt (*not.* §. 381.), foedere priori inito libertatem promittendi contrarium ejus, quod in isto promissum fuit, fuisse alienatam, cum antea eadem polleret promissor (§. 386. *part.* 3. *Jur. nat.*). Paradoxum igitur videri minime debet, quod in demonstratione partis posterioris contrarium ejus, quod in foedere priori promissum, æquiparetur rei, quam non amplius habemus. Poterat etiam æquiparari rei, si mavis, quæ alteri jam antea promissa: quo in casu promissio posterior etiam invalida (§. 681. *part.* 3. *Jur. nat.*). Nimirum quando tibi promitto me hoc facturum, utique simul promitto me non facturum contrarium, quod salvo isto fieri nequit. Quamobrem si contrarium alteri promitto, perinde omnino est, ac si quod tibi me daturum promisi, tibi non dare, sed alteri potius vellem. Ast quoniam hoc non adeo evidens videtur, quam si contrarium promisso priori æquiparetur rei, quam non amplius habemus, in demonstratione hoc potius subsidio uti maluimus. Ceterum si in foedere posteriore continetur, quod salvo priori præstari nequit, promissio quoque facta intelligitur de eo, quod moraliter impossibile, ac ideo foedus invalidum reddit.

§. 384.

§. 384.

De foederibus, quæ ex parte valent, ex parte non valent.

Quoniam foedera posteriora prioribus contraria naturaliter non valent (§. 383.); *si foedus posterius præstationes multiplices contineat, quarum aliæ foederi priori non contradicunt, aliæ autem contradicunt*, ita ut utrumque foedus quoad hasce simul servari non possit, *foedus quoad illas subsistit, quoad hasce vero non valet.*

Nimirum foedus posterius vitio tantummodo laborat quoad præstationes posteriores, non autem quoad priores. Quamobrem ratio nulla est, cur quoad priores subsistere non debeat, licet quoad posteriores subsistere non possit. Juri tertii tantummodo adversatur foedus posterius, quatenus continet quidpiam, quod salvo jure tertii præstari nequit.

§. 385.

De foedere inito cum duobus eadem de causa.

Foedera de eadem causa cum duobus inire licet, si idem duobus præstari potest. Quodsi enim de eadem causa cum duobus foedus pangatur, cum foedus pactum sit (§. 369.), ac ideo promissionem contineat (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), idem bis promittitur. Quamobrem cum promissio utraque valeat, si idem bis promittatur & bis præstari possit (§. 682. *part. 3. Jur. nat.*); foedera quoque de eadem causa cum duobus inire licet, si idem duobus præstari potest.

Ita cum duobus foedus commerciorum causa inire licet, si id fiat sine præjudicio foederati prioris, cum merces exteris vendendæ utrique foederatorum sufficiant, aut saltem nihil fuerit in priori foedere dictum, quo jus foederati ad certam mercium quantitatem extenditur. Similiter auxilia in bello duobus promitti possunt, si vel duobus simul mitti possint, vel non contingat eodem tempore utrumque foederatorum bello implicari. Quoniam posterius non præsumitur, foedus

posterius propterea injustum non est, quod contingere possit, ut uterque foederatorum bello uno eodemque tempore implicetur. Sed casus hic particularis in sequentibus accuratius discutiendus erit.

§. 386.

Quinam in casu collisionis præferendus.

Quodsi in hypothesi propositionis præcedentis casus emergat, in quo utrique foederatorum simul præstari nequit, quod promissum; foederatus prior præfertur posteriori. Quoniam enim foedus inire non licet foederi cum alia Gente contracto jam antea contrarium (§. 381.); quando foedus de eadem causa cum duobus pangitur, posterius tacitam hanc habet clausulam, si salvo jure prioris præstari possit, quod promittitur, aut, quod perinde est, quamdiu idem utrique foederato præstari potest. Quodsi ergo casus emergat, in quo utrique foederatorum simul præstari nequit, quod promissum est, cum exceptio sit facienda (§. 539. *part. 6. Jur. nat.*), per pactum posterius autem jus ex priori quæsitum tolli non possit, *per demonstrata*, foederatus prior præferendus posteriori.

Promissio foederato posteriori facta æquipollet conditionatæ, cum subsit tacita hæc exceptio, si per jus foederati prioris fieri licuerit, seu nisi jus foederati prioris obstet: ast quæ facta est foederato priori, ea absoluta est & omnem tacitam exceptionem respuit. Quodsi ergo foederatus posterior præferretur priori, id foret contra jus hujus, adeoque eidem injuria fieret (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), quod in casu altero, quo idem postponitur, non metuendum. Confer, quæ alibi demonstravimus (§. 546. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 387.

Si foedus posterius contrarietur

Si foedus prius jam expiravit, id minime obstat, quo minus contrarium cum alio pangatur. Etenim si foedus prius expiravit,

vit, jus quoque ex eo quæſitum omne extinctum eſt: id quod per ſe patet. Quamobrem ſi pangatur foedus cum alio priori contrarium, eo ipſo tamen nihil committitur, quod ſit contra jus illius, cui antea foedere junctus quis erat (§. 239. *part. 1. Phil: pract. univ.*). Quamobrem ſi foedus prius jam expiravit, id minime obſtat, quo minus contrarium cum alio pangatur *priori, quod jam expiravit.*

E. gr. ponamus conventum eſſe, ut certæ quædam merces per decennium non vendantur certæ cuidam Genti. Quodſi decennium fuerit præterlapſum, foedus prohibitionem continens expiravit; conſequenter tibi jam liberum eſt Genti huic merces iſtas vendere. Quodſi ergo cum hoc foedus ineas ut merces iſtas nonniſi ipſi vendas, nihil fit contra foedus prius, ſed hoc potius minime obſtat, quo minus foedus poſterius ineas. Dico non ſine ratione, foedus prius, quod expiravit, minime obſtare, quo minus poſterius, quod cum alio pangitur, ſit ei contrarium: neque enim jam quæritur de eo, quod æquitati conſentaneum. Hoc nimirum per alias rationes ab officiis Gentium erga ſe invicem in caſu particulari deſumendas definiendum. Hic tantummodo quæritur, quid ſalvo jure ex priori foedere quæſito fieri poſſit: quod cum nullum ſit, quamprimum foedus expiravit, nullam quoque attentionem meretur, nec in pactione foederis poſterioris aliquod momentum habet. Ita fieri poteſt, ut, qui erat in bello ſocius, finito foedere, ex ſocio fiat hoſtis, cum hoſte foedus iniens.

§. 388.

Si quod ex foedere debetur ſit ex numero officiorum Gentium erga Gentes & tu eodem ipſemet indigeas ad Gentis tuæ conſervationem; Gentem tuam Genti alteri præferre debes, nec violatur foedus, ſi quod promiſſum non præſtes. Etenim in caſu propoſitionis *Quando non præſtando, quod in foedere continetur, idem non violetur.*

nis præsentis officium Gentis erga seipsam colliditur cum officio Gentes erga alias (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum naturaliter officium Gentis erga seipsam vincat officium erga aliam (§. 206.); si cum quadam Gente conveniatur, ut ipsi præstetur, quod Gentes sibi invicem naturaliter per modum officii debent, tacite huic conventioni inest, ut excipiatur casus, quo eodem, quod alteri præstandum, necessario indiges ad Gentis tuæ conservationem. Quamobrem non obstante foedere Gentem tuam præfers alteri, cum qua initum fuit foedus, cumque in casu hoc collisionis Gens altera nullum jus acquirere potuerit ex foedere, si non præstetur, quod promissum est, foedus minime violatur.

Ponamus in foedere contineri, ut frumentum apud te emat Gens foederata. Quodsi ejus tanta fuerit penuria, ut idem vix sufficiat Genti tuæ; foedus minime obstat, quo minus prohibeatur, ne Genti foederatæ frumentum vendatur. Nimirum nemo promittere intelligitur, quod in potestate sua non habet. Quamobrem in istiusmodi foederibus excipiendus omnino est casus, quem quin excepturus fuisset foedus pangens dubitari nequit, si quæsitum ex eo fuisset, num casum istum exceptum, an sub foedere contentum esse velit.

§. 389.

De foederibus, quæ panguntur de eo, quod naturaliter debetur.

Si foedera panguntur de eo, quod naturaliter debetur, jus ad id perfectum acquiritur. Jus Gentium ad ea, quæ sibi invicem naturaliter debent, imperfectum est (§. 157.), foederibus autem jus perfectum acquiritur ad id, quod iisdem contentum (§. 377.). Quodsi ergo foedera pangantur de eo, quod naturaliter debetur; jus ad id perfectum acquiritur.

Patet

Patet hinc ratio, cur foedera de iis pangantur, quæ naturaliter jam debentur, nimirum ut jus proprium ad id acquiratur, & exigi possit, quod antea peti saltem debebat. Accedit ad obligationem naturalem per foedus obligatio positiva, qua libertas quoad præstationes conventas alienatur, ut, quod erat libertatis, nunc sit necessitatis. E. gr. Gentes commercia invicem exercere naturaliter obligantur, quantum in potestate est (§. 187.), jus vero ad commercia nonnisi imperfectum est (§. 189.), nec ad ea exercenda Gentes sibi invicem perfecte obligantur (§. 190.). Jus perfectum ad ea acquiri nequit nisi per pacta (§. 191.). Pacta hæc cum foedera sint (§. 369.); si foedera commerciorum causa panguntur, jus ad commercia cum Gente alia exercenda perfectum erit. Facile autem patet, nobis hic tantummodo esse sermonem de foederibus affirmativis, quæ continent praestationes affirmativas, qualis est concessio commerciorum, quemadmodum quoque superius de actibus positivis intelligimus ea, quæ Gentes sibi invicem naturaliter debent, & de quibus unice valet, quod vulgo dicitur, ultra posse neminem obligari, seu, ut supra diximus, Gentem nullam alteri præstare teneri, quod in potestate sua non est (§. 160.): quæ restrictio naturaliter debitorum, quatenus scilicet in actibus positivis consistunt, alias est juris imperfecti ad ista.

§. 390.

Quoniam per foedera jus perfectum acquiritur ad id, quod Gens una alteri naturaliter debet (§. 389.), jus autem perfectum involvit jus cogendi præstare nolentem, quod conventum est, ut præstet (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *foedera de eo, quod naturaliter jam debetur, pangenda sunt, ut præstatio fiat certa.* *De fine illorum foederum.*

Etenim si denegatur, quod naturaliter Gentes sibi invicem debent, id ferendum (§. 157.), etiamsi iniquitas sit in negatione

tione (§. 159.). Qnodsi ergo soli æquitati confidendum, nulla erit in iis certitudo, quæ a concursu Gentium exterarum dependent. Quamvis itaque supponas quod tamen supponi non posse certum est, Gentes omnes esse officiosas, consequenter ad quævis officia humanitatis sibi invicem præstanda promptissimas (§. 898. *part. 1. Jur. nat.*), quemadmodum esse debebant (§. 353.), easdemque se invicem amare atque diligere, quemadmodum debebant (§. 161.), ita ut obligatio naturalis, quæ, ubi efficax est, parit voluntatem constantem ac perpetuam felicitatem aliarum Gentium promovendi, ac omni studio id agendi, ut sint felices, & cavendi, ne fiant infelices (§. 162.), non novo indigeret robore ab obligatione positiva acquirendo; non tamen foedera forent superflua, cum ne quidem in isto statu negotia Gentium, quæ a concursu aliarum Gentium dependent, certa forent. Etenim officia, quatenus naturaliter a Gente una alteri debentur, non restringuntur ad certam Gentem tanquam ad individuum, vires tamen Gentis nullius sunt inexhaustæ, ut omnibus promiscue sufficiant, quæ auxilio ejus indigent, & per se non extenduntur ultra id, quod in potestate est (§. 160.). Quamobrem cum ignores, utrum a Gente quadam tibi, quod petis, præstari possit citra neglectum officii erga seipsum, nec ne, & per foedus si in potestate sit, de quo judicium est penes ipsam (§. 157.), præstatio ad te tanquam ad individuum restringatur, ut alteri cuidam Genti, cui naturaliter æque obligatur, idem præstare non amplius sit in potestate ipsius, consequenter recte denegetur petenti (§. 156.); certitudo quoque in iis, quæ a concursu aliarum Gentium in Rep. dependent, in eo, quem supposuimus, statu acquiri minime posset nisi per foedera. Absit itaque, ut tibi persuadeas, obligationem naturalem per contractam in eo tantummodo firmari debere, quia plus valet opprobrium perfidiæ ac præsentis ultionis metus, quam pudor & Numinis religio, aut virtutis amor, quamvis non negemus, pro præsenti Gentium statu, in quo amor æquitatis & virtutis non

non prævalet adversus impetum affectuum, qui ad propriam utilitatem Gentes plerasque & earum Rectores rapiunt, opprobrium perfidiæ ac præsentis potissimum ultionis metum magis continere Gentes in officio, quam pudorem & Numinis religionem. Inde autem tantummodo evincitur foederum in hoc Gentium statu major necessitas, quam in eo, quem supposuimus & qui juri naturali convenit, ut ideo foedera non solummodo sint introducta pro præsenti Gentium statu, sed juris quoque naturalis, quatenus Gentes spectantur, quales secundum hoc jus esse debent, non quatenus pravis affectibus in contrarium aguntur. Interest omnino Gentium, ut de eo, quod ab aliis expectandum, sint certæ ac securæ, & hæc potissimum causa est, cur foedera ineunda & ad ea ineunda jus det lex naturæ, etiamsi non supponas, eas esse improbas.

§. 391.

De addendis, quæ jure naturali determinata non sunt.

Si foedera panguntur de eo, quod naturaliter debetur; addere licet, quæ jure naturali determinata non sunt. Etenim per foedera Gens una in alterum transfert jus quoddam, quod ante non habuerat (§. 377. 157.). Enimvero a transferentis voluntate dependet, quomodo jus quoddam in alterum transferre velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem Gentes foedera percutientes convenire possunt, qua lege ad id præstandum, de quo convenitur, obligati esse velint. Quodsi ergo foedera pangunt de eo, quod naturaliter debetur, addere licet, quæ jure naturali determinata non sunt.

Cum Jus naturæ regat omnes actus humanos, quin etiam regat actus quoad addenda in foederibus de eo, quod naturaliter jam per modum officii debetur, factis dubitandum non est. Quamvis enim ea in genere determinata non sint, ex circumstantiis tamen particularibus, quæ ex utraque paciscentium parte in casu dato occurrunt, definiri possunt, & quatenus lex naturæ ad rectitudinem actus cujuslibet obligat (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), definiri

niri debent. Quoniam tamen determinatio iſta difficilis, immo plerumque captum paciſcentium tranſcendit, ac præterea in eo ſtandum ſit judicio proprio Gentis unius cujusque (§. 157.); in foederibus percutiendis regnat paciſcentium arbitrium, nec pars una ab altera plus juris acquirere poteſt, quam hæc in illam transferre voluit, nec una alteram ultra voluntatem ſuam ſibi obligare valet ad aliquid præſtandum (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Atque hinc patet, cur in foederibus, perinde ac in pactis, multa ſint admittenda, quæ officiis non ſatis congruunt, neque ideo omni iniquitatis labe carent, nec eam rectitudinem habent, quam ratio præſcribit. Hoc vero tribuendum eſt partim infirmitati humanæ, cujus omnino habenda eſt ratio, partim vero tolerandum, ut negotia humana exitum habere poſſint, nec jura, quæ acquiruntur, perpetuis diſceptationibus obnoxia fiant.

§. 392.

Quænam addi poſſint.

Quoniam *in foederibus, quæ de eo panguntur, quod naturaliter debetur* per modum officii, addere licet, quæ jure naturali in genere determinata non ſunt (§. 391.); *omnes circumſtantiæ negotii mutuo paciſcentium conſenſu determinari poſſunt, prouti viſum fuerit, vel conveniri datur,* ac per conſequens *foedera reſtringi poſſunt ad perſonas paciscentium, ad certum tempus, ad certos actus & adjici conditiones, ſub quibus aliquid præſtandum, de quo convenitur, exceptiones certorum caſuum, certa onera, clauſulæ commiſſoriae, poenæ non adimpleti foederis, cautiones de foedere non violando & ſi qua præterea alia fuerint hujus generis.*

Ita ſi commerciorum cauſa foedus initur, hoc ſaltem percuti poteſt cum Rege præſente, ita ut eo mortuo expiret. Reſtringi idem poteſt ad certum annorum numerum, veluti ad annos decem & ad certas res, veluti ad frumentum, lanam, pecudes, aut jumenta. Conveniri poteſt, ut certæ merces adve-

advehantur, & pro mercibus, quæ advehuntur, vel etiam avehuntur, certum vectigal ſolvatur, vel ut merces advectæ cum avehendis conventa lege permutentur, ut de certis mercibus advectis nullum vectigal ſolvatur; ut, ſi commercium concedens bello implicetur, durante bello id ceſſare debeat, veluti ſi in foedere conceſſum ſit frumentum & equos coëmere. Similiter conveniri poteſt, ne merces emtæ Genti alii extraneæ vendantur, & ubi hoc factum fuerit, foedus ſtatim nullum eſſe debeat, aut poenæ loco certa pecuniæ ſumma ſolvenda. Cum foedera pangantur utilitatis publicæ cauſa, quæ ex fine civitatis metienda (§. 393. *part. 8. Jur. nat.*); inde paciſcentibus determinanda ſunt ea, quæ in foedere adjicienda: ut tamen utilitas intra terminos æqui contineatur, ratio habenda eſt officiorum Gentium erga ſe invicem. Atque hinc abunde patet, ſaltem perſpicacioribus, arbitrium paciſcentium regi jure naturæ in conſcientia & iniqua eſſe poſſe, quæ vi foederis pro jure valent, quamvis etiam idem jam inde manifeſtum ſit, quod libertas naturalis, unde pendet libera diſpoſitio de eo, quod ſuum eſt, non tollat obligationem naturalem (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*), etſi uniuscujusque conſcientiæ relinquendum, quid agere velit (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), modo non faciat, quod eſt contra jus perfectum tuum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Non omnia recta ſunt, quæ vi libertatis naturalis alteri permittenda, & in quæ conſentire indigentia, impotentia, aut dura lex neceſſitas partem alteram cogit, ut ideo jura perfecta, quæ acquiruntur, haud raro æquitati adverſentur, & ſi rigorem juris naturalis, quæ unice in conſcientia valet, ſpectes, nihil minus quam juris nomen mereantur. Quemadmodum itaque vulgo dicitur, ſine magna injuria nullam regi Remp. ita etiam recte dicitur, ſine iniquitate ſæpiſſime non acquiri jus perfectum, præſertim inter Gentes. Neque vero hoc a ſenſu communi adeo abhorret, quemadmodum primum videri poterat. Si qui enim in negotiis cum aliis conſcientiæ rationem habent, quatenus nimi-

rum officiis ex amore universali hominum erga homines & Gentium erga Gentes fluentibus locum dant; laudantur minimum ab illis, qui obtentu juris lucri cupiditatem excusare necesse minime habent. Plura non addo, ne quid durius dictum videatur in alios, qui viri boni habentur. Videant ipsi, qui tales haberi volunt, num revera sint (§. 967. *& seqq. part.* 5. *Jur. nat.*). Ceterum hinc quoque patet ratio, cur, quo quis jurium apprime peritus fuerit acutior, eo magis noceat in administratione justitiæ, nisi idem fuerit vir bonus, ac per consequens veritatis amans (§. 971. *part.* 5. *Jur. nat.*).

§. 392.

De foederibus de non lædendo.

Foedera inire de non lædendo necesse non est: quodsi tamen Gentis cujusdam mentem pervaserit perversa hoc opinio, quasi Gentes exteras pro lubitu lædere liceat, foedera de non lædendo recte panguntur. Etenim homini, consequenter etiam Genti cuique (§. 3.), competit jus perfectum non patiendi, ut lædatur (§. 913. *part.* 1. *Jur. nat.*) &, si quis lædere conetur, jus eum cogendi ne faciat (§. 914. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum foedera non pangantur alio fine, quam ut jus perfectum acquiratur (§. 377.), jura autem perfecta acquirantur, ut nolentem ad idem tibi tribuendum cogere possis (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); foedera de non lædendo demum inire necesse non est. *Quod erat unum.*

Enimvero si Gentis cujusdam mentem pervaserit perversa hæc opinio, quatenus Gentes exteras pro lubitu lædere liceat, cum eandem animo ejus evellere nequeas, non vero semper consultum sit vi armorum injurias vindicare; alio modo prospicere tibi nequis, quam per foedera, quæ servanda esse Gens ista in dubium minime vocat. Quamobrem cum quilibet, consequenter etiam Gens quælibet (§. 3.),

(§. 3.), omne damnum a se avertere debeat, quantum potest (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); quin foedera de non lædendo recte pangantur, si cujusdam Gentis mentem pervaserit perversa hæc opinio, quasi Gentes exteras pro lubitu lædere liceat, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Cum Genti unicuique competat jus perfectum non patiendi, ut ab altera lædatur (§. 252. 253.); ex foedere de non lædendo non acquirit jus, nisi quod jam habet. Non tamen propterea foedus de non lædendo inutile existimandum. Quodsi enim obligatio contracta firmior deprehendatur naturali, præstat de læsione esse securam Gentem, quam uti jure vi armorum eam vindicandi, aut intentatam repellendi. Et quamvis istiusmodi foedera recte pudenda dicantur, quatenus Gentem pudere debet, ut lædat aliam; pudor tamen iste nullus est in Gente, cujus mens perversa illa opinione imbuta, quasi liceat Gentes exteras pro lubitu lædere, etsi foedera servanda esse credat. Quamdiu itaque errorem istum ex animo ejusdem evellere non potes, eidem quoque aliquid dandum est, veluti ut pacto foedere certo tributo redimantur injuriæ, vel alia quacunque præstatione utili, quæ motivum esse potest servandi pactum.

§. 394.

Fodera amicitiæ dicuntur, quæ de officiis humanitatis præstandis, aut de non lædendo contrahuntur. *Foedera amicitiæ quænam sint.*

Quid de foederibus istis tenendum sit, ex iis patet, quæ in proxime præcedentibus demonstrata & uberius exposita fuerunt.

§. 395.

Foedera æqualia dicuntur, quando partes paciscentes sibi invicem eadem, aut æquivalentia promittunt. Quamobrem cum eadem sint, quæ sibi invicem substitui possunt, *Foedera æqualia quænam sint.*

ſalvo omni reſpectu (§. 181. *Ontol.*); *in foederibus æqualibus promiſſum partis unius ſubſtitui poteſt in locum promiſſi alterius, obſervata* ſcilicet *æquivalentium æſtimatione*, *non mutata promittentium conditione*, ac per conſequens *foedus æquale ineuntium eadem eſt conditio*, *neutrius partis conditio eodem redditur deterior.*

Iſtiusmodi foedus eſt, quo continetur, ut utrique parti liberum ſit commercii exercitium, nec majus vectigal ſolvatur ab una, quam ab altera, aut ut ab utraque parte nullum ſolvatur. Tale etiam eſt, quo convenitur, ne intra certos terminos munimenta extruere liceat, vel ut jam extructa ſubvertantur. Huc porro refer, ſi conveniatur, ne alter tranſitum hoſti alterius per terras ſuas permittat, aut ne eidem auxilia ferat.

§. 396.

Unde pendeat diverſitas foederum.

Quoniam diverſa ſunt negotia publica, in quibus Gens una alteri prodeſſe poteſt, quod a poſteriori ſatis notum; *pro diverſitate negotiorum publicorum variant foedera æqualia, quæ inter Gentes ſiunt.*

Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 15. §. 6. foedera æqualia dividit in æqualia pacis & æqualia ſocietatis. Ad illa refert, quæ ſiunt de reſtituendis captivis, rebus captis & ad ſecuritatem: de quibus infra ſuo loco erit agendum. Hisce vero accenſet, quæ pertinent ad commercia, veluti ne vectigal ullum ſolvatur, aut ne majus ſolvatur, quam in præſens, aut ad certam quantitatem, ad belli communitatem, veluti ut præſtentur auxilia paria equitum, peditum, navium, ſive ad omne bellum, ſive ad certum, aut in certos hoſtes, aut in omnes quidem, ſed exceptis ſociis. Non diffitetur tamen foedus etiam ad res alias pertinere; id quod exempla paulo ante commemorata (*not.* §. 395.) docent. Quoniam nobis propoſitum non eſt de ſingulis foederum ſpeciebus ſigillatim agere, ſed in generalibus ſubſiſtere nos jubet inſtituti ratio; ideo neceſſarium eſſe non duxi-

duximus, ut genera in suas species dividamus, sed nobis sufficit indicasse, differentiam specificam petendam esse ab objecto, seu materia foederum.

§. 397.

Si in potestate Gentium foedus ineuntium fuerit, ut paria sibi invicem præstent; naturaliter foedus æquale inire debent, nisi subsit singularis ratio, cur ab æqualitate recedatur. Quoniam enim nemo tenetur alteri gratis dare vel facere, si is vicissim dare, vel facere possit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*); Gentes quoque sibi invicem ad præstationes gratuitas naturaliter non obligantur, si in earum potestate fuerit, ut paria sibi invicem præstent (§. 3. *h.* & §. 80. *part. 3. Jur. nat.*). Quia foedera pacta sunt (§. 369.), ac per consequens nonnisi de dando & faciendo, seu de certis præstationibus fiunt (§. 797. *part. 3. Jur. nat.*); si in potestate Gentium foedus ineuntium fuerit, ut paria sibi invicem præstent, naturaliter foedus æquale inire debent. *Quod erat unum.*

Quando foedera æqualia ineunda.

Enimvero si singularis quædam fuerit ratio, cur ab æqualitate recedatur, necesse est, ut Gens una alteri ex alia causa vel naturaliter per modum officii, vel jure perfecto obligata sit ad aliquid præstandum, etiamsi ab altera vicissim eidem nihil præstetur. Quamobrem patet æquitati naturali, quæ jubet æqualitatem in foedere observari, *per demonstrata*, minime repugnare, ut in eo pangendo ab æqualitate recedatur (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

E. gr. Ponamus societatem bellicam contrahi. Quodsi gentes fuerint æque potentes, ut paria sibi invicem auxilia præstent in bello; æquitati naturali maxime convenit, ut foedus sit æquale. Ponamus vero Gentem unam alteri in summa

ma annonæ caritate subministrasse frumentum pro æquo pretio, etsi ipsamet eodem non abundaret. Quodsi posthac societas bellica ineatur, cum etiam Gentes ad beneficium reddendum occasione oblata sibi invicem obligentur (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 3. *h.*); iniquum dici nequit, si Gens, quæ beneficium accepit, sese obliget ad majorem numerum militum præstandum in bello, quam quæ beneficium dedit. Casus alius esse potest, si Gens una alteri remittat debitum sub hac conditione, ut milites, quos mittit, suo sumtu sustentet, cum ipsa ab hoc onere libera sit. Nemo non agnoscit, in contractibus onerosis observandam esse æqualitatem, ut unus contrahentium tantundem recipiat ab altero, quantum ipse dat (§. 898. *part.* 4. *Jur. nat.*), immo ut recte monuit *Grotius* l. 2. c. 12. §. 13. in contractibus quoque beneficis quandam spectari rei æqualitatem ex suppositione ejus, quod agitur, ne quis scilicet ex beneficio damnum sentiat, veluti ut commodatarius damnum resarcire teneatur commodanti, si res commodata fuerit deteriorata, vel prorsus destructa (§. 446. & *seqq. part.* 4. *Jur. nat.*), ut damnum sit mutuatarii, si res mutuo data ante usum interierit, vel deteriorata fuerit (§. 574. *part.* 4. *Jur. nat.*), ut deponens restituat impensas in rei depositæ conservationem factas a depositario (§. 592. *part.* 4. *Jur. nat.*), ut mandatarius præstetur indemnis (§. 682. *part.* 4. *Jur. nat.*), & quæ sunt alia hujus generis citra violationem æquitatis non omittenda. Quoniam itaque Gentes naturaliter inter se non utuntur alio jure, quam naturali, quod natura competit singulis hominibus (§. 3.); nemo non agnoscere tenetur, Gentes in foederibus eadem religione æqualitatem spectare debere, quæ in contractibus privatorum observatur, quatenus id in potestate est. Immo si ab æqualitate recedatur ob singularem quandam rationem, etiamsi in potestate foret, ut utrinque paria præstentur, ubi rem penitius inspicere lubet, ipsa æqualitas observatur, quia quod plus præstatur ab una parte, compensatur per id, quod ab altera parte antea jam præstitum fuit, aut

alio

alio modo vel in præsens præstatur, vel in posterum præstitum iri spes est citra foedus.

§. 398.

Foedera inæqualia sunt, in quibus ab utraque paciscentium parte eadem, aut æquivalentia non promittuntur. Unde patet, *in foederibus inæqualibus partem unam alteri quid promittere, nec vicissim sibi idem, aut quod æquivaleat restipulari, vel plus promittere, quam sibi repromittitur.* Unde porro consequitur, *ut unius paciscentis conditio foedere reddatur deterior*, seu *foedus inæquale ineuntium conditio non sit par.* Dividuntur foedera inæqualia in inæqualia ex parte digniori & inæqualia ex parte minus digna. *Foedus inæquale ex parte digniori* est, si qui potentior est seu plus præstare valet, præstationes vel gratuitas, vel majores promittit. *Foedus* autem *inæquale ex parte minus digna* est, si qui impotentior est, aut præstatione aliqua nimium oneratur, præstationes vel gratuitas, vel majores, aut tales, quæ eum valde gravant, promittat. *Quænam foedera sint inæqualia.*

Ita foedus inæquale ex parte digniori est, si foederatus potentior promittat auxilia alteri, nec restipuletur, aut si majora promittat, aut si promittat auxilia suo sumtu sustentanda, ipsi vero æqualia proprio sumtu sustentenda repromittuntur. Huc etiam refer, si potentior commercia concedit sine solutione vectigalis, impotentior autem certum vectigal sibi stipuletur. Ex adverso foedus inæquale ex parte minus digna est, si quis promittere tenetur, ne absque consensu partis alterius bellum alicui faciat, ut hostes & amicos habeat, quos velit pars altera, ne munimenta aliquo in loco construat, ne militem certis locis conscribat & quæ sunt alia hujus generis a *Grotio* loc. cit. §. 7. commemorata, vel aliunde iisdem addenda.

§. 399.

De foederibus cum imminutione imperii, & sine ejus imminutione.

Foedera inæqualia ex parte indigniori alia sunt cum imminutione imperii, alia sine ejusdem imminutione. Nimirum conveniri potest, ut actus aliqui ad exercitium summi imperii spectantes subjiciiantur juri partis alterius paciscentis, ut vel suspendantur ab ejus consensu, vel pars quædam imperii potentialis parti huic conveniat. In utroque vero casu imperium summum imminui patet, cum in utroque actus quidam ad exercitium imperii spectantes a parte altera irriti fieri possint, quod utique summitatem imperii imminuit (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*), & in casu præsertim posteriori populus, seu ejus Rector pati tenetur, ut pars altera sese immisceat regimini ipsius, id quod vi summi imperii, quæ a libertate Gentium naturali dependet, pati alias minime tenetur (§. 269.). Manifestum itaque est, foedera inæqualia ex parte indigniori conjuncta esse posse cum imminutione imperii. *Quod erat unum.*

Non tamen omnia, de quibus in foedere inæquali convenitur & quæ partem indigniorem nimis gravant (§. 398.), sunt actus ad exercitium summi imperii spectantes, sed saltem tales, ut pars indignior quædam facere in utilitatem dignioris, aut non facere teneatur, veluti si exercitui, cui cum parte altera bellum est, transitum per terras suas, aut commeatum dare non debet, vel socios illius non oppugnare, aut si moenia diruenda, vel certa pecuniæ summa solvenda. Hos enim & similes actus non pertinere ad imperii civilis exercitium, ex ipsa ejus definitione patet (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*). Evidens itaque est, non omnia foedera inæqualia ex parte indigniori cum imminutione imperii esse conjuncta, sed dari etiam alia plurima, quæ sine ejusdem imminutione sunt. *Quod erat alterum.*

Exemplum

Exemplum foederis cum imminutione imperii est, ne cui bellum faciat pars indignior sine consensu, aut injussu partis dignioris. Ast sine imminurione imperii erit foedus, si parti minus dignæ non liceat sine permissu partis dignioris bellum facere certæ cuidam Genti. In casu nimirum priori omne exercitium alicujus juris ad imperium civile spectantis juri alieno subjicitur, quo ipso utique potestas civilis minuitur; in casu autem posteriori pars minus digna foederis saltem sese obligat ad aliquid singulare non faciendum, quod alias vi imperii summi facere poterat, quo in casu potestas civilis nulla ex parte imminuitur. Ad differentiam hanc animum non advertunt, qui putant foedus omne inæquale ex parte indigniori imminuere imperium summum, aut plurima saltem foedera istiusmodi in eorum numerum referunt, quibus imperium summum imminuitur, cum tamen saltem factum aliquod imperantis faciant vel illicitum, vel necessarium, quod alias ipsi erat liberum, sive onus fuerit transitorium, veluti si moenia diruenda, aut certis locis decedendum, sive permanens, veluti si urbem condere non liceat, vel militem certis locis non conscribere, aut in certum locum non navigare. Confusio hæc ut evitetur, subjicere lubet definitiones foederum inæqualium cum imminutione imperii & sine eadem.

§. 400.

Foedus inæquale ex parte indigniori cum imminutione imperii est, quo jus quoddam ad imperium civile spectans, seu pars quædam imperii potentialis quoad exercitium, vel etiam substantiam seu proprietatem transfertur in partem digniorem, aut saltem jus in omnes actus ad exercitium juris istius spectantes. Ast ex adverso *inæquale sine imminutione imperii* est, quo pars minus digna sese saltem obligat ad certum quid faciendum, vel non faciendum, quod alias vi summi imperii, vel libertatis *Definitiones illorum foederum.*

 natu-

naturalis, aut juris qua Genti sibi competentis non facere, vel facere licebat.

Veritas harum definitionum patet ex iis, quæ ad propositionis præcedentis veritatem evincendam dicta sunt, & exempla, quæ ibidem dedimus, easdem illustrant. Qui animo comprehendit ea, quæ de imperio civili in Jure publico universali parte octava Juris naturalis & de promissionibus atque pactis parte tertia ejusdem abunde dicta sunt; ei nihil obscuritatis quoad definitiones præsentes supererit. Patet inde, si imperium civile plenum, aut, si mavis totum, in alterum transferatur, id transferri posse vel quoad exercitium, vel quoad ipsam substantiam (§. 39. *part. 8. Jur. nat.*). Et idem intelligitur de parte qualibet potentiali (§. 64. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem nil obstat, quo minus etiam foedere pars quædam potentialis imperii in foederatum transferatur quoad substantiam, licet id non præsumatur, cum in pactis non præsumatur onus majus, sed minus, ne quis magis gravetur, quam gravari voluit, nec immerito dubitetur, an unquam foedus istiusmodi fuerit initum, quo foederato digniori ab indigniori pars quædam imperii potentialis propria facta fuerit, ut de eadem pro lubitu disponere eamque libere alienare potuerit. Ast cum in Jure Gentium non agatur de eo, quod factum est, vel hodienum fit, sed quod fieri potest; ut in definitione foederis cum imminutione imperii habeatur ratio translationis quoad substantiam, seu proprietatem; sufficit utique, translationem hanc esse possibilem. Acutiores quoque facile prævident, emergere posse casus, in quibus alienationem suadet utilitas habentis, si jure fieri possit. Quoniam vero imperium in partes potentiales divisum summum esse potest pro qualibet parte divisa (§. 65. *part. 8. Jur. nat.*); summitas imperii utique imminuitur, si pars quædam potentialis imperio subducitur: id quod adeo evidens est, ut, qui id negare ausit, concedere teneatur partem majorem totius in duas partes admodum inæquales divisi esse toti æqualem. Summitas imperii pleni

pleni utique major est summitate minus pleni (§. 62. *part. 8. Jur. nat.*). Attendenda vero hic inprimis est differentia quoad translationem ipsius partis potentialis imperii, sive quoad exercitium tantummodo, sive quoad ipsam substantiam & quoad translationem juris in actus ad exercitium juris spectantes. In casu enim priori foederato digniori competit jus imperandi indigniori pro lubitu, ut faciat, ac prohibendi ne faciat, tumque dicitur indignior facere non posse injussu dignioris; in casu autem posteriori digniori foederato saltem jus est non permittendi, ut indignior quid faciat, se inscio ac inconsulto, nec consensu suo requisito, vel etiam non faciat. Quemadmodum vero plures sunt partes imperii potentiales, in quod imperium summum dividi potest & quæ jura majestatica appellantur (§. 207. *part. 8. Jur. nat.*); ita quoque foedera plura fieri possunt, quæ sunt cum imminutione imperii conjuncta. Ita e. g. in foedere contineri potest, ne sine consensu partis dignioris minus digna leges novas ferre, aut veteres immutare & ne nova tributa imponere possit, vel etiam ut jussu illius legem novam ferre, aut veterem quandam abrogare, vel tributum novum imponere debeat. Obiter monemus, quando possibilitas intrinseca demonstratur a priori, quemadmodum fieri a nobis solet ac scientia ut fiat jubet, non opus esse exemplis ex historia petitis, ea tamen hunc adhuc habere usum, ut pateat, casum esse dabilem, quem possibilem cognovimus, cum quod semel, vel aliquoties jam factum est, iterum fieri posse præsumatur. Minime igitur improbamus, exempla ex veterum & recentiorum Annalibus adduci in Jure publico universali & Jure Gentium inprimis, etsi ab aliis jam allata coacervari consultum minime ducamus, ne præter necessitatem simus prolixiores, nec nova conquirere nobis vacet.

§. 401.

De differentia juris ex foedere inæ-

Quoniam in foedere inæquali cum imminutione imperii in foederatum digniorem jus quoddam ad exercitium impe-

quali cum imminutione imperii. imperii ſpectans transfertur ſive quoad exercitium, ſive quoad ſubſtantiam, vel ſaltem jus quoddam in ſingulos actus ad exercitium juris cujusdam majeſtatici ſpectantes (§. 400.), quando vero imperium, conſequenter etiam ſaltem jus quoddam ad idem pertinens, (§. 61. *part. 8. Jur. nat.)*, in alterum transfertur quoad exercitium, is idem habet in uſufructu, ſi vero quoad ſubſtantiam idem jure proprietatis poſſidet (§. 40. *part. 8. Jur. nat.)*, & quando jus ſaltem alicui conceditur in actus ſingulos ad exercitium juris alicujus majeſtatici pertinentes, ut ſcilicet ad eos conſenſu ipſius ſit opus, jus majeſtaticum limitatur (§. 66. *part. 8. Jur. nat.)*; *ſi in foedere inæquali jus quoddam majeſtaticum transfertur quoad exercitium in foederatum digniorem, is idem in uſufructu habet, ſi quoad ſubſtantiam, jure proprietatis idem poſſidet; ſi vero ſaltem jus in ſingulos actus ad exercitium juris cujusdam majeſtatici ſpectantes,* ſcilicet ut ad eos requiratur conſenſus foederati dignioris, *jus iſtud majeſtaticum limitatur*, ac per conſequens *in caſu primo valent ea, quæ in Jure publico univerſali (part. 8. Jur. nat.) de imperio uſufructuario, in ſecundo, quæ de patrimoniali, in tertio, quæ de limitato demonſtrata ſunt.*

Imperium civile eſt complexus multorum jurium, quæ ſimul ſumta idem conficiunt, perinde ac partes ſimul ſumtæ totum conſtituunt (§. 61. *part. 8. Jur. nat.*). Sive igitur imperium plenum, ſeu omnia illa jura ſimul in aliquem transferantur, ſive ſaltem unum; jus accipientis metiendum eſt ex modo, quo id in eum transferre voluit transferens (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem quæ de imperio civili in alium translato demonſtrata ſunt; ea utique etiam valent de jure quodam majeſtatico in alium translato. Qui contendunt, imminutionem imperii per foedus inæquale non afficere ſummitatem imperii, animum non attendunt ad notionem ſummi-

tatis

tatis imperii, quæ consistit in independentia exercitii ejusdem ab alterius cujusdam voluntate, ita ut nemini in actus ad idem pertinentes jus quoddam competat (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*), nec ullus horum actuum ab alio irritus reddi possit (§. 45. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 402.

Quia in foedere inæquali cum imminutione imperii vel jus quoddam majestaticum transfertur in foederatum digniorem, vel jus quoddam in singulos actus ad exercitium juris cujusdam majestatici spectantes (§. 400.), ac per consequens in casu priori foederatus dignior inferiori imperare potest, quæ pars indignior facere, aut non facere debet, in casu posteriori requirendus est foederati dignioris consensus ad ea, quæ fieri debent; *foedere inæquali cum imminutione imperii actus quidam ad exercitium imperii civilis spectantes efficiuntur dependentes a voluntate foederati dignioris* (§. 851. *Ontol.*). *Ejus effectus.*

Atque hinc patet ratio, cur foedera ista dicantur fieri cum imminutione imperii, quia scilicet imperans quædam imperare nequit, quæ vi imperii civilis imperari possunt, vel saltem nequit ea imperare pro lubitu. Verborum igitur complexui, quo foedera ista designantur & ab aliis distinguuntur, inest veritas, nec opus est, ut a significatu recepto vocabuli imminutionis recedatur. Nonne enim jus ejus imminuitur, qui minus facere potest, quam vi juris istius facere poterat?

§. 403.

Cum nemo ab altero plus juris acquirere possit, quam in eum transferre voluit transferens (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), in foedere autem inæquali cum imminutione imperii in foederatum digniorem transferatur vel jus aliquod majestaticum, vel jus in actus singulos ad exercitium ejus juris *Quousque is extendatur.*

ris

ris ſpectantes (§. 400.), & per hoc actus quidam ad exercitium imperii civilis ſpectantes efficiantur dependentes a voluntate dignioris foederati (§. 402.), conſequenter ſummitati imperii ex parte foederati indignioris detrahatur (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*); *jura majeſtatica reliqua omnia, quæ foedus inæquale cum imminutione imperii non attingit, illibata manent*, conſequenter *imperium civile quoad ea omnia ex parte foederati indignioris manet ſummum, nec ultra id, quod conventum eſt, ejus regimini ſeſe immiſcere poteſt foederatus dignior* (§. 269.).

E. gr. Si fuerit conventum, ne cui bellum faciat foederatus indignior ſive injuſſu, ſive ſine conſenſu foederati dignioris; foederatus indignior tamen ſe defendere poteſt adverſus aggreſſorem, inconſulto foederato digniori, quia foedus tantummodo intelligitur de bello offenſivo, non defenſivo. Similiter ſi conventum fuerit, ut bellum juſſu foederati dignioris facere debeat indignior, facere non tenetur manifeſto injuſtum, cum pactum de re illicita initum non valeat, conſequenter foedus intelligi nequeat niſi de bello juſto. Ceterum ſi tantummodo conventum de jure belli, non poteſt ſibi foederatus dignior jus quoddam arrogare in actus ad exercitium juris majeſtatici alterius cujuscunque ſpectantes, veluti prohibere nequit, ne foederatus indignior nova quædam tributa indicat ſubditis, aut alio modo eosdem nimis oneret, etiamſi ſubditi ejus opem implorent. Quamvis nimirum male imperet, foedus tamen foederati dignioris judicio regimen indignioris non ſubjicit, multo minus tribuit eidem jus coërcendi male imperantem.

§. 404.

Quando foedera inæqualia ex parte digniori æqua ſint.

Si qua Gens plura præſtare poſſit alteri, quam ea viciſſim ipſi præſtare poteſt; foedera inæqualia ex parte digniori legi naturæ maxime conveniunt. Idem intelligitur, ſiqua Gens alteri quid præ-

ſtare

stare possit, etiamsi ab altera nihil vicissim præstari queat. Quælibet enim Gens alteri cuicunque debet, quod sibi, quatenus altera id non habet in potestate sua, ipsa autem citra neglectum officii erga seipsam hoc alteri præstare potest (§. 156.). Quamobrem cum foedera de eo, quod naturaliter debetur pangenda sint, ut præstatio fiat certa (§. 390.), gratis vero alteri præstare quid non teneamur, si is vicissim præstare possit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*); si qua Gens plura præstare possit alteri, quam ea vicissim ipsi præstare potest, plura præstare naturaliter debet. Quoniam itaque foedera ex parte digniori inæqualia sunt, si Gens, quæ plura alteri præstare valet, quam ea vicissim ipsi præstare potest, plura promittit, quam ipsi repromittuntur (§. 398.); si qua Gens plura præstare possit alteri, quam ea vicissim ipsi præstare potest, foedera inæqualia ex parte digniori legi naturæ maxime conveniunt. *Quod erat unum.*

Eodem modo ostenditur, foedus inæquale ex parte digniori legi naturæ maxime convenire, si qua Gens alteri quid præstare possit, pro quo vicissim hæc ipsi nihil præstare valet. *Quod erat alterum.*

Quæstio hic est de æquitate foederum inæqualium ex parte digniori, ut cum sensu officii pangantur, nec quicquam fiat, quod in conscientia reprehendi possit. Quamobrem rationes desumendæ sunt ab officiis Gentium erga se invicem & a modo, quo debentur, ne quis observetur rectitudinis defectus. Quamvis enim utilitatis causa pangantur foedera, & ejus quoque in iis pangendis habenda sit ratio; consideratio tamen juris interni præcedere debet, & eam sequitur consideratio utilitatis, quæ sine isto foedus labe quadam inficit, & alterutri parti non iniquam conquerendi causam præbet, aut justam reprehensionem in eo, qui perfectioni status sui minus prospi-

cit, quam poterat atque debebat. Ponamus, foedus societatis bellicæ contrahi a Gente potente cum minus potente. Fit istud recte inæquale ex parte digniori, quia potens majora auxilia præstare potest minus potente. Ponamus porro Gentem minus potentem sibi non sine ratione metuere, ne a Gente vicina præpotente opprimatur. Foedus cum alia Gente potente inæquale recte contrahitur, ut sibi præstentur auxilia in bello, etiamsi ipsa vicissim nulla promittere possit. Accedit vero ad hoc foedus utilitas ex parte digniori, si hujus intersit, ne Gentem præpotentem habeat vicinam, consequenter ne minus potens ab ea opprimatur. Atque hinc patet, quomodo in pangendis foederibus ratio habenda sit utilitatis, etiamsi ante expendatur eorum æquitas, ne quid fiat, nisi quod officiis ex asse conveniat. Si quis objiciat anxiam istiusmodi scrupulositatem parum probatum iri Gentibus earumque Rectoribus; objectionem istam non moramur, cum veritati unice litantes quæramus, quid rectum sit, non vero quid placeat iis, qui, cum ex utilitate propria omnia metiantur, salutem communem Gentium pessum dant, & salutis suæ munimenta tandem evertunt. Sunt enim homines ac inprimis Rectores civitatis miseriarum fabri, quatenus non sunt tenaces officiorum, quæ urget lex naturæ, & quæ sunt media felicitatis tam singulorum, quam Gentium, totiusque generis humani.

§. 405.

De æquitate foederis inæqualis ex parte indigniori.

Si qua officia Gentis erga seipsam, vel etiam erga aliam exigunt, ut ab alia Gente quædam ipsi præstentur, pro quibus vicissim ipsa nihil præstet, quamvis præstare possit, aut ut præstentur plura, vel ut ipsa alteri hoc faciat; foedus inæquale legi naturæ minime repugnat, seu non erit iniquum. Cum enim officia lege naturæ præscribantur (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad quam servandam obligantur etiam Gentes (§. 3. *h.* & §. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*); lex quoque naturæ dat nobis jus ad ea, sine quibus

quibus iisdem satisfacere non possumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo officia Gentis erga seipsam exigunt, ut ab alia Gente quædam ipsi præstentur, pro quibus vicissim nihil præstat, vel etiam, ut præstentur plura; de iis ita pacisci legi naturæ minime repugnat. Quamobrem cum pacta istiusmodi sint foedera inæqualia ex parte indigniori (§. 369. 398.); pacta inæqualia ex parte indigniori legi naturæ non repugnant, consequenter iniqua non sunt (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*), si qua officia Gentis erga seipsam exigunt, ut ab alia Gente quædam ipsi præstentur, pro quibus vicissim ipsa nihil præstet, quamvis præstare posset, aut ut præstentur plura. *Quod erat primum.*

Non absimili modo ostenditur, foedus inæquale ex parte indigniori legi naturæ minime repugnare, seu iniquum non esse, si officium aliquod erga Gentem aliam exigat, ut quædam ipsi præstentur gratis, vel ut saltem plura præstentur, quamvis Gens altera paria præstare posset. *Quod erat alterum.*

Nimirum in utroque casu singularis adest ratio Juri naturæ probata, cur in foedere non observetur æqualitas, quæ observari poterat, & ratione ista cessante debebat observari. Exemplum in casu priori est, si periculosum sit Genti uni, ut altera certo loco munimenta habeat, cum illa damnum, quantum potest, a se avertere debeat (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), recte in foedere stipulatur, ut munimenta diruantur, vel ut ne eo in loco condantur. Exemplum in casu posteriori est, quod supra dedimus de eo, quod ad significandum animum gratum præstatur (*not.* §. 397.).

§. 406.

De foederis inæqualis punitivi æquitate.

Si qua Gens læsa cum altera convenit, ut poenae nomine certi quid præstet intra æqui terminos; foedus inæquale ex parte indigniori licitum est. Etenim Genti unicuique competit jus puniendi alteram, quæ ipsam læsit (§. 272.). Quamobrem cum poena exigatur læsionis ulterioris avertendæ causa (§. 1062. *part. 1. Jur. nat.*), & tantundem liceat in lædentem, quantum ad avertendum sufficit (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*); si qua Gens ab altera læsa fuit, eidem quoque cum altera convenire licet, ut poenæ nomine certi quid præstet, sed quia poena gravior illicita est, ubi levior sufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*), intra æqui terminos (§. 240 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Foedus istiusmodi inæquale est ex parte indigniori (§. 400.). Quamobrem foedus inæquale ex parte indigniori licitum est, quo Gens læsa cum altera convenit, ut poenæ nomine certi quid præstet.

Non est, quod existimes, propositionem præsentem non esse sufficienter determinatam, quando dicitur, de eo, quod poenæ nomine præstandum, conveniendum esse intra æqui terminos. Jus enim puniendi per se infinitum est (§. 1063. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter limites eidem præscribi nequeunt nisi ex circumstantiis singularibus (§. 977. *part. 1. Jur. nat.*). Ex his enim judicium fieri debet, quid læsioni ulteriori præcavendæ sufficiat, ultra quod poenam extendere non licet (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*). Poenæ nimirum exemplari, quatenus ulterius quid permittit (§. 1068. *part. 1. Jur. nat.*), vix locus est inter Gentes. Et ubi eadem opus esse videtur, sufficere potest, ut onus poenæ nomine imponendum sit manens, non transitorium, ut memoria poenæ conservetur, quamvis etiam inter transitoria esse possint subinde, quæ eidem fini serviunt, veluti si moenia cujusdam urbis sint diruenda,

diruenda, aut, si locus maritimus non sit muniendus ex ea parte, quæ mare respicit.

§. 407.

Foedera inter Gentes valida sunt, si in modo paciscendi nihil vitii hæret, non attenta eorum æquitate, vel iniquitate. Ex foederibus enim acquiruntur jura perfecta (§. 377.), quæ nempe Gens una in alteram transfert, dum ad ea præstanda, de quibus convenitur, sese obligat (§. 380.), cumque de foederibus valeant, quæ de pactis & promissis in Jure naturæ demonstrantur (§. 374.), quæ ob vitium modo paciscendi inhærens pacta & promissa infirmant, ea etiam foedera inter Gentes invalida reddunt. Enimvero qui jus aliquod in alterum transfert, ab ejus voluntate dependet, num & quomodo, seu qua lege jus istud in alterum transferre velit (§. 11. 12. *part. 3. Jur. nat.*), & num promissor omnia probe expenderit, quæ ipsi expendenda sunt, antequam promittat, de eo non statuendum est promissario (§. 422. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem foedera inter Gentes valida sunt, si in modo paciscendi nullum vitium hæreat, nec de eorum æquitate, vel iniquitate tum quæritur, consequenter hæc non attenditur.

Quid ad validitatem foederum requiratur inter Gentes.

Probe a se invicem distinguendæ sunt validitas pacti & æquitas. Illa æstimatur ex modo paciscendi, ad quem sufficit consensus mutuus paciscentium sufficienter declaratus. Quod enim promissor sufficienter indicat, id contra ipsum pro vero habetur (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*), & acceptatione acquirit promissarius jus, quod promissor in eum transferre voluit (§. 381. *part. 3. Jur. nat.*), cui permittendus est etiam abusus juris sui, dum de translatione ejus disponit (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*). Æquitas autem pacti æstimatur ex officiis cum erga seipsum, tum inprimis erga alios. Ut rigor æquitatis

obſervetur, præſertim in ſtatu naturali, in quo vivunt Gentes, fieri non poteſt, quamvis in ſtatu civili legibus poſitivis præcaveri poſſit, ne nimium ab æquitate recedatur. Quamobrem ne pacta deſtituantur ſua firmitate, inter Gentes præſertim, quæ nullum ſuperiorem agnoſcunt, ſtandum eſt libertate dominorum de re ſua diſponentium, ſive recte diſponant, ſive minus, ſi, quomodo diſponant, ſecundum officia examines. Atque inde eſt, quod vulgo dicatur, voluntatem paciſcentium efficere jus. Abſit autem, ut exiſtimes, inutilia propterea eſſe, quæ de æquitate foederum inæqualium demonſtrata ſunt, cum ab æquitate minime dependeat eorundem validitas. Paciſcentes enim in conſcientia obligantur animum attendere ad æquitatem, ne conveniendo de eo, quod præſtandum, ab eadem recedatur. Vir bonus, cum ſit veritatis amans (§. 971. *part. 5. Jur. nat.*), in paciscendo quoque veritatem ſpectat, ne quid committat ipſe, aut ab altera parte ſua culpa quid committi permittat, quod officiis minime convenit, nec ideo reprehendi poſſit. Vir bonus nec injuſtus, nec inhoneſtus videri vult aliis, ac ideo ea quoque omittit, quæ jure facere poterat, ſiquidem metuendum ſit, ne quibusdam ſuſpicionem famæ ſuæ adverſam præbeat (§. 968. *part. 5. Jur. nat.*). A viri boni officio nec alieni eſſe debent Rectores civitatis: quod ubi faciunt, omnium optime gloriæ ſuæ ac Gentis ſuæ, quæ ab ipſis in eam derivatur, conſulunt. Optandum omnino foret, ut Rectoribus civitatis ea ab ineunte ætate inculcarentur, quemadmodum ſingulis hominibus inculcari debebant. Quodſi enim officii boni viri in foederibus pangendis partes omnes, quantum datur, adimplere ſtuderent; felicitati Gentium conſuleretur. Sed hoc magis optandum, quam ſperandum.

§. 408.

An foedera ob læſionem reſcindi poſſint.

Quoniam foedera inter Gentes valida ſunt, ſi in modo paciſcendi nihil vitii hæret, non attenta eorum æquitate

tate, vel iniquitate (§. 407.); *ob læsionem inter Gentes nullum rescinditur foedus, si in modo pacifcendi vitium nullum hæret.*

Quamvis enim Gens nulla alteram lædere debeat (§. 173.), ac per consequens peccet, si hoc faciat (§. 440. *part. 1. Jur. nat.*); læsio tamen, in quam consensit pars altera, toleranda, nec pro tali habetur, quia quilibet de jure suo remittere potest, quantum vult (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), si vel maxime non remittere mallet, sed tempori serviendum sit. Nec tollit validitas foederis partis læsæ querelas easque injustas facit, & pars lædens bonorum ac recte sentientium reprehensionem incurrit. Non omnia, quæ impune fieri debent inter homines singulos atque inter Gentes, etiam recte fiunt. Toleranda sunt iniqua & injusta tanquam minus malum, ne locus sit magnis injuriis tanquam malo majori, maxime inter Gentes, ut vitentur bella, generi humano adeo infesta.

§. 409.

Gentes in pangendis foederibus æquitatem servare debent. Etenim Gentes naturaliter obligantur ad officia humanitatis sibi invicem præstanda (§. 165.) & unicuique constans & perpetua esse debet voluntas felicitatem aliarum Gentium promovendi, ac omni studio id agendi, ut sint felices, & cavendi, ne fiant infelices (§. 162.), nulla autem alteram lædere (§. 173.), nec quicquam committere debet, quod fini civitatis alterius adversum (§. 179.). Quoniam itaque hæc æquitati conveniunt (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 157. *h.*); Gentes in pangendis foederibus æquitatem servare debent.

De æquitate in pangendis foederibus servanda.

Cum lex naturæ non dicis gratia præscribat Gentibus officia, quæ in superioribus a nobis demonstrata sunt; quin eadem etiam velit, ut cum sensu officii pangantur foedera, ecquis dubitet, nisi contradictorii ingenii homo? Quamvis itaque

que foedera valida sint, si nihil in modo paciscendi desideretur, quod lex naturæ ad pactionem validam requirit; non tamen ideo tollitur obligatio naturalis quoad officia, quæ cum a lege naturæ veniat immutabilis est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sunt quædam toleranter justa, quæ impune fieri necesse est (*not.* §. 408.), nullam tamen excusationem habent in conscientia. Pseudopolitici sunt, qui ex aulis conscientiam proscribunt & in provincias ad privatos relegant, utilitatis studium ab æquitate sejunctum sub specioso prudentiæ titulo in ejus locum substituentes, quique malitiam, quæ prudentiam imitatur, Gentibus quoque propriam faciunt. Rideant illi conscientiam sensumque officii, quem commendamus Rectori civitatis in omnibus ejus actibus ejusque ministris, ac ideo quoque Gentibus, quarum jus Rectores civitatis exercent; nobis abunde sufficit, quod penes nos stet veritas, cujus amans esse debet vir bonus (§. 971. *part. 5. Jur. nat.*), & sine qua Gentium tam in se, quam inter se spectatarum felicitas minime consistit. A veritate qui animum alienum habet, genus humanum minime amat, & pro hoste ejus merito habetur. Dolendum omnino est, quod veritas & sensus officii ignotum, aut saltem obscurum nomen sit inter eos, qui mundum regere debent. Hinc illæ populorum lachrymæ!

§. 410.

Quænam Gens tributaria sit.

Gens tributaria dicitur, quæ quotannis certum tributum solvere tenetur alteri. Quoniam naturaliter Gentes omnes liberæ sunt (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter nulli jus quoddam perfectum in alteram competit (§. 134. 135. *part. 1. Jur. nat.*), *jus exigendi tributa pacto foedere acquirendum* (§. 377.), ac per consequens *Gens una alteri tributaria est vi foederis.*

§. 411.

§. 411.

Gens tributaria facta summitatem imperii non amittit. Si enim Gens quædam tributaria fit, Genti alteri quotannis certum tributum solvere tenetur, nec huic vi foederis aliud jus competit quam tributum istud exigendi (§. 410.). Enimvero cum imperium civile consistat in jure determinandi ea, quæ ad bonum publicum promovendum in civitate requiruntur (§. 60. 35. *part. 8. Jur. nat.*); vi foederis, quo tributaria facta, nullum jus acquisivit Gens altera in actus ad exercitium imperii spectantes. Quamobrem cum imperii summitatem minime amittat, qui alteri nullum jus in actus ad exercitium imperii pertinentes dat (§. 44. *part. 8. Jur. nat.*); Gens tributaria facta summitatem imperii non amittit.

An habeat summum imperium.

Vi foederis, quo Gens quædam tributaria facta, alteri, cui tributum solvendum, non licet sese immiscere illius regimini, sed si hoc facere ausit, injuriam ei facit (§. 256.), nec hæc id pati tenetur (§. 269.). Aliud est esse debitorem alterius; aliud vero eidem esse subjectum. Illud ex dominio, hoc ex imperio originem suam trahit. Dominium vero ac imperium duo sunt distincta jura, quorum unum ab altero minime dependet.

§. 412.

Foedera vel personalia sunt, vel realia. Foedera enim pacta sunt (§. 369.). Quamobrem cum pacta vel personalia sint, vel realia (§. 801. *part. 3. Jur. nat.*); foedera quoque vel personalia sunt, vel realia.

De foederibus personalibus & realibus.

Plurimum interest, utrum foedus tantummodo personale sit, an vero reale, cum diversi sint utriusque foederis effectus.

§. 413.

Quænam valeant de foederibus istis & quamdiu personale duret.

Quoniam foedera vel personalia sunt, vel realia (§. 412.), utraque autem pacta sunt (§. 369.); *quæ de pactis personalibus & realibus valent, ea etiam valent de foederibus personalibus & realibus*, atque ideo *vi foederis personalis sibi tantummodo obligantur personæ, quæ foedus iniverunt* (§. 801. *part. 3. Jur. nat.*), *& una illarum mortua foedus extinguitur* (§. 803. *part. 3. Jur. nat.*).

Foedera personalia, sub hac conditione inita intelliguntur, ut desinant, quando pars una contrahentium moritur, ut personæ contrahentes ad dies vitæ sese sibi invicem obligent.

§. 414.

De fine foederis personalis notanda.

Quoniam foedus personale finitur, foederato uno mortuo (§. 413.), perinde vero est, sive is moriatur, sive regnare quacunque de causa desinat; *foedus personale expirat, si foederatus unus quacunque de causa imperare desinat, nec ad successores pertinet.*

Pactio foederis actus regius est (§. 284. *part. 8. Jur. nat.* & §. 369. *b.*). Quamobrem illud factum intelligitur cum Rege qua Rege. Enimvero Rex persona moralis est, quæ determinatur per imperium, quod habet (§. 70. *part. 1.* & §. 42. *part. 5. Jur. nat.*). Quando igitur imperium habere desinit, Rex qua Rex moritur. Conditio ideo, sub qua foedus personale factum intelligitur, etiam ita explicari potest, ut stet foedus, donec foederatorum unus imperare desinat: id quod non modo contingit *morte* naturali, verum etiam *morali*, qua persona moralis interit, quæ cum naturali conjuncta est, veluti si imperium tradat filio, aut successori, si deponatur. Per se patet conditionem istam in foedere etiam exprimi posse: quo in casu per se evidens est, finiri foedus, quamprimum foederatorum unus imperare desinit. Ita si promissa sint

sint auxilia in bello, successori mittenda non sunt, nec is mittere tenetur foederato alteri.

§. 415.

De nominibus paciscentium demonstrationis causa foederi adjectis.

Quoniam foedera personalia pacta personalia sunt (§. 413.), pacta vero personalia non sunt, si in pactis tantummodo mentio fiat personarum, quæ idem ineunt, ut constet, a quibusnam pactio fuerit facta (§. 802. *part. 3. Jur. nat.*); *foedus personale non est, si nomina paciscentium saltem fuerint adjecta, ut demonstretur, a quibusnam foedus factum fuerit.*

Non ex persona foedus pangentium, sed ex animo, quo idem ineunt, sive verbis sufficienter declarato, sive ex re, de qua conventum, colligendo, æstimandum est, num personale, an reale sit foedus. Quamobrem cum intersit scire, utrum foedus sit personale, an reale, & in casu præsertim dubio de eo oriri possint controversiæ inter Gentes; unde pateat animus contrahentium disertius explicandum.

§. 416.

De foedere cum populo libero facto.

Si foedus cum populo libero fiat, reale est, & subsistit, mutata Reip. forma, nisi causa fuerit statui populari propria! Populus enim idem manet, etiamsi decedentibus aliis hominibus alii in eorum locum succedant (§. 495. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem etiam si omnes fuerint mortui, qui eo tempore vivebant, quo foedus agebatur, foedus tamen cum populo libero factum cum his factum intelligitur, qui nunc vivunt, ac per consequens non expirat, mortuis iis qui fecerant. Quoniam itaque foedus personale non est, sed reale, quod ad personas paciscentium non restringitur, sed in quo non tam personarum, quam rerum præstandarum ratio habetur (§. 801. *part. 3. Jur. nat.*); foedus cum populo libero factum reale est. *Quod erat primum.*

Uu 2 Manet

Manet vero populus idem, etiam mutata Reip. forma (§. 505. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum foedus cum populo libero factum subsistat, quamdiu populus idem manet, *per demonstrata n. 1.* foedus cum populo libero factum subsistit, mutata licet Reip. forma. *Quod erat secundum.*

Enimvero si in foedere conventum sit, quod statui nonnisi populari proprium est; per se patet, sublato statu populari tolli etiam foedus, ac per consequens mutata Reip. forma idem finiri. *Quod erat tertium.*

Patet hinc, quam necessarium scitu sit, quamdiu populus idem maneat, cum plurimum intersit pacta realia a personalibus distingui. Non vero est, quod excipias, si imperium transfertur vel in Regem, vel in optimates, perinde esse ac si qui huc usque regnavit regnare desinat, cum individuum physicum, in quo subsistit persona moralis, mutetur & per consequens imperans quasi moriatur (*not.* §. 414.): a Rege enim ad populum in præsenti casu non valet consequentia. Cum enim imperium sit originarie res populi propria (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*); non tamen propterea esse desinit populi, quia per Regem aut optimates exercetur (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*). Nec difficultatem facessit, si imperium fuerit patrimoniale, consequenter Rex jure proprietatis idem possideat (§. 40. *part. 8. Jur. nat.*). Cum enim imperium ad populum redeat, si nemo adsit qui jus ad idem prætendere possit (§. 304. *part. 8. Jur. nat.*); imperium in Regem cum potestate alienandi translatum non tamen desinit esse populi, qui, quamdiu populus manet, sine imperio concipi nequit (§. 31. *part. 8. Jur. nat.*). Potestas alienandi imperium & per consequens formam Reip. immutandi minime efficit, ut imperium non sit populi, quod per alium, vel alios, veluti per Regem, aut optimates exercetur. Etenim potestas alienandi non aliud infert,

fert, quam ut imperium exercens pro lubitu designare possit eum, qui idem post se exerceat.

§. 417.

De foedere perpetuum, ad certum tempus, & cum successoribus facto.

Si foedus fiat in perpetuum, aut ad certum tempus, aut cum eo, cum quo agitur, & ejus successoribus; foedus non personale, sed reale est. Etenim in omni casu facile intelligitur, foedus non restringi ad personam paciscentium, ita ut nonnisi una alteri pro se obligata esse velit ad præstationem, de qua conventum est, sed rerum potius præstandarum rationem haberi. Quoniam itaque tum foedus reale est, non personale (§. 801. *part. 3. Jur. nat.* & §. 413. *h.*); si foedus fiat in perpetuum, aut ad certum tempus, aut cum eo, cum quo agitur, & ejus successoribus, foedus personale non est, sed reale.

Si foedus ad successores extenditur, verbis expressis animus paciscentium declaratur, quod id restringi minime debeat ad ipsorum personam. Idem quoque sufficienter indicatur, si factum dicatur in perpetuum, aut ad certum tempus, tum quod certum sit, paciscentes non perpetuo fore in vivis, tum quod incertum sit, quanto tempore sint victuri.

§. 418.

De foederibus in bonum regni factis.

Si foederi adjectum sit, ut factum sit in bonum regni; foedus reale est. Si enim foedus factum dicatur in bonum regni, sufficienter omnino indicatur, in pangendo foedere ejus, quod præstandum est, potissimum rationem haberi. Quamobrem cum pactum istiusmodi, consequenter etiam foedus (§. 369.), reale sit (§. 801. *part. 3. Jur. nat.*); si foederi adjectum sit, ut factum sit in bonum regni, id reale est.

Bonum enim publicum seu civitatis suæ promovere debet omnis civitatis Rector (§. 85. 995. *part. 8. Jur. nat.*), cui

prospicere debet non modo in præsenti, verum etiam providere, quantum potest, in futurum. Quodsi ergo foedus iniens expresse dicat, se hoc facere in regni bonum; ad dies vitæ suæ id restringere minime intelligitur, quin potius animum, qui sibi est, sufficienter his ipsis verbis declarat, scilicet ut foedus sit perpetuum, ut ideo perinde sit ac si diceret, foedus factum esse debere in perpetuum, seu cum se & successoribus: quorum alterutrum si dictum fuerit, foedus reale est (§. 417.).

§. 419.

De foedere ob utilitatem civitatis manentem facto.

Si foedus fit ob utilitatem civitatis manentem; reale est. Eidem si foedus fit ob utilitatem civitatis manentem, satis patet, in eo potissimum rationem haberi ejus, de quo præstando in foedere convenitur, minime autem personarum foedus ineuntium. Quamobrem patet ut ante (§. 418.); foedus esse reale.

Studio dico, foedus fieri ob utilitatem civitatis manentem: dantur enim etiam utilitates transitoriæ, aut per breve tantummodo tempus durantes, quæ commode etiam ad personam paciscentium restringuntur, siquidem appareat, utilitatem istam respectum quendam habere ad personam eorundem. Sed talia dijudicanda sunt ex circumstantiis particularibus. Quodsi vero manifestum sit utilitatem civitatis, ob quam fit foedus, eandem manere, si vel maxime Rex præsens moriatur, & alius ipsi succedat; nulla ratio suadet, cur foedus ad personam paciscentium restringatur, & per consequens pro personali habeatur. Ita foedera commerciorum realia sunt, cum in iis spectetur utilitas manens civitatis, nec pro personalibus habenda, nisi diserte ad vitam vel personam paciscentium restringantur.

§. 420.

§. 420.

Quid in casu dubio præsumendum.

In casu dubio foedus præsumitur personale quoad odiosa; reale quoad favorabilia. In pactis enim, consequenter etiam in foederibus (§. 369.), favorabilia sunt, quæ ad communem utilitatem spectant & utrique parti æqualiter consulunt (§. 495. *part. 6. Jur. nat.*), odiosa vero, quæ partem alteram tantum onerant, aut plus onerant altera (§. 496. *part. 6. Jur. nat.*). Quodsi in casu posteriori foedus extendatur ad successores, nec ad vitam paciscentium restringatur, in casu dubio, utrum foedus personale, an reale sit, verendum est, ne ultra animum paciscentium partis alterius onus in nimium extendatur: quod utique nullo jure fieret. In priori autem casu tale quid metuendum non est, immo paciscentium neutri parti ulla fit injuria, etiamsi pactum ad ipsorum personam minime restringatur. Quamobrem in casu dubio foedera quoad odiosa præsumuntur personalia, quoad favorabilia vero realia.

Casus dubius est, si in utramque partem contradictionis scilicet tam pro foedere personali, quam reali pares fuerint rationes, ut ideo, quid præsumendum sit merito hæsitemus. Quamobrem nil restat, quam ut ex ipsa materia foederis conjectura capiatur de animo paciscentium, qui supponuntur Genti suæ optimo modo prospicere voluisse, nequaquam vero ultra quam necesse est eandem onerare. Id igitur voluisse censentur, quod huic intentioni convenit. Quamvis e. gr. dubium reddatur, utrum foedus commerciorum simpliciter, seu nulla addita lege initum, quæ disparem facit conditionem partis utriusque, sit personale, an reale; cum commercia utique inter favorabilia sint referenda, foedus habendum pro reali, ita ut mortuo Rege, qui pactum fecit, adhuc subsistat. Aliter vero sese res habet, si duræ admodum sint foederis conditiones,

nes, veluti si pars una ob concessionem commerciorum injussu concedentis bellum facere nequeat, aut prorsus jussu ipsius facere teneatur. Quæri hic solet, num bellum referendum sit ad odiosa, an ad favorabilia quoque referri queat. Qui bellum omne ad odiosa simpliciter referunt, judicium omnino deproperant. Cum enim absque contradictione utilitatis publicæ sit Remp. defendere contra hostes; bellum defensivum favorabile omnino est. Ac propterea foedera de mutuis auxiliis in bello defensivo inita in casu dubio realia potius, quam personalia præsumuntur. Secus vero sese res habet, si auxilia promittantur in bello offensivo, cum nemo sese lubenter alienæ liti immisceat. Sunt equidem, qui in casu dubio foedus omne promiscue pro reali habendum esse contendunt, ne forsan contingat foedera non servari, quæ servanda erant: quæ ratio recte attenditur in iis, quæ favorabilia sunt. Sed durius utique videtur ad præstandum onus, quod valde gravat, cogi, ad quod præstandum obligati minime sumus. Quamobrem nobis sententiam *Grotii* l. 2. c. 16. §. 26. in propositione præsente præferri consultius visum fuit. Si præsumtio fallit, priori sententia admissa præstandum est, ad quod præstandum non obligamur, & quod præstantem valde gravat; posteriori autem probata, non præstatur, quod præstandum erat, sed pars altera a præstatione sua itidem liberatur. Probe autem notandum est, favorem & odium in distinguendo pacto reali a personali non admitti, nisi in casu dubio, quemadmodum sumitur in propositione præsente, ubi propter rationes in utramque partem prostantes hæret animus, quid statuendum sit. Deficientibus enim rationibus ex verbis, causa vel natura negotii desumendis ad extrinsecas omnino confugiendum, ut certi quid statuatur, cum alias lis inter dissentientes non habeat exitum, qui tamen admittere tenentur, quod recta interpretatio suggerit (§.466. *part.6.Jur.nat.*). Absit enim, ut existimes, *Grotium* & nos adeo absurdos esse, ut credamus odium & favorem in pactis aliquid operari: ultro conceditur jus tantum oriri ex voluntate declarata (*not.* §. 415.); ast ubi ea sufficienter

cienter declarata non est, quæritur quid de ea præsumi debeat. Nemo autem reprehendet, si præsumatur id, quod æquitati ex officiis æstimandæ maxime convenit. Quodsi Logica probabilium in formam artis esset redacta; præsumtiones forent evidentiores, cum in iis non sumeretur, nisi quod in illa tanquam ad præsumendum sufficiens demonstratum.

§. 421.

Quoniam in casu dubio foedus quoad odiosa præsumitur personale, quoad favorabilia reale (§. 420.); *non omne foedus pro reali habendum, donec contrarium ex verbis, vel re, de qua conventum, probetur.* *An foedus pro reali habendum, donec contrarium probetur.*

Quodsi enim in utramque partem, hoc est, tam pro foedere personali, quam reali pares afferuntur rationes; nulla sane ratio est, cur foedus potius reale, quam personale præsumatur, ac ideo, ut diximus (*not.* §. 420.), recurrendum ad rationes extrinsecas, quæ præsumtionem de voluntate paciscentium fundant. Ratio nimirum esse debet, cur pars una dissentientium alteri cedere debeat. Sed cum in casu dubio rationes utrinque allatæ sint pares *per hypothesin*; cur prævalere debeant, quæ pro foedere reali afferuntur, ratio nulla est. Aliud vero dicendum, si rationes pro alterutra parte allatæ fuerint fortiores: tum enim præsumtio fortior vincit, nec ideo dubium manet, quid ex verbis, vel re conventa sit colligendum. Ceterum hic non quæritur, quinam controversiam inter Gentes componere debeat, cum judicem habeant nullum; sed quid veritati consentaneum sit. Quis dissentientes coget, ut admittant, foedus pro reali habendum, donec ex verbis vel re conventa contrarium probetur? Multa non admittunt tam Gentes, quam privati, qui affectuum impetu, non ratione reguntur, quæ tamen propterea non desinunt esse vera.

§. 422.

De foedere manente cum Rege regno pulso.

Si foedus factum sit ad defensionem Regis ac familiæ regiæ; manet, etiamsi Rex aut successor regno pulsus fuerit. Etenim si Rex regno pellatur, possessionem amittit, non vero jus, quod invito auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum foedus initum sit ad defensionem ejus ac familiæ regiæ, *per hypothesin*, consequenter etiam ad successorem pertineat, defensione autem tum maxime opus sit, si Rex, cum quo foedus initum, vel ejus successor regno fuerit pulsus; quin jus ejus sit defendendum a foederato, adeoque foedus maneat, dubitandum non est.

Perinde omnino est, sive Rex a subditis rebellibus regno pellatur, sive ab invasore. Non minus contra illos, quam hunc foederatus eum recte defendit &, cum foedera sint servanda (§. 390. *h.* & §. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), defendere debet.

§. 423.

Foedus a Rege initum ad Gentem pertinere.

Si Rex foedus init, idem cum Gente factum intelligitur. Etenim foedus initur boni publici causa vi imperii (§. 368. 369.), consequenter pactio foederis ad actus regios pertinet (§. 284. *part.* 8. *Jur. nat.*). Quamobrem cum Rex jus populi, seu Gentis habeat, & quando cum aliis negotium ipsi est, Reip. scilicet causa, Gentem suam repræsentet (§. 39.); si foedus init, Gentem per Regem id fecisse dicendum est, adeoque idem cum Gente ipsa factum intelligitur.

Imperium summum originarie penes populum est (§. 34. *part.* 8. *Jur. nat.*) & res populi manet, si vel maxime in Rectorem civitatis quoad substantiam fuerit translatum (*not.* §. 416.). Foedera igitur omnia fiunt jure populi, sive Gentis, nec Rex suo nomine, sed Gentis suæ nomine foedus fecisse intel-

intelligitur. Si vero de rebus suis privatis paciscitur; id foedus non est, sed pactum privatum (§. 369. *h.* & §. 284. *part.* 8. *Jur. nat.*).

§. 424.

De obligatione & jure ex foedere.

Quoniam *foedus a Rege initum* cum ipsa Gente factum intelligitur (§. 423.); *Gentem* quoque *obligat*, &, *si non personale saltem fuerit* (§. 414.), *etiam successores, & in hos quoque jus ex foedere quaesitum transit.*

Foedera etiam personalia, licet ad personam Regis restringantur (§. 413.), Gentem ipsam obligant & jus ex eo quaeritur Genti. Quando enim ad personam Regis restringi dicuntur, id ita intelligendum, ut foedus subsistat, seu tamdiu duret, quamdiu Rex vixerit, aut Rex manserit. Hoc autem minime obstat, quo minus cum ipsa Gente initum intelligatur: est enim foedus temporarium. Perinde nimirum est, sive tempus determinetur per certum annorum numerum, sive per casum certo eventurum, incerto licet die, quo exiturus.

§. 425.

De foedere jurato notanda.

Quoniam juramentum non novam producit obligationem aliquid praestandi ei, cui juratur (§. 903. *part. 3. Jur. nat.*), sed jurans tantum confirmat, se animum praestandi, quem habet, mutaturum non esse (§. 902. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter juramentum in ipso foedere nil immutat, foedera vero realia successores quoque obligant & Gentem, atque iisdem ex eodem jus quaeritur (§. 424.); *foedus etiam juratum successores & Gentem obligat atque jus ex eo quaesitum in eos transit, licet juramentum personam jurantis non egrediatur, ac ideo respectu Gentis & successoris foedus habendum pro non jurato.*

Foedera jurata tantummodo fiunt majoris securitatis causa,

quia turpius censetur fidem juratam fallere, quam non juratam, nec jurans ob vindictæ divinæ metum tam facile foedus non servaturus præsumitur. Cessat autem hæc securitas, mortuo Rege, qui juravit, cum nec in animam populi, aut successoris valide jurare possit, nisi expressum mandatum habeat (§. 941. 942. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter tale juramentum nec tacite factum dici, nec præsumi possit.

§. 426.

Si populus Rege mortuo fiat liber.

Quia si Rex foedus init, id cum Gente factum intelligitur (§. 423.); *si Rege mortuo populus fit liber, foedus subsistit.* Item etiam patet, *si Rege expulso, aut deposito fiat liber, vel Regem alium eligat, nisi foedus initum personæ ejus defendendæ causa* (§. 421.).

Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 414.) de morte naturali & morali. Neque refert, an injusta de causa expulsus, vel depositus fuerit. Cum Gens quælibet libera sit (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*); foederato standum ejus judicio (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*). Rex pro foederato non agnoscendus a foederato, nisi quatenus Gentem suam repræsentat & hæc jus suum per eum exercet (§. 39.); quodsi ergo jus suum vel per se, vel per alium exercet, Regis expulsi aut depositi a foederato nulla habetur ratio, si personam ejus minime respicit: neque enim ex foedere acquisivit jus sese immiscendi negotiis Gentis in eo non comprehensis.

§. 427.

An foedus juratum posterius priori non jurato præferendum.

Foedus posterius non præfertur priori, quia juratum. Juramentum enim non aliam inducit obligationem, quam quæ ex foedere oritur (§. 902. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum in casu collisionis foedus prius præferendum sit posteriori (§. 386.); idem adhuc præferendum, etiamsi posterius

rius juramento fuerit confirmatum, consequenter posterius priori præferri nequit, quia juratum.

Jus prælationis competit foederato priori (§. 386.). Eidem igitur juramento auferri nequit. Quodsi casus collisionis demum emergat, eo, qui juravit, mortuo; ex anterioribus jam patet, foedus juratum abire in non juratum (§. 425.), tumque quæstionem prorsus esse inutilem, num ideo præferendum, quia juratum.

§. 428.

An juramentum foedus priori contrarium efficiat validum.

Foedus posterius priori contrarium non ideo fit validum, quia juramento confirmatur. Etenim foedera posteriora prioribus contraria naturaliter invalida sunt (§. 383.), consequenter actus minime obligatorii. Quamobrem cum actus non obligatorius per juramentum non fiat obligatorius (§. 904. *part. 3. Jur. nat.*); nec foedus posterius priori contrarium ideo fit validum, quia juramento confirmatur.

Juramentum istud prorsus illicitum est (§. 915. *part. 3. Jur. nat.*), & in casu præsenti eo magis, quod præstetur animo fallendi fidem foederato priori datam (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*). Jus ex foedere foederato priori quæsitum, quod invito auferri nequit, juramento auferri nequit. Alias foederatus sese a quavis obligatione pro lubitu liberare posset: quod quam sit absurdum, manifestum est (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*). Cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), juramentum accedens pacto posteriori, quod priori contrarium, fit de re illicita, adeoque ad præstandum non obligat (§. 913. *part. 3. Jar. nat.*) & ipsum illicitum est (§. 914. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 429.

De foederibus cum Gente alii reli-

Foedus inire licet cum Gente alii cuicunque religioni addicta. Foedera enim panguntur boni publici causa (§. 369.), consequen-

gioni addi-ēta initis. quenter Gentes per ea sese invicem sibi obligant, ut una alteri quid conferat, quod ad conservationem & perfectionem ipsius facit (§. 9. 23. *part. 8. Jur. nat.* & §. 174. *h.*). Quamobrem cum Gens quælibet naturaliter obligetur ad conservationem & perfectionem alterius in eo conferre, in quo sibimet ipsi non sufficit, quod potest (§. 166.), ut ea finem civitatis suæ consequatur (§. 175.), ex foedere autem nascatur perfecta obligatio talia præstandi & jus perfectum ad istiusmodi præstationes (§. 377.); in foederibus pangendis nulla habenda ratio est religionis, cui Gentes addictæ sunt. Foedus igitur inire licet cum Gente qualibet, cuicunque tandem religioni addicta fuerit.

Ut foedera sint licita, necesse est ut ineantur de eo, quod illicitum non est. Quodsi ergo vitium nullum inhæret in materia, nec in modo, quo factum; foedus naturaliter validum est. Errores contrahentium alii, qui in intellectu hærent, vel vitia, quæ voluntatem labe afficiunt, cum in pactionem non influant, in contractu quoque nullum momentum habent, sed perinde est ac si abessent. Religio cum sit certus Deum colendi modus, cum pacto nihil commune habet, nec pactum ab ea ullo modo dependet. Paciscentium tantum interest, ut pacta serventur. Obligatio vero servandi pacta oritur ex promissis (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), quæ pacta continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), non ex modo colendi Deum, seu religione. Quodsi vero supponas, Genti cuidam vi religionis suæ persuasum esse, ut fidem datam fallere liceat, si is, cum quo contractum est, a religione sua fuerit alienus, tum foedus non vitiat religio, ut licite iniri non possit, sed erit saltem inutile, aut parum tutum, quatenus qui cum illa contraxit, non securus est, ne fides data fallatur. Neque est ut distinguas cum *Grotio* inter foedera, quæ fiunt non nocendi causa, qualia sunt foedera commerciorum, & quæ fiunt nocendi

nocendi causa, ut non satis circumspecte loquitur, seu quæ adimpleri nequeunt, nisi cum aliorum damno, qualia sunt foedera belli non minus defensiva, quam offensiva, licet *Grotius* ad hæc ea restringat. Quando enim bella licita sunt, foedera quoque belli licita. Et nihil refert, utrum is, a quo damna dantur in bello inevitabilia, huic religioni addictus sit, an alii, utrum Turca sit, an christianus. Effectus belli a vi armorum pendent, non a religione. Vulgo quæritur, an foedus inire liceat cum Gente a vera religione aliena. Verum cum Gens quælibet putet religionem suam esse veram, & aliam quamcunque, quæ eidem addicta non est, a vera religione alienam judicet; consultius nobis visum fuit demonstrare, quod foedus inire liceat cum Gente alii cuicunque religioni addicta. Hinc enim ultro sequitur, si qua Gens veram religionem habet, eam quoque foedus quodcunque alias licitum inire posse cum alia quacunque ab ea aliena. Ita nil obstat, quo minus Gens sacris Christianorum addicta foedus ineat cum Gente Muhamedanæ religionis, veluti cum Turcis, vel Persis. Sunt qui quæstionem restringunt ad Gentes idololatras & in verum Deum blasphemas. Sed ex demonstratione propositionis præsentis patet, nec hac restrictione esse opus. Ob diversitatem religionis Gens nulla alteri officia humanitatis, quæ sibi invicem debent Gentes, negare potest (§. 263.), adeoque nec prohibitum naturaliter est, ut ad ea præstanda Gens una alteram sibi perfecte obliget per foedus, etiam si hæc diversæ religioni sit addicta. Gens nulla alteram ad religionem suam amplectendam cogere potest (§. 259.). In negotiis itaque, quæ uni cum altera intercedunt, non quæritur, cujusnam sint religionis, nec ante conveniendum est de religione, quam de re alia conveniri possit. Quodsi circumstantiæ particulares obstent, quo minus cum Gente alii religioni addicta foedus ineatur; id non diversitas religionis, sed quod eidem aliunde superaccedit vitiat. Huc pertinet, quod *Grotius* monet l. c. c. 15. §. 11. cavendum esse, ne nimia commixtio contagium afferat

afferat infirmis, hoc eſt, religione non admodum imbutis, vel intellectus vi imbecilliori præditis. Id enim non caveri, repugnat officio Rectoris civitatis, qui curæ habere debet, ut ſubditi Deum colant (§. 458. *part. 8. Jur. nat.*), eo utique modo, quo coli vult, & ut ſint pii (§. 457. *part. 8. Jur. nat.*). Illud autem notandum eſt, quando quæritur, an liceat foedera contrahere cum profanis Gentibus, ſeu, ut nos loqui maluimus, cum Gentibus a religione noſtra alienis; quæſtionem eſſe de moralitate eorum intrinſeca, ne ſcilicet quid committatur in iis pangendis, quod obligationi naturali, quæ in foro conſcientiæ attendenda, contrarium, minime autem de eo, quod ſalva naturali libertate cuilibet integra relinquenda (§. 156. 157. *part. 1. Jur. nat.*) fieri poteſt, unde etiam pendet libera diſpoſitio de jure proprio. Qui animum ad hoc non attendunt, multa proferunt, quæ ad rem minus faciunt. Advertendum autem huc eſſe animum nemo dubitare poteſt, quia omnes ultro concedunt, foedera cum Gente profana inita valida eſſe, ac ideo ſervanda: vix enim puto quenquam fore, qui contendat, ea non ſervanda eſſe. Hinc *Grotius* loc. cit. recte ait, nullam hic eſſe intrinſecam pravitatem.

§. 430.

De foedere a parte una violato.

Si pars una foedus violaverit, pars etiam altera ab eo diſcedere poteſt. Valet hoc de pactis (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum de foederibus quoque valeant, quæ de pactis demonſtrata ſunt (§. 374.); ſi pars una foedus violaverit, pars etiam altera ab eo diſcedere poteſt.

Non dicimus, quod diſcedere debeat, quam quod diſcedere liceat, ſi ita viſum fuerit. Qui negant, eum diſcedere poſſe, & contendunt, eum alterum ſaltem compellere debere ad implendum promiſſum, non perpendunt omnem obligationem, quæ ex pacto mutuas præſtationes continente oritur, eſſe conditionatam (§. 826. *part. 3. Jur. nat.*). Vide, quæ alibi

alibi annotavimus (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*). Sed ne quis scrupulus supersit, paulo subtilius hæc discutienda sunt. Majoris perspicuitatis gratia ponamus, contrahentes esse Sempronium atque Grachum. Sempronius promisit se præstiturum, de quo conventum, si Grachus præstet, quod repromisit, qui vicissim promisit se præstiturum ex parte sua, de quo conventum, si Sempronius stet promissis. Quamdiu itaque Sempronius habet animum standi promissis, Grachus seipsum ab obligatione sua liberare nequit, consequenter ipsi competit jus adigendi Grachum ad implendum promissum, si stare nolit. Quoniam tamen ipse non obligatur stare promissis, si Grachus non stet; eidem competit jus a pacto recedendi, consequenter nec ipsi præstandi, quod promisit. Atque ita liberum est Sempronio, quo jure velit uti, utrum Grachum malit vi adigere ut promissum præstet, an a pacto recedere. Jus adigendi Grachum ad implendum promissum acquisivit Sempronius ex pacto, quippe quod oritur ex obligatione Grachi, qui promittendo se eidem obligavit, & a qua ipse pro lubitu se liberare nequit; jus vero recedendi ex promissione conditionata, ut præstare non teneatur, si Grachus non vicissim præstet, quod repromisit. Pactum igitur, quando etiam ab eo recedit Sempronius, non dissolvitur solo dissensu Grachi, quem facto suo, vel etiam verbis declaravit, sed accedente etiam dissensu Sempronii, qui consultius judicat pactum dissolvi, quam adigere velle Grachum ad idem adimplendum: id quod cum inter Gentes aliter fieri non possit quam vi armorum, interesse haud raro potest, ut potius recedatur a pacto, seu idem tollatur, quam ut, qui prior recessit, ei bellum inferatur. Distinguendæ sunt promissiones reciprocæ, quarum una alteram per modum conditionis supponit, a promissione simplici conditionata, in quam pars utraque consensit. Illæ igitur non idem operantur, quod hæc, prouti satis patet ex iis, quæ modo dicta sunt. Aliud nimirum est, si pactum evanescat, quod in casu posteriori contingit, conditione non existente: aliud ve-

ro, si pactum quidem subsistit, mihi vero liberum est, utrum ab eo recedere, an alterum adigere velim, ut servet. Quilibet jus suum remittere potest ex pacto quæsitum (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Ubi vero hoc facit, promissum evanescit ex parte sua, quod adimpletionem pacti ex parte altera per modum conditionis supponebat. Tum enim demum revera existit conditio, ubi consentit alterum non servare promissum: quem consensum utique sufficienter indicat, dum animum alterum adigendi ad præstandum, quod promisit, deponit, & recedendo a pacto sufficienter declarat.

§. 431.

Si foederatus fidem fefellit. *Si foederatus unus in alio foedere præstare noluit, quod debebat; non licet alteri recedere a foedere alio.* Etenim si foederatus unus præstare noluit, quod debebat, fidem fefellit (§. 790. *part. 3. Jur. nat.*). Ast si quis fidem fefellit in alio pacto, consequenter in foedere alio (§. 369.), non licet tibi recedere a pacto alio (§. 834. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si foederatus unus in alio foedere præstare noluit, quod debebat, non licet alteri receredere ab alio foedere.

Inter duas Gentes duo vel plura foedera diversis temporibus iniri possunt, quorum prius continuatur juxta posterius. Fieri etiam potest, ut, ubi temporarium fuerit foedus prius, tempore eidem præstituto jam elapso posterius pangatur. Quodsi alterutrum horum foederum servare nolit, aut olim foedus non servavit foederatus; nullum parti alteri jus est recedendi a foedere non violato. Obligatio, quæ est ex foedere uno, nullo modo dependet ab obligatione, quæ ex altero orta, quemadmodum obligationes reciprocæ in eodem foedere a se invicem dependent. Manifestum omnino est, ea, quæ de eodem foedere uberius exposita sunt (*not.* §. 430.), non posse applicari ad duo foedera diversa.

§. 432.

§. 432.

De violatione foederis de rebus diversis initis quoad partem unam.

Quoniam si foederatus unus in alio pacto præstare noluit, quod debebat, non licet alteri recedere a pacto alio (§ 431.), foedera autem, quæ de rebus diversis inita sunt, quarum una ab altera nullo modo dependet, spectanda sunt tanquam foedera diversa eodem tempore inita; *si foederatus unus quoad unam præstationem foedus violat, propterea alteri nondum jus est a toto foedere recedendi, sed vel præstare non licet, quod hac in parte repromissum, vel ille adigi potest ad id præstandum, si adhuc præstari possit, aut, ubi hoc fieri nequit, ad reparandum damnum violatione foederis datum,* & per consequens *ad hoc compelli potest sub comminatione a toto foedere discedendi*, cumque violator foederis in hoc consentiat, si spreta comminatione præstare nolit, quod vi foederis debet, aut damnum datum reparare, *ubi læso satisfacere non vult, comminatione spreta, a pacto, seu foedere recedere licet* (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*).

Quæcunque hic dicuntur, principiis Juris naturæ consona sunt. Damnum enim datum resarciendum est (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), & qui jus perfectum habet, quale ex foedere acquiritur (§. 377.), is alterum compellere potest ad præstandum id, quod debet, si sponte præstare nolit (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hoc vero jus per se infinitum esse facile intelligitur (§. 977. *part. 1. Jur. nat.*). Quare cum motivo quodam opus sit ad determinandum voluntatem violatoris (§. 889. *Psych. empir.*), quin permissa sit comminatio a toto foedere discedendi, dubitandum non est (§. 890. *Psych. empir.*). Nullus vero foret comminationis hujus effectus, nisi etiam eadem spreta a toto foedere discedere liceret. Si majus inde damnum sentit foederatus perfidus; sibi imputet, quod dando alteri minus damnum in majus incurrere voluerit, quod evitare poterat & debebat (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*). In jure naturæ una concordia, una consonantia est, modo nexum

legum naturalium intime perspectum habeas, quem in Opere nostro manifestum fecimus. Ceterum plura huc spectantia non repetimus, quæ jam alias de pactis demonstravimus (§. 829. & *seqq. part. 3. Jur. nat.*).

§. 433.

De foedere tacite renovato.

Finito tempore foedus tacite renovatum non intelligitur, nisi ex actibus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt. Etenim sine mutuo consensu pactio nulla renovatur (§. 819. *part. 3. Jur. nat.*), quodsi tamen ab uno contrahentium pacto temporario finito fiat, quod nonnisi vi ejusdem fieri poterat, altero conscio, nec dissentiente, consequenter tales prostent actus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt, quam quod in renovationem pacti consentiatur, pactum renovatum tacite intelligitur (§. 820. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum idem valeat de foederibus (§. 374.); finito tempore foedus tacite renovatum non intelligitur, nisi ex actibus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt.

Tempore finito, in quod foedus initum, idem expirat (§. 844. *part. 3. Jur. nat.*). Pars igitur neutra alteri ad præstandum quidpiam, de quo in foedere conventum, amplius obligatur. Quodsi ergo obligatio continuari debeat, necesse est ut uterque consensum suum declaret (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Voluntas vero declarari potest tam verbis expressis, quam factis, quales sunt actus, qui nullam aliam interpretationem recipiunt, quam ut foedus sit renovatum. Me vel tacente vero patet, ne circa interpretationem oriantur difficultates controversiarum non facile terminandarum causæ, consultius esse, ut foedus tempestive renovetur. Dico tempestive: fieri enim potest, ut foederatus alter foedus eidem contrarium pangat cum alio, antequam tempus omne elapsum, etsi non valiturum, nisi tempore elapso, quo in casu nil fit contra foedus prius;

prius; vel ut finito foedere extemplo faciat, quod eidem contrarium, ipsique facere licet, quam primum illud finitum, absque ulla mora.

§. 434.

Nemo ad foedus ineundum cogi potest. Etenim foedera pacta sunt (§. 369.), consequenter promissiones continent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum in voluntate tua positum sit, utrum alteri quid promittere velis, nec ne (§. 386. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter nemo ad promittendum cogi possit, nemo quoque ad foedus ineundum cogi, seu vi adigi potest. *An quis ad foedus ineundum cogi possit.*

Libertati naturali summarum potestatum repugnat, ut vi adigantur ad foedus ineundum: quæ cum sit jus perfectum (§. 858. *part. 1. Jur. nat.*), qui hoc facere audet, injuriam alteri facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Ita injuriam committit, qui Genti bellum infert, ut foedus commerciorum cum ipso ineat.

§. 435.

Quoniam foedus renovatur, si foederatus uterque in continuationem foederis consentit (§. 826. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter si foedus renovatur, perinde est, ac si tale foedus, quale erat prius, denuo pangatur, nemo autem ad pangendum foedus cogi potest (§. 434.); *nemo* quoque *ad foedus renovandum cogi potest.* *An ad renovandum.*

Equidem non opus esse videtur talia demonstrari, quæ per se satis manifesta sunt; non tamen superfluum existimandum, cum constet, non deesse exempla Gentium, quæ alias ad pangenda & continuanda foedera vi armorum adigere religioni sibi minime duxerunt. Et quod hoc facile contingere possit, non obscurum est, cum nihil sit frequentius, quam ut Gen-

tes præpotentes jus suum utilitate metiantur, licitum existimantes, quod sibi utile, modo potentia sua id consequi possint. Veritates igitur pestilentissimo huic errori oppositæ in Jure Gentium demonstrandæ, silentio non prætereundæ.

§. 436.

De foedere intuitu populi sublato. *Si populus interit, foedus evanescit.* Foedera enim, etsi pangantur cum Rege, cum populo tamen facta intelliguntur (§. 423.), vi imperii summi (§. 369.), & non minus Gentem, quam Regem jure ejus paciscentem (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), obligant. Quodsi itaque populus intereat, & per consequens imperium, quod est jus universorum in singulos (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*), evanescat, atque ideo qui fuerat Rector civitatis & populum repræsentabat (§. 39.), Rector civitatis esse desinat (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), nec populum amplius repræsentare possit; nemo amplius existit, qui parti contrahentium alteri obligatus esse possit. Quamobrem nec foedus subsistere potest, sed evanescit.

Quoniam Gentes in Jure Gentium spectantur tanquam personæ singulares (§. 2.), foedera quoque respectu Gentium assimilantur personalibus, quippe ad Gentem, cujus jure inita sunt (§. 369. *b.* & §. 34. *part. 8. Jur. nat.*), perinde restricta, ac foedera personalia ad personam Regis. Quemadmodum itaque Rege mortuo foedus personale extinguitur (§. 413.); ita etiam foedus quodlibet extinguitur populo intereunte. Præstationes, de quibus in foedere conventum, personales sunt, quæ persona ad præstandum obligata deficiente impossibiles fiunt. Quando vero populus intereat, in Jure publico universali demonstravimus (§. 497. & *seqq. part. 8. Jur. nat.*).

§. 437.

An Gens foederata se in tutelam dare possit lege foederi contraria.

Gens quædam sese alteri in tutelam dare nequit, nisi salvo foedere cum Gente alia facto. Etenim ponamus eam se in tutelam dare alteri, ea lege, qua foedus tollitur; cum ex eo foederato suo obligata sit (§. 424.), seipsam ab obligatione sua liberat, & jus ex foedere quæsitum invito aufert. Quod utrumque absurdum est (§. 674. *part. 3.* & §. 336. *part. 2. Jur. nat.*).

Quamdiu nimirum Gens eadem manet, foedus servare tenetur. Quamobrem nec id violare potest, si se in tutelam Gentis alterius det. Quoniam sese in tutelam alteri Genti dare nequit, nisi pacto vi potestatis summæ, quæ ipsi competit, consequenter foedere cum gente ista inito, cui se in tutelam dat; id fieret ea lege, cum qua foedus subsistere nequit, adeoque foedus contraheret foederi priori contrarium: id quod facere non licet (§. 381.). Foedus protectionis quoad ea, quæ priori foederi repugnant, injustum foret, nec naturaliter validum (§. 383.).

§. 438.

An pactum servare non debeat foederatus, quia alter se in tutelam tertio dat.

Si Gentium foederatorum una se in tutelam dat Genti cuidam tertiæ; foederata altera eidem obligata manet. Ponamus enim ut ante, foederatam alteram eidem amplius obligatam esse nolle. Patebit, ut ante (§. 437.), eam seipsam ab obligatione sua liberare velle & jus alteri invitæ auferre: quod utrumque absurdum esse, patet ut ante (§. *cit.*).

Vidimus ante, Gentem, quæ se in tutelam dat alteri, foedus servare teneri (*not.* §. 437.). Quamobrem cum pactum, consequenter foedus (§. 369.), a contrahentibus non dissolvatur nisi mutuo dissensu, minime autem dissensu unius (§.

839.

839. 840. *part. 3. Jur. nat.*); Gens quoque, quæ foederata alteri sese in tutelam danti, foedus adhuc servare tenetur.

§. 439.

An foedus subsistat, si Gens foederata se in tutelam det tertiæ.

Si Gentium foederatarum una sese in tutelam dat Genti cuidam tertiæ; foedus subsistit. Etenim hoc non obstante, Gentes foederatæ sibi invicem obligatæ manent (§. 437. 438.). Quamobrem cum foedus subsistat, quamdiu obligatio eodem contracta non tollitur, ut idem ab utraque contrahentium parte sit servandum (§. 340. *part. 3. Jur. nat.*); foedus quoque subsistit, si Gentium foederatarum una sese in tutelam dat Genti cuidam tertiæ.

Si foedus subsistere debet, quando Gentium foederatarum una se in tutelam dat tertiæ, necesse utique est, ut sibi invicem obligatæ maneant Gentes foederatæ, quemadmodum fuerant ante. Quamobrem nobis utique, ut hoc pateret, demonstrandum erat, nec Genti se in tutelam danti licitum esse, ut a foedere recedat, nec alteri hoc esse permissum. Neutri autem, invita parte altera, licitum esse, ut a foedere discedat, manifesto manifestius inde est, quod nemo sese ipsum ab obligatione sua liberare, nec jus alteri invito auferre possit. Quodsi vero Gens foederata consentiat, ut altera sese in tutelam det tertiæ; tum mutuo dissensu foedus dissolvitur, quod facere utique licet (§. 839. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 440.

De jure pangendi foedera Gentis, quæ se in tutelam alterius dedit.

Si qua Gens se in tutelam dat Genti cuidam alteri; foedus cum alia Gente quodcunque inire potest, foederi protectionis minime contrarium, nisi jus pangendi foedera in eodem fuerit restrictum, vel ademtum. Quoniam enim Gens se in tutelam dare potest Genti alteri, vel cum imminutione, vel sine imminutione imperii (§. 81.) & jura utriusque metienda sint ex pacto subje-

subjectionis (§. 80.), vel, quod perinde est, foedere protectionis (§. 369.); si in foedere hoc de jure pangendi foedera nihil fuerit dictum, foedus cum alia Gente quodcunque inire potest. *Quod erat primum.*

Cum tamen foedus posterius contrarium esse nequeat priori (§. 381.); nec Gens, quæ sese in tutelam dedit alteri cuidam, foedus cum tertia inire potest, quod foederi protectionis contrarium. *Quod erat secundum.*

Quoniam vero foederi protectionis repugnat, si Gens, quæ se in tutelam dedit alteri, foedus faciat, si expresse fuerit conventum, ne faciat, aut si jus pangendi foedera extendat ultra legem, qua id limitatum, vel restrictum est, quod per se patet, Gens autem, quæ se in tutelam dedit alteri, foedus cum tertia inire nequit, quod foederi protectionis contrarium *per demonstrata n. 2.* Gens, quæ se in tutelam dedit alteri cuidam, foedus cum alia Gente inire potest quodcunque alias foederi protectionis minime contrarium, nisi jus pangendi foedera in eodem fuerit restrictum, vel ademtum. *Quod erat tertium.*

Foedus, quod initur a Gente, quæ sese alteri in tutelam dedit, cum tertia, duplici modo repugnare potest foederi protectionis, vel quia id, de quo in eo convenitur, repugnat ei, de quo conventum est in foedere protectionis, aut ei, quod foederi omni protectionis per se inest, vel quia pactio foederis sive simpliciter, sive certo modo prohibita in foedere protectionis. Ita si in foedere protectionis conventum, ut sibi soli vendantur merces certæ, non licet foedus commerciorum cum alia Gente inire, quo eidem conceditur merces istiusmodi emere. Foederi omni protectionis per se inest, ne Gens, quæ sub tutela est, quicquam committat, quod protectori quali-

cunque modo nocumento esse possit. Ita hosti ejus cum exercitu per terras suas transitum permittere, aut eidem frumenta, arma, equos subministrare nequit. Quodsi in foedere protectionis simpliciter dictum fuerit, ne injussu, vel sine consensu suo foedus cum alia Gente faciat, aut ne faciat foedus commerciorum cum certa quadam Gente; neutrum facere licet.

§. 441.

Obligatio nascens ex promissione tertii in foedere conventa servatum iri.

Si tertius quidam promittit foederato utrique, vel alterutri, conventa servatum iri; nihil omittere debet, quod ut id fiat facere potest. Etenim si tertius quidam foederato utrique, vel alterutri promittit, conventa servatum iri, factum alienum promittit, quod per se patet. Enimvero qui factum alienum promittit, nihil omittere debet, quod ad idem obtinendum facere potest (§. 602. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si tertius quidam promittit foederato utrique, vel alterutri, conventa servatum iri; nihil omittere debet, quod ut id fiat facere potest.

Interponere tertius fidem suam solet, ut caveatur securitati foederatorum, si forte uterque, vel unus vereatur, ne foedus violetur.

§. 442.

Guaranda vel Guarantia quid sit.

Promissio hæc foederato utrique vel alterutri facta, conventa servatum iri, *Guaranda*, vel ab aliis *Guarantia* appellari solet, idiomate patrio die Gewehr. Et qui promittit, conventa ab aliis servatum iri, *Guarandus* appellatur.

Vocabulo hoc barbaro utuntur JCti. Sponsionis quædam species est, quæ *sponsio foederis* appellari poterat. Et tunc Guarandi sponsores foederis dicendi. Sed cum rerum veritas nobis unice curæ cordique sit, in verbis non sumus scrupulosi.

Et

Et ut illa facilius intelligatur ab iis, quorum interest eam perspicere; nos parum movet barbarismus JCtorum, barbarismo licet scholasticorum audacior.

§. 443.

Quoniam guaranda est promissio foederato utrique, vel alterutri facta, conventa servatum iri (§. 442.), guarandus nihil omittere debet, quod ut id fiat facere potest (§. 441.); *guarandus obligatur ad ferendum auxilium contra eum, qui conventa servare non vult, si eodem indiget.* *Obligatio guarandi.*

Nimirum foederatus ex foedere acquisivit jus perfectum (§. 377.), consequenter vi adigendi alterum ad servandum in foedere conventa (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo is servare nolit, eum ad servandum vi compellere potest. Si solus sibi non sufficit, auxilio alieno indiget. Quamobrem cum guarandus nihil eorum omittere debeat, quod facere potest, ut conventum servetur (§. 440. 441.); auxilium is ferre tenetur. Atque ideo facile patet, guarandum non esse obligatum ad ferendum auxilium, si eodem is minime indiget, cui promissio facta. Sane guaranda in se spectata officium humanitatis est (§. 353. 354.), quod Gens una alteri non debet naturaliter, nisi quando ope aliena hæc indiget (§. 156.). Quamobrem guarandus ad auxilium ferendum sese non obligasse intelligitur, nisi quando eodem promissarius habuerit opus, cum ad id, quod naturaliter debebat, perfecte sese obligaverit (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 444.

Cum guarandus obligetur ad ferendum auxilium contra eum, qui conventa servare non vult, si eodem indiget (§. 443.); *auxilium ferre non tenetur, nisi id imploretur.* *Quando auxilium ferre teneatur.*

Nimirum is, cui guaranda præstita, judicare tenetur, num

auxilio guarandi opus habeat. De eo autem huic constare nequit, nisi guarandus auxilium ejus imploret.

§. 445.

De foedere tacito in guaranda contento.

Quoniam guarandus obligatur ad ferendum auxilium contra eum, qui conventa servare non vult, si eodem indiget (§. 443.), consequenter cum ipso convenisse intelligitur de auxilio præstando, si eodem habuerit opus ad consequendum id, quod a foederato debetur, istiusmodi autem conventiones pacta (§. 788. *part. 3. Jur. nat.)*, adeoque inter Gentes foedera sunt (§. 369.); *guaranda continet foedus tacitum de ferendo auxilio contra eum, qui in foedere conventa præstare uon vult, sub hac conditione facta, si auxilio ipsius fuerit opus.*

Guarandus interponit fidem suam, ut caveatur securitati foederatorum (*not.* §. 441.), consequenter consentit in ea, quæ ad præstandam securitatem requiruntur. Quamobrem cum securitas aliter præstari non possit, nisi ut is auxilium ferat adversus conventa servare nolentem, si alter solus ad hoc eum compellere non possit; de eo utique conventum fuisse intelligitur, quando guaranda facta. Quodsi ergo eam inter foedera retuleris, minime absonum videri debet. Est nimirum foedus ad foedus aliud accedens, hujus firmandi causa. Id enim intenditur, ut metu guarandi compellatur ad servandum conventa, qui alias ob impotentiam alterius foederati servare nollet. Vis enim major magis metuitur, quam minor.

§. 446.

Guaranda generalis & specialis.

Guaranda dicitur *generalis*, si præstatur de iis omnibus, de quibus in foedere fuit conventum: *specialis* vero, quæ saltem de nonnullis, aut uno, vel altero convento. Cum guaranda sit promissio (§. 442.), a promissoris autem voluntate dependeat, quid promittere velit (§. 386. *part. 3.*

Jur.

Jur. nat.), & quia guaranda præstatur majoris securitatis causa, servatum iri conventa (§. 442.), a voluntate ejus, cui præstatur, dependet, ob quænam eandem sibi præstari velit; *guaranda tam generalis, quam specialis foederi accedere potest, prouti consultum videtur ei, in cujus gratiam præstatur.*

In demonstranda realitate definitionum entium moralium non sufficit ostendere possibilitatem physicam, sed requiritur ut etiam possibilitas moralis in aprico collocetur. Quamvis itaque illa per se pateat, hoc tamen non obstante hæc adhuc evincenda.

§. 447.

Pactum vel *Foedus guarandigiatum* dicitur, ad quod guaranda vel generalis, vel specialis accedit. *Foedus guarandigiatum.*

Si tuta esset fides, foedera guarandigiata forent inutilia: ast fides nusquam tuta iis locum fecit. Cum perfidus sit, qui promissa non servat (§. 268. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter fidem fallit (§. 759. *part. 3. Jur. nat.*); ob metum perfidiæ guaranda exigitur, quæ remedium contra perfidiam est, quia operatur metum potentiæ guarandi, quæ conjuncta cum potentia ejus, in cujus gratiam præstatur, superat potentiam illius, contra quem præstatur, seu cujus fides suspecta est. Atque hinc facile intelliguntur, quæ circa guarandam prudentiæ civilis sunt.

§. 448.

Ad guarandam non requiritur consensus ejus, contra quem præstatur. Etenim guaranda continet foedus, quod initur inter eum, qui eandem præstat, & hunc, cui præstatur, de auxilio ferendo contra eum, qui in foedere conventa servare non vult (§. 443.). Quamobrem cum foedus, tanquam *An consensus ejus ad guarandam requiratur, contra quem præstatur.*

quam pactum (§. 369.), perficiatur mutuo id ineuntium consensu (§. 788. *part. 3. Jur. nat.);* ad guarandam non requiritur consensus ejus, contra quem præstatur.

Qui guarandam petit, sui defendendi causa hoc facit adversus eum, de cujus fide dubitat. Petentis ideo interest, ut præstetur, non ejus, contra quem præstatur, quamvis etiam contingat præstantis interesse, ut in foedere conventa serventur. Quodsi igitur hi utilitatis suæ causa de guaranda conveniant, cum vi libertatis sibi competentis foedera inire possint pro lubitu, & de guaranda convenientes nihil committant, quod est contra jus illius, contra quem præstatur (§. 442.); hujus quoque consensum requirere minime tenentur.

§. 449.

An eodem inscio ac inconsulto præstari possit.

Quoniam ad guarandam non requiritur consensus ejus, contra quem præstatur (§. 448.); *guaranda præstari potest, inscio ac inconsulto eo, contra quem præstatur.*

Quamvis vero inscio eo, contra quem præstatur, guaranda præstari possit; necesse tamen est, ut a petente impetrata ad notitiam hujus perveniat ob effectum, quem habere debet (§. 443.). Necessitas tamen absoluta non est. Ponamus enim emergere casum, in quo consultum videtur guarando, ne is, contra quem guaranda præstatur, sit hujus rei conscius; cum foedus de auxilio ferendo, quod continet, validum sit, etiamsi nemo præter paciscentes ejus sit conscius, nihil sane obstat, quo minus recta maneat guaranda.

§. 450.

An ejusdem foederis guarandi plures esse possint.

De eadem re guarandam plures simul præstare possunt, seu ejusdem foederis plures esse possunt guarandi. Guaranda enim præstatur securitatis causa, in foedere conventa servatum iri (§. 442.) & guarandi obligantur ad ferendum auxilium adversus

sus eum, qui conventa servare recusat (§. 443.). Quamobrem cum major securitas sit conventa servatum iri, si plures simul guarandam præstent; ejusdem foederis plures guarandi esse possunt.

Metus potentiæ guarandorum remedium esse debet contra perfidiam (*not.* §. 447.), qui quo major fuerit, eo major quoque est securitas, conventa servatum iri. Plures igitur guarandi recte ad foedus idem accedunt, prouti vel præpotens fuerit foederatus, de cujus fide dubitat alter, vel ejus fides aliunde jam sit suspecta, vel id, de quo conventum est, tale fuerit, ut non vanus sit metus, foederatum facile adduci posse ad fallendam fidem. Cum unusquisque securitati suæ recte prospiciat, quantum datur, quia damnum quodvis, quantum fieri potest, a se avertere debet (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); recte quoque a pluribus guarandam sibi præstari petit, qui eadem indiget, ubi circumstantiæ id suadent. Eligenda sunt media ad finem consequendum necessaria: id quod sapientiæ est (§. 678. *Psych. rat.*), ad quam naturaliter quoque obligamur (§. 254. *part. 1. Jur. nat.*), ne quid in actus rectitudine reprehendi possit. Præstaret utique, tutam esse Rectorum civitatis fidem, quos, cum integras gentes repraesentent, nihil magis decet, quam fidem datam fallere. Et quam maxime omnis perfidiæ suspicio a christianis procul abesse deberet. Docet tamen experientia inter gentes christianas haud raro fidem minus tutam esse, quam inter alias, maxime subinde barbaras.

§. 451.

Si plures foedus ineunt, singulis universi guarandam præstare possunt. Cum enim guaranda contineat pactum de auxilio ferendo contra eum, qui conventa non servat (§. 445.); si plures foedus ineant & singulis universi guarandam præstent, omnes inter se conveniunt, quodsi unus conventa non servet

De guaranda a foederatis sibi invicem præstita.

vet, ceteri conjunctim eundem vi adigere velint ad servandum, aut, si foedere violato, non amplius integrum sit, præstare id, de quo conventum fuerat, ad damnum datum resarciendum. Quoniam itaque guaranda præstatur securitatis gratia, conventa servatum iri (§. 442.), & hoc pacto universi prospiciunt securitati singulorum; quin ita convenire possint, dubitandum non est. Quodsi ergo plures foedus ineant, singulis universi guarandam præstare possunt.

Ponamus, Cajum, Sejum, Sempronium & Grachum foedus quoddam simul inire; perinde omnino est, ac si unusquisque eorum foedus iniret cum tribus ceteris separatum, veluti Cajus cum Sejo, cum Sempronio & cum Gracho. Quodsi ergo singulis universi guarandam præstent; perinde est, ac si Sempronius & Grachus guarandam præstarent Cajo & Sejo, Sejus & Grachus guarandam Cajo & Sempronio, Sejus & Sempronius Cajo & Gracho. Quamobrem si fidem fallat Cajus, Sejo auxilium ferre tenentur Sempronius & Grachus contra Cajum, atque ita Cajus ceteros foederis socios adversos sibi experietur. Et idem eodem modo intelligitur de Sejo, Sempronio & Gracho fidem fallente Guarandæ igitur idem prorsus effectus est, quem ea habet, si ab aliis præstatur, qui non sunt foederis socii. Nihil autem refert, an de re eadem conveniatur, an singulæ de re sibi propria conveniant, modo non conveniant de re communi, ut vi societatis contractæ universi singulis & singuli universis obligentur: quo in casu guaranda singulis ab universis inutiliter præstaretur.

§. 452.

De extraneo guarando cum guarandis foederatis concurrente.

Quoniam ejusdem foederis guarandi plures esse possunt (§. 450.), tot scilicet, quot esse consultum fuerit & impetrari possunt, si vero plures foedus ineunt, universi singulis guarandam præstare possunt (§. 451.); *ad foedus, cujus*

jus guarandam sibi invicem præstant foederati, guaranda etiam aliorum, ad quos foedus non pertinet, accedere potest: immo nil obstat, quo minus guarandam uni saltem foederatorum in causa ipsum concernente præstet extraneus.

Quo plures quis habet guarandos, eo magis securitati ejus prospicitur. Quamobrem cum uniuscujusque judicio relinquendum sit, quomodo securitati suæ sufficienter prospectum sit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); unicuique etiam permittendum, ut, etiamsi confoederatos habeat guarandos, aliorum præterea guarandam impetrare studeat. Quodsi guaranda de toto foedere præstanda ab extraneo; per se patet, eam impetrandam esse ab omnibus, qui foedus iniverunt, cum alias non singulis obligaretur guarandus.

§. 453.

De guarantia in cujusdam foederi insita.

Si foedus ineuntes præter cetera, quorum causa id pangitur, etiam inter se conveniunt de guaranda alii cuidam, qui foedus non una contrahit, præstanda; singuli non modo huic, verum etiam universis foedus ineuntibus obligantur ad ferendum auxilium contra eum, qui ipsi conventa servare non vult. Etenim cum per se pateat, guarandam foederi non inseri nisi ad petitionem ejus, cujus interest, eam præstari; evidens quoque est, dum singuli inter se conveniunt, ut inseratur, eandem huic, cujus intererat, ut insereretur, ab iisdem actu præstari. Quamobrem cum guarandus obligetur ad ferendum auxilium contra eum, qui isti, cui præstita est, conventa servare non vult (§. 443.); singuli quoque, qui foedus fecere, ei, in cujus gratiam guaranda foederi inserta, obligantur ad ferendum auxilium contra eum, qui ipsi conventa servare non vult. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam qui foedus inierunt sibi invicem pro-

promittunt, quod ea, de quibus inter se convenerunt, præstare velint, consequenter singuli universis sese ad hoc obligant (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), præter cetera vero inter se conveniunt de guaranda alii cuidam, qui cum iis non contrahit, præstanda, *per hypothesin*; singuli quoque universis foedus ineuntibus obligantur ad ferendum auxilium contra eum, qui ipsi conventa servare non vult. *Quod erat alterum.*

Ponamus Cajum, Sejum, Sempronium & Grachum foedus inire de re quacunque, & eos in eodem quoque convenire de guaranda præstanda Florenti contra Celsum. Cajus, Sejus Sempronius & Grachus obligantur Florenti, ut auxilium ipsi ferant, si Celsus id, de quo conventum, eidem præstare recuset, tum etiam omnes sibi invicem obligantur ad auxilium conjunctis viribus ferendum: quæ posterior obligatio hunc habet effectum, ut unus ab altero exigere possit adimpletionem promissi, & ut communicatis consiliis auxilium ferant.

§. 454.

De auxilio promisso contra eum, qui jus alterius violare audet.

Si quis alteri promittit auxilia contra eum, qui jus quoddam ipsius eidem auferre conatur; foedus cum ipso pangit, proprie loquendo guarandam non præstat. Conventio enim ista promissionem continet, consequenter pactum est (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum eadem fieri supponatur a potestatibus summis; foedus est (§. 369.). *Quod erat unum.*

Quoniam vero guaranda proprie loquendo præstatur de eo, de quo in foedere aliquo conventum (§. 442.), id quod in hypothesi propositionis præsentis non supponitur; promissio in casu præsenti facta guaranda non est (§. 349. *Log.*). *Quod erat alterum.*

Si id, de quo in foedere conventum, non servatur, jus foede-

foederati violatur. Guaranda igitur præstatur contra eum, qui jus alicujus violare potest. Quamobrem inconstantia loquendi facile fit, ut etiam guaranda vocetur promissio facta de auxilio ferendo contra eum, qui jus quoddam alteri cuidam auferre, vel alio quocunque modo violare conatur. Immo si guaranda ad conventa in foedere non restringatur, sed generaliter extendatur ad jura quælibet, quæ ab alio violari possunt, & ubi non vanus est violationis metus, ne temere præstetur, significatu proprio promissio ista guaranda dici potest. Placuit nobis in Jure Gentium retinere significatum famosiorem, quo guaranda de foederibus præstari dicitur. Quamobrem nec rationem habuimus guarandæ, quam actor jure Saxonico præstare debet petente reo, tam in causis civilibus, quam criminalibus, & de qua vide *Carpzovium* in Processu Juris in foro Saxonico tit. 9. art. 4. ubi §. 4. duplicem effectum guarandæ recenset, nimirum 1. ne actor ulterius libellum mutare valeat, 2. ut reum, si is postea ejusdem causæ nomine ab alio conveniatur, in judicio defendat.

§. 455.

Si qua Gens promittit, se præstituram id, quod Gens altera præstare debet, si ipsa vel præstare non possit, vel nolit; pro ea fidejubet. Patet ex definitione fidejussionis (§. 782. *part. 4. Jur. nat.*). *Fidejussio Gentis pro Gente altera.*

Actus hic etiam a nonnullis ad guarandam referri solet. Sed cum non alius sit, quam fidejussio; nulla sane ratio nos cogit, ut vocabulo barbaro eundem designare malimus, quam proprio suo nomine appellare. Accedit, quod, si hæc promissio sub guaranda simul comprehendatur, revera duo actus prorsus diversi eodem nomine insigniantur, de quibus eadem non valent, ut tanquam diversæ species guarandæ generalius definiendæ haberi debeant. Inutile autem est in has ambages delabi, cum de fidejussione Gentium tenenda sint, quæ de

eadem alibi in Jure naturæ demonstravimus (§. 783. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec opus sit, ut sub alio nomine repetantur. Potest etiam expromissio locum habere inter Gentes (§. 865. *part.* 4. *Jur. nat.*), quæ cum perinde securitatem præstet creditori, ac fidejussio & guaranda in significatu strictiori accepta, eodem jure ad hanc referri posset, quam fidejussio. Nimirum in genere *guaranda* definienda foret per actum, quo gens una alteram securam reddit de præstando eo, quod eidem a tertia quadam debetur: id quod fieri posse patet tum fidejussione & expromissione, quam promissione auxilii ferendi contra eum, qui obligationi suæ satisfacere recusat.

§. 456.

An guaranda jus suum tertio adimi queat.

Guaranda tertio jus suum, si quod habet, adimi nequit. Etenim nemini invito quisquam jus suum auferre potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem nec guaranda jus tertio, si quod habet, adimi potest.

Quodsi ergo contingat, tertio cuidam competere jus ad id, vel in eo, de quo guaranda fuit præstita; ea non obstante, jus ipsius salvum manet. Quatenus guaranda præstatur contra eum, cui jus quoddam competit; illicita est, consequenter nec naturaliter valida, etsi guarandus injuriam non faciat, si jus tertii ignorat, vel id ipsi satis exploratum non est.

§. 457.

Quando præstita intelligatur.

Quoniam *guaranda* tertio jus suum, si quod habet, adimi nequit (§. 456.); ea *præstita non intelligitur, nisi salvo jure tertii.*

Non præsumitur Gens in gratiam alterius injuriam facere velle tertiæ. Quamobrem nec guaranda aliter ab ea præstita intelligitur, nisi salvo jure tertii.

§. 458.

§. 458.

Cum guaranda præstita non intelligatur, nisi salvo jure tertii (§. 457.); *si, qui jus ad id habet, de quo guaranda præstita, idem persequi velit*, cum hic casus tacite fuerit exceptus, *guarandus contra eum auxilium ferre non obligatur.* *Quando non obliget.*

Nemo quicquam facere debet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si casus emergat, quo promissio a guarando servari nequit, nisi committere velit, quod est contra jus tertii; eam servare non tenetur. Perperam nimirum promissio ad hunc casum extenditur, quem ipsa lex naturæ excipit, ut ideo tacite exceptus recte intelligatur. Per se autem patet, jus tertii vel manifestum esse debere, vel saltem rationes admodum probabiles habere, quas pars altera solide refutare nequit.

§. 459.

Si plures foedus ineunt de rebus ad singulos sigillatim pertinentibus, & guaranda præstatur de omnibus in foedere contentis; guarandus unicuique foederatorum obligatur quoad id, quod ad ipsum pertinet. Etenim si plures foedus ineunt de rebus ad singulos sigillatim pertinentibus; tot foedera inita intelliguntur, de quot rebus in iisdem disponitur, quæ sigillatim ad singulos paciscentes pertinent. Quodsi ergo guarandus fidem suam de toto foedere, seu omnibus in eodem contentis interponit; guaranda ad singula ista foedera accessisse intelligitur, perinde ac si unum quodque sigillatim fuisset factum. Quamobrem patet guarandum unicuique foederatorum obligari quoad id, quod ad ipsum pertinet. *De guaranda ad foedus accedente, quo conventa ad singulos contrahentes sigillatim pertinent.*

§. 460.

Si guarandi auxilium imploratur; id citra injuriam denegari *De auxilia a guarando denegato.*

gari nequit. Guaranda enim continet foedus tacitum (§. 445.). Quamobrem cum ex foedere nascatur jus perfectum ad id, de quo in eo conventum (§. 377.); si guarandus auxilium imploratum denegat, jus perfectum ei acquisitum, cui guaranda præstita, violat. Enimvero violatio perfecta juris alterius injuria est (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si guarandi auxilium imploratur, id citra injuriam denegari nequit.

Non servare foedus & denegare auxilium ei, cui guaranda præstita, unum idemque est. Utroque fides data fallitur. Excipiendus tamen est casus, quo tertius jus suum persequitur, cum nonnisi eo salvo guaranda præstita fuerit (§. 457.). Per se autem patet, hic supponi, quod in guarandi potestate sit, ut auxilium ferat: neque enim sese obligare potuit ultra id, quod in potestate ipsius est. Sed de eo disertius dicendum erit inferius.

§. 461.

Quando guaranda finiatur. *Finito foedere, guaranda finitur.* Guaranda enim præstatur securitatis causa, in foedere conventa servatum iri (§. 442.), consequenter ea non amplius opus est, si foedus fuerit finitum. Finito igitur foedere etiam ipsa finitur.

§. 462.

Quotuplex sit guaranda. *Guaranda vel personalis est, vel realis; personalis tamen non præsumitur.* Guarandæ enim præstatio foedus quoddam est a guarando cum eo, cui præstatur, initum (§. 445.). Quamobrem cum foedera tam personalia sint, quam realia (§. 412.); guaranda quoque vel personalis est, vel realis. *Quod erat unum.*

Enimvero qui guarandam sibi præstari petit, id facit

cit eo animo, ut ſit ſecurus, conventa ſervatum iri (§. 442.), conſequenter rei potiſſima habetur ratio, non vero ſaltem perſonarum de guaranda convenientium. Quamobrem cum guaranda perſonalis non ſit, niſi pactum ad perſonas paciſcentium reſtringatur, ut in caſu præſenti guarandus nonniſi pro ſe obligetur ei, cui præſtita, aut nonniſi perſonæ ejus, cui præſtatur (§. 801. *part. 3. Jur. nat.*); guaranda perſonalis non præſumitur. *Quod erat alterum.*

In præſumtione attenditur, quinam fuerit animus guarandam petentis in caſu dubio, quantum ſe eidem obligaverit guarandus. Nullum vero eſt dubium, quin is, qui guarandam petit, ſecuritati ſervatum iri conventa proſpectum eſſe velit tamdiu, quamdiu foedus durat. Quodſi ergo non expreſſe dicatur aliud, promiſſio guarandi utique extendenda ad durationem foederis, nulla vero ratione reſtringi poteſt ad perſonas, quæ de guaranda convenerunt. Nunquam igitur guaranda præſumitur perſonalis.

§. 463.

Quot modis guaranda perſonalis eſſe poſſit.

Quoniam guaranda perſonalis eſſe poteſt (§. 462.), pactum autem perſonale ad perſonas paciſcentium reſtringitur (§. 801. *part. 1. Jur. nat.*); *guaranda reſtringi poteſt tum ad perſonam guarandi, tum ad perſonam ejus, cui præſtatur, tum ad perſonam utramque*, conſequenter *in caſu primo guaranda expirat, guarando mortuo, in ſecundo mortuo eo, cui præſtita, in tertio mortuo alterutro.*

Nimirum in caſu primo guarandus auxilium promittit, quamdiu ipſe vixerit, in ſecundo quamdiu vixerit is, cui guaranda præſtatur, in tertio denique, quamdiu vixerit alteruter.

§. 464.

§. 464.

De pactionibus Gentium.

Pactiones fiunt vel ab ipsis summis potestatibus, vel a potestatibus minoribus sive ex mandato summarum potestatum, sive intra fines præpositionis, quatenus scilicet natura negotii, cui præpositi sunt, id permittit. Gentes enim earumque Rectores pactiones inire possunt, quæ foederibus contradistinguuntur (§. 369.). Fieri hoc potest vel jussu eorum, veluti cum legatus unius nomine mittentis pactum init cum ministris ejus, ad quem mittitur. Et tunc pactio ab ipsis summis potestatibus facta dicitur. Possunt vero etiam pactiones quædam facere potestates minores de rebus publicis, veluti magistratus & belli duces, jure ejus, a quo negotio cuidam publico præfecti sunt. Tum vero vel mandatum habent sive generale, sive speciale istiusmodi pactiones faciendi, aut ex natura negotii, cui præpositi sunt, sequitur, ut facere possint, præsertim in tali casu, in quo consensus summæ majestatis requiri nequit, veluti quando dux belli cum hoste paciscitur de deditione urbis obsessæ. Atque in hisce casibus pactiones fiunt a potestatibus minoribus (§. 368.), vel ex mandato summarum, vel intra fines præpositionis, quatenus scilicet natura negotii, cui præpositi sunt, id permittit.

Quoniam pactiones minorum potestatum potissimum in bello fiunt; de iisdem quoque commode agemus infra, ubi de jure belli & in bello acturi sumus. Quamobrem plura de iisdem in præsenti non addimus. Consultius nimirum videtur, generalia ibidem tradi, ubi specialia ex iis deducenda & iisdem superaddenda.

§. 465.

Sponsio quid sit.

Sponsio est pactum sine mandato potestatis summæ, nec

intra

intra fines præpositionis factum de re publica. Facile autem intelligitur, *sponsorem promittere, se effecturum, ut potestas summa id, quod promittitur, ratum habeat*, cum alias cum eo non contraheretur.

Istiusmodi sponsiones fieri possunt a legatis atque belli ducibus, & fiunt spe ratihabitionis.

§. 466.

Obligatio in sponsione contenta. Quoniam *sponsor* promittit se effecturum, ut potestas summa, seu is, cujus nomine quid promittit, ratihabeat (§. 465.); *se obligat ad efficiendum, ut promissum a se ratihabeatur, seu consensus ejus, ad quem res conventa pertinet, accedat.*

Fieri equidem potest, ut sponsor plus esse credat in potestate sua, quam in ea est; sed de eo judicium penes ipsum est, non penes alterum, cum quo contrahit (§. 424. *part. 3. Jur. nat.*), & qui ideo fidem dictis sponsoris habet non temere. Quodsi enim sibi diffideret sponsor, non nisi sub conditione ratihabitionis promittere poterat atque debebat. Ipsi adeo imputandum, si crediderit plus in potestate sua esse, quam in ea revera erat, & alterum induxerit, ut secum pacisceretur. Inde autem intelligitur, sponsionem non esse simplicem promissionem facti alieni, ac ideo multo strictiorem obligationem parere.

§. 467.

De materia sponsionum. *Sponsionum tot esse materiæ possunt, quot foederum.* Etenim cum foedera pacta sint, quæ fiunt de rebus ad Remp. pertinentibus a summis potestatibus (§. 369.), vel mandato earundem (§. 372.), sponsiones autem pacta, quæ fiunt de iisdem rebus sine mandato summæ potestatis, nec intra limites præpositionis (§. 463.); sponsiones a foederibus non differunt materia, sed in eo saltem, quod illæ fiant jure im-

perii summi (§. 368.), ac mandatum habentis, illæ autem sine hoc jure & absque mandato. Quamobrem sponsionum tot esse materiæ possunt, quot foederum.

Ponamus de quacunque re publica pactum iniri a ministro. Quodsi id faciat jussu summæ potestatis, aut intra fines mandati, erit foedus; si absque mandato, sponsio. Differentiam igitur non facit materia pacti, nec persona contrahens, sed jus, quo contrahitur, quod in foedere est jus summæ potestatis, in sponsione nullum. Eadem itaque esse potest & foederis, & sponsionis materia.

§. 468.

An sponsio obliget summam potestatem.

Sponsio non obligat summam potestatem, nisi eandem ratihabeat vel expresse, vel tacite, faciendo nimirum, postquam illa eidem innotuit, quod ad aliam causam probabiliter referri nequit. Sponsio enim fit absque mandato, consequenter absque voluntate (§. 640. 642. *part. 4. Jur. nat.*), summæ potestatis (§. 465.). Quamobrem cum nemo alterum sibi, consequenter multo minus tertio obligare possit ultra voluntatem suam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); sponsio non obligat summam potestatem. *Quod erat primum.*

Enimvero si summa potestas eam ratihabet, hoc est, declarat, se præstare velle, quod sponsor promisit, cum jam ad sponsionem accedat consensus summæ potestatis, consequenter pactum ea volente initum intelligatur, sponsio in foedus abit (§. 369.). Quamobrem cum ex foedere nascatur perfecta obligatio (§. 377.); sponsio a summa potestate expresse ratihabita eandem obligat. *Quod erat secundum.*

Denique si summa potestas facit, postquam sponsio eidem

eidem innotuit, quod ad aliam causam probabiliter referri nequit, consensum suum tacite declarat (§. 660. *part. I. Phil. pract. univ.*), consequenter cum consensus tacitus sit verus consensus (§. 662. *part. I. Phil. pract. univ.*), consensus summæ potestatis ad sponsionem accedit. Quamobrem cum sponsio potestatem summam obliget, quando consensus ejus ad eandem accedit *per demonstrata n. 2.* sponsio tacite ratihabita, hoc est, faciendo, postquam ea innotuit, quod probabiliter ad aliam causam referri nequit, summam potestatem obligat. *Quod erat tertium.*

Conventio ministri non ante fit valida, nisi quando eandem ratihabuit potestas summa, si sub conditione ratihabitionis facta: promissio enim ejus in hoc casu conditionata est. Immo quamdiu pendet conditio, consequenter quamdiu potestas summa voluntatem suam non declaravit de eo, quod conventum est, nihil ex parte ejus actum videtur. Enimvero quando ratihabitio facta, ac ideo consensus summæ potestatis accedit, actus demum perficitur & validus efficitur. Cum minister de suo nihil promittat, ejus quoque promissio, quomodocunque fiat, quoad summam potestatem per se nullum habet effectum. Perinde vero est, sive consensus potestatis summæ ad conventionem statim accedat, sive ex intervallo, ac sive in casu posteriori expresse, sive tacite declaretur. Et sponsio respectu potestatis summæ conventioni sub conditione ratihabitionis factæ æquipollet. Quamobrem ex parte potestatis summæ de sponsione eadem valent, quæ de conventione sub conditione ratihabitionis facta.

§. 469.

Si summa potestas dissensum suum

Quoniam sponsio non obligat summam potestatem, nisi ea eandem ratihabeat (§. 468.), id vero non fiat, si dis-

 sensum

expresse declaret. sensum suum expresse declaret; *si summa potestas dissensum suum de sponsione expresse declarat, sponsio eam non obligat.*

Sponsio non ante abit in foedus, ut fiat actus obligatorius ex parte summæ potestatis, quam consensus ejus ad eandem accedit (*not.* §. 466.). Contrarium vero fit, si potestas summa dissensum suum declarat (§. 658. 659. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 470.

An ex notitia & silentio ratihabitio colligatur. Similiter quia sponsio non obligat summam potestatem, nisi eandem ratihabeat (§. 468.), consequenter obligatio non demum dissensu declarato tollenda, cum scilicet nulla adsit, is vero demum consentire præsumatur, qui tacet, quando loqui poterat & debebat (§. 1054. *part. 3. Jur. nat.*); *ex notitia & silentio solo collegi nequit, potestatem summam sponsionem ratihabere*

Hinc patet ratio, cur ad notitiam & silentium accedere debeat factum, ex quo consensus colligi possit, nisi idem expresse declaretur (§. 468.). Consultius vero omnino est, ut, ubi sponsio ad notitiam summæ potestatis pervenit, dissensus expresse declaretur, certa enim in omni casu præferenda sunt iis, quæ dubitationi forsan obnoxia fieri possunt: sed hoc non pertinet ad Jus Gentium, verum ad prudentiam civilem.

§. 471.

Qualis proprie sit sponsoris promissio. *Sponsor promittit factum proprium, non tantummodo alienum.* Sponsor enim promittit se effecturum, ut potestas summa ratihabeat conventum, non tantummodo, quod conventum ea sit præstitura (§. 465.), licet altera promissio priori vel tacite insit, vel expressa accedat. Quamobrem cum factum sponsoris proprium sit efficere, ut potestas summa a se nomine

ne ipsius promissum ratihabeat; sponsor promittit factum proprium, non tantummodo alienum.

Quamvis itaque sponsio sit promissio conditionata respectu potestatis summæ, cujus validitas suspenditur ab eventu (*not.* §. 468.); pura tamen est respectu sponsoris, quæ obligationem præsentem producit, nimirum adimplendi promissum, & extemplo valida est.

§. 472.

An sponsor liberetur diligentiam adhibendo.

Quoniam sponsor promittit factum proprium (§. 471.), nimirum se effecturum, ut summa potestas conventa ratihabeat (§. 465.), *ex promissione facti proprii tenetur ei, cui sponsio facta, non ex promissione alieni*, consequenter *non sufficit omnem operam adhibuisse, ut summa potestas conventa ratihabeat* (§. 602. *part. 3. Jur. nat.*).

Nimirum cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), id præstandum est, quod promissum (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*). Promisit autem sponsor, se effecturum, ut summa potestas ratihabeat conventa. Diligentiam vero adhibere & efficere, ut quid fiat, non unum idemque sunt. Quamobrem sponsor nondum liberavit fidem suam diligentiam adhibendo, sicuti qui factum tertii saltem promisit.

§. 473.

Ad quid teneatur summa potestas sponsione non ratihabita.

Si summa potestas sponsionem non ratihabeat; ei, cui sponsio facta est, ad nihil tenetur, nisi ad restitutionem, si forte contingat, eam ex sponsione factam fuisse locupletiorem. Si enim sponsionem non ratihabeat summa potestas, ea eandem non obligat (§. 468.). Quamobrem nec necesse est, ut ob sponsionem ei, cui facta est, aliquid præstet (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter eidem ad nihil prorsus tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum locupletior nemo fieri possit cum damno alterius (§. 585. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter si res, quam accepit, restituenda sit, quando vero res, ex qua locupletior factus, non amplius extat, tantundem restituere tenetur, in quantum locupletior factus (*§. 586. part. 2. Jur. nat.*); si forte contingat, potestatem summam ex sponsione factam fuisse locupletiorem, ad restitutionem ea tenetur. *Quod erat alterum.*

Prius etiam ostenditur hoc modo. Quoniam sponsio facta sine mandato, consequenter sine consensu (§. 640. *part. 4. Jur. nat.*), potestatis summæ (§. 465.), & ubi eam non ratihabet, nec consensus ex post facto accedit; potestas quoque summa ei, cui sponsio facta, nihil promisit. Quamobrem cum alteri obligari non possimus, nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); si summa potestas sponsionem non ratihabeat, ei, cui sponsio facta, ad nihil tenetur.

Ad nihil scilicet tenetur ex sponsione, qui est actus ad summam potestatem non pertinens, quamdiu ejus consensus non accedit. Quando vero diximus, eandem teneri ad restitutionem, si forte contingat eam ex sponsione factam fuisse locupletiorem, id non ex sponsione venit, sed ex obligatione naturali. Quamobrem propositio, quod ex sponsione non ratihabita ad nihil teneatur summa potestas, per hoc non restringitur. Obligatio naturalis non venit ex sponsione, utut eidem occasionem dederit sponsio, quatenus sine ea non extitisset.

§. 474.

An teneatur ad id quod interest, Quoniam *summa potestas sponsione non ratihabita* ad nihil tenetur (§. 473.); ideo *nec tenetur ad id, quod intererat ex vi tenetur, vel ad negotii ratum haberi, nec ad rem restituendam in eum statum in quo restituendum fuerat ante sponsionem.*

Summa

Summa potestas, sine cujus mandato sponsio facta (§. 465.), in causa non est, si is, cui sponsio facta, eadem non ratihabita damnum quoddam incurrat, vel lucrum quoddam, quod ratihabita habere poterat, cesset. Ac ideo manifestum est, nullam esse rationem, cur teneatur ad id, quod interest (§. (§. 622. *part. 3. Jur. nat.*), ut præstet æstimationem commodi, quod is, cui sponsio facta, ex effectu habuisset, vel damni, quod emergit, sponsione non ratihabita (§. 625. *part. 3. Jur. nat.*). Ex facto suo, non alieno tenemur ad id, quod interest (§. 623. *part. 3. Jur. nat.*). Facile autem apparet æstimationem ejus, quod interest, plerumque admodum incertam esse. *rem in statum pristinum.*

§. 475.

Si sponsio non fuerit ratihabita; sponsor ei, cui spospondit, tenetur ad id, quod interest. Etenim cum sponsor promittat se effecturum, ut sponsio ratihabeatur (§. 465.), & ex promissione facti hujus proprii teneatur ei, cui sponsio facta (§. 471. 472.); utique promittere intelligitur, quod eundem indemnem præstare velit, nisi efficiat, ut sponsio ratihabeatur. Quodsi ergo potestas summa sponsionem ratihabere nolit, sponsor tenetur ei, cui spospondit, ad id quod interest (§. 625, *part. 3. Jur. nat.).* *Ad quid teneatur sponsor.*

Aliud nimirum est promittere sub conditione ratihabitionis, aliud promittere se operam daturum, ut sponsio ratihabeatur, aliud denique se effecturum, ut ea ratihabeatur. In casu primo fidem suam liberavit, quam tacite dedit, si summæ potestatis voluntatem exploraverit; in secundo autem, si omnem diligentiam adhibuerit, ut sponsio ratihaberetur. In tertio casu cum consensus summæ potestatis tanquam certus fuerit suppositus, ac ideo conventio perfecta, recte sponsor promisisse intelligitur, se præstiturum quod interest, nisi sponsio ratihabeatur, cum alias cum ipso non contraxisset is, cui

sponsio

ſponſio facta. Neque in eo quicquam iniqui eſt, cum jam naturaliter ex facto ſuo, ſcilicet quod ſine mandato contraxerit ſi vel maxime culpoſum ſaltem fuerit, ſponſor teneatur ad id, quod intereſt (§. 623. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 476.

Quomodo ſponſor ſatisfaciat obligationi ſuæ ſponſione non ratihabita.

Quoniam ſponſor ei, cui ſponſio præſtita, tenetur ad id quod intereſt, ratihabitione non ſecuta (§. 475.), præter bona autem ſua & poteſtatem in ſeipſum, adeoque libertatem (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*) natura ipſi competentem (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), nil habeat ſponſor; *ſponſione non ratihabita, ei, cui præſtita fuerat, præſtandum ex bonis ejus, quod intereſt, aut ipſe dedendus, in ſervitutem ſcilicet perfectam* (§. 1094. *part. 7. Jur. nat.*).

Cum olim exiſtimaretur, homini competere jus in vitam ſuam, quod tamen verum non eſt (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*); non modo ſponſoris bona & libertas obligata ei credebantur, cui ſponſio facta erat, verum etiam vita. Putabant igitur, ſponſorem jure interfici poſſe, ſponſione non ratihabita. Aſt hæc ſententia falſa merito rejicitur.

§. 477.

Quando ſponſor teneatur ad certi quid præſtandum.

Si ſponſor promiſerit certi quid ei, cui ſpoſpondit, ſi poteſtas ſumma ſponſionem ratihabere recuſaverit: ultra id eidem non tenetur. Etenim cum nemo alteri ſeſe obligare poſſit niſi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), nec promiſſi acceptatione promittentem ſibi quis obligare poſſit ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); ſi ſponſor ei, cui ſpoſpondit, certi quid promiſerit, ubi poteſtas ſumma ſponſionem ratihabere recuſaverit, præter id, quod promiſit, nihil quoque eidem præſtare obligatur, conſequenter eidem ultra id non tenetur.

Cum

Cum æstimatio ejus, quod interest, admodum difficilis sit (*not.* §. 474.), ac nemo sit, qui id inter sponsorem & alterum, cui sponsio facta, determinet, consequenter cedendum est vi majori; consultius utique foret de eo, quod præstandum, sponsione non ratihabita, conveniri. Enimvero si hanc conditionem offerret sponsor, cum videatur adhuc dubitare de ratihabitione, eandem non facile acceptaret is, cui sponsio fit, & qui fiducia ratihabitionis cum sponsore contrahit. Cum tamen non impossibile sit, ut eandem acceptet; casum quoque hunc silentio præterire non debuimus.

§. 478.

De pacto Rectoris civitatis cum privatis Reip. causa.

Pactum a Rectore civitatis utilitatis publicæ causa cum privatis initum; Gentem quoque & successores obligat. Eodem modo ostenditur, si pactum init Rector civitatis cum privatis, id cum ipsa Gente factum intelligi, quo supra idem de foedere ostendimus (§. 423.). Unde porro sequitur, ut Gentem quoque atque successores, qui eandem repræsentant (§. 39.), obliget.

Nulla hic differentia est, sive contrahatur cum exteris, sive cum subditis. Exemplum esto, si Rector civitatis Reip. causa, veluti impensarum bellicarum causa, æs alienum suscipit a privatis. Hinc istiusmodi debita civitatis debita, idiomate patrio Staats-Schulden appellantur.

§. 479.

De debitis civitatis solvendis.

Quoniam pactum a Rectore civitatis utilitatis publicæ causa cum privatis initum Gentem quoque & successores obligat (§. 478.); *si Rector civitatis æs alienum, a privatis Reip. causa suscipit, successores quoque & populus ad id luendum & usuras,* utpote in se non illicitas (§. 1406. *part. 4. Jur. nat.*), *conventas solvendum tenentur.*

Non omnes usuræ naturaliter licitæ sunt, prouti abunde patet ex iis, quæ alibi demonstravimus (§. 1407. *& seqq. part. 4. Jur. nat.*). Quoniam vero difficillimum est quantitatem usurarum determinare juxta æquitatem naturalem (§§. *cit.*); legibus civilibus certa quantitas determinanda (§. 986. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi Gens quædam ab alia Gente æs alienum suscipit, cum utraque Gens sit libera (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter neutra subjecta legibus alterius, & vi libertatis naturalis unicuique relinquendum, quid facere velit, (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); de quantitate usurarum ut conveniant necesse est. Ast quæritur, quid liceat, si Gens, vel Rector civitatis, qui jus Gentis habet, pecuniam suscipit a privatis, aut subditis, aut extraneis. Si a subditis mutuo sumatur pecunia, cum hi legibus civilibus teneantur, quantitas usurarum ex iis determinanda videtur & simpliciter promissæ non majores, nec minores intelliguntur, quam leges permittunt (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Nihil tamen obstat, quo minus de minoribus conveniatur, cum etiam privatus cum privato de minoribus convenire possit, quia lex saltem prohibet, ne majores exigantur. Quoniam tamen fieri potest, ut usuræ majores non repugnent æquitati naturali, prouti abunde patet ex iis, quæ de earum quantitate alibi demonstravimus (§. 1407. 1410. *& seqq. part. 4. Jur. nat.*), & Rector civitatis circa leges civiles dispensare potest (§. 824. *part. 8. Jur. nat.*); non repugnat, ut de usuris quoque majoribus conveniatur. Quodsi denique pecunia mutuo accipiatur a privatis exteris, cum nec hi subjecti sint legibus civilibus Gentis, cui creditur, nec Gens teneatur legibus, quibus creditores subjecti sunt; conventio intra terminos juris naturalis continetur. Quamobrem patet ut ante, necesse esse, ut de usuris conveniant. Ubi leges civiles non obstant, unicuique liberum est de suo disponere pro lubitu, & conventio jus facit, si vel maxime ab æquitate naturali recedat. Talia nimirum toleranda, ut negotia exitum habere possint, & in dispositione de suo permittendus

mittendus etiam est abusus libertatis naturalis (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 480.

De tributis solutionis causa imponendis.

Quoniam si *Rector civitatis æs alienum suscipit a privatis Reip. causa*, populus ad idem luendum & usuras conventas solvendum obligatur (§. 479.); *idem ejus luendi & usurarum conventarum solvendarum causa civibus tributa imponere potest.*

Quodsi jus tributa nova indicendi per leges fundamentales Rectori civitatis ademtum, facile patet, id fieri debere vel cum consensu populi, vel eorum, quos leges istæ designant.

§. 481.

De foederibus & pactis oppignoratione firmandis.

In foedere, vel alia pactione conventa servatum iri pignoribus caveri potest. Etenim oppignoratio fit in securitatem debiti (§. 1142. 1143. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum ad ea præstanda obligentur Gentes, de quibus in foederibus, vel pactionibus aliis convenerunt (§. 377.), & quod præstandum debitum sit (§. 401. *part. 3. Jur. nat.*); in foedere, vel alia in pactione conventa servatum iri, pignoribus caveri potest.

Equidem inter privatos pignora & hypothecæ plerumque constituuntur in securitatem vel mutui, veluti pecuniæ creditæ ut, si debitor non solvat, vel morosus fit, ex re oppignorata eidem satisfiat; per se tamen ad omne pactum accedere possunt (§. 1194. *part. 5. Jur. nat.*) cum non minus securitatem debiti cujuscunque, quam rei, vel pecuniæ mutuo datæ præstent. Nec inter Gentes ignotæ sunt istiusmodi oppignorationes.

§. 482.

An id inter Gentes naturaliter licitum.

Quoniam pignoribus caveri potest, in foedere, vel alia pactione conventa servatum iri (§. 481.), naturaliter

 vero

vero damnum tam a nobis, quam ab aliis avertere obligamur (§ 493. 495. *part. 2. Jur. nat.*); *oppignoratio ad foedera & pactiones quascunque inter Gentes naturaliter licite accedit.*

Ex foederibus nascitur jus perfectum ad id, de quo in eodem conventum (§. 377.). Et idem obvium est de pactionibus aliis quibuscunque. Id igitur, quod conventum est, exigere & præstare nolentem vi compellere possumus ad præstandum (§. 235. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Licita igitur sunt media, quibus id, quod conventum est, omnium facillime consequi possumus, si debitor non solvat, aut si ex eo, quod non servet, nobis enascatur damnum, æstimationem ejus, quod interest. Patet hinc, non moribus saltem Gentium oppignorationem esse introductam; sed jure naturali, quo Gentes inter se utuntur (§. 3.), eandem ad foedera & pactiones alias Gentium accedere posse, ubi refert, ut præstationes conventæ in tuto collocentur præsertim quæ transitoriæ sunt. Cum jus Gentium demonstrandum nobis sit, non sufficit recensere ea, quæ fieri possunt & solent; sed ex principiis juris naturalis deducendum, quod Gentibus licitum: neque enim possibilitas physica jus facit, nec Gentibus licitum esse potest, quod officiis repugnat.

§. 483.

Quale sit jus Genti in re oppignorata.

Jus in re oppignorata Genti competens tum ex iis, quæ in Jure naturæ de oppignoratione demonstrantur, tum ex his, quæ de eadem in specie conventa sunt, metiendum. Gentes inter se utuntur jure naturali (§. 3.). Quamobrem quæ in Jure naturæ part. 5. cap. 5. de jure pignoris & hypothecæ, seu oppignoratione demonstravimus, respectum ad privatos spectant, ad Gentes quoque pertinent. Quoniam tamen Gentes de suo disponere possunt, prouti sibi visum fuerit (§. 1. 12. *part. 3. Jur. nat.*); de oppignoratione quoque

que specialiter quædam convenire possunt, tumque non plus juris competit Genti, cui res oppignorata, quam eidem concessum (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Jus igitur in re oppignorata Genti competens tum ex iis, quæ de oppignoratione in Jure naturæ demonstrantur, tum ex his, quæ de eodem specialiter conventa sunt, metiendum.

Si oppignorationes inter Gentes fiunt, de jure quoque, quod ei, cui res oppignoratur, in ea competere debeat, conveniri solet, nisi ex ipsa natura pignoris per se sit manifestum. Prospicitur vero in eo etiam securitati ejus, quæ rem oppignorat, ne scilicet res oppignorata deterioretur, & ut omnes difficultates, quæ circa restitutionem moveri poterant, præcaveantur. Sed specialis horum discussio ad prudentiam civilem spectat. Amor ille universalis omnium erga omnes, qui etiam Gentibus lege naturæ præceptus (§. 161.), exigit, ut in conventionibus Gens una non minus rationem habeat utilitatis alterius, quam suæ, sit ita quod nonnullis forsitan hoc paradoxum videatur, qui jura Gentium non nisi ex utilitate & potentia metiuntur.

§. 484.

Quænam a Gentibus oppignorari possint.

A Gente oppignorari possunt urbes, certæ territorii partes, integræ provinciæ, jura sibi competentia & res pretiosæ, quæ civitatis sunt: potest tamen Rector civitatis etiam res suas privatas pro debitis Gentis oppignorare. Quoniam enim nemo oppignorare potest nisi rem suam (§. 1164. *part. 5. Jur. nat.*); a Gente quoque oppignorari non potest, nisi quod suum est, consequenter quod suum est, oppignorari potest. Quamobrem cum terræ, quas Gentes inhabitant, sint in dominio ipsarum una cum omnibus, quæ in iis sunt (§. 274.), nec minus jura ipsis competentia (§. 216. *part. 2. Jur. nat.*), & de rebus pre-

 tiosis,

tiosis, quæ civitatis sunt, idem per se pateat; a Gente oppignorari possunt urbes, certæ territorii partes, integræ provinciæ, jura sibi competentia & res pretiosæ, quæ civitatis sunt. *Quod erat unum.*

Quoniam vero dominus rem suam oppignorare potest pro alieno debito (§. 1164. *part. 5. Jur. nat.)*, debitum vero Gentis non est debitum Rectoris civitatis privatum, etsi ab eo jure Gentis contrahatur, consequenter spectandum tanquam debitum alienum respectu rerum privatarum ipsi propriarum; Rector civitatis res quoque suas privatas pro debitis Gentis oppignorare potest. *Quod erat alterum.*

Traduntur in securitatem debiti urbes, districtus, provinciæ ei, cui oppignorantur, vel etiam instrumento saltem scripto jus in iis constituitur, prouti negotii naturæ, de quo conventum, alterutrum fuerit convenientius. Ast jura aliter oppignorari nequeunt, quam si eorum exercitium alteri permittatur. Res autem pretiosæ tanquam mobiles semper tradendæ.

§. 485.

De pacto antichrestico gentium.

Si integra provincia, aut certa territorii pars in securitatem pecuniæ creditæ, vel alia quacunque de causa debitæ traditur; pactum antichresticum ad oppignorationem accedit. Quodsi enim provincia, aut pars territorii oppignorata in securitatem pecuniæ creditæ, vel alia quacunque de causa debitæ traditur; Gens illa, cui traditur, possessionem acquirit (§. 23. *part. 3. Jur. nat.)*. Quoniam vero ad securitatem debiti sufficit, ut hypotheca in terris oppignoratis constituatur (§. 1143. *part. 5. Jur. nat.)*, &, si ea sufficere non credatur, creditor

ditor milites præsidiarios in iisdem habeat; non alio fine terræ oppignoratæ traduntur, quam ut reditus ex domaniis, tributa & vestigalia in compensationem usurarum percipiantur (§. 757. 926. 929. *part. 8. Jur. nat.).* Quoniam itaque pactum antichresticum est, quo jus re oppignorata utendi fruendi in compensationem usurarum in creditorem confertur (§. 1205. *part. 5. Jur. nat.)*; si integra provincia, aut certa territorii pars in securitatem pecuniæ creditæ, vel alia quacunque de causa debitæ traditur, pactum antichresticum ad oppignorationem accedit.

Pactum antichresticum accedit ad contractum pignoris, ut consulatur securitati usurarum, quemadmodum hoc consulitur securitati crediti (*not.* §. 1205. *part. 5. Jur. nat.*). Dubium vero oriri poterat, an in pacto antichrestico etiam contineantur tributa & vectigalia, cum ea impendi debeant in eum usum, cujus causa imposita sunt (§. 934. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum onera in Reip. imponantur subditis, ne desint sumtus Reip. administrandæ ac defendendæ causa faciendi (§. 774. 778. *part. 8. Jur. nat.*); tributa & vectigalia non videntur in compensationem usurarum alteri cedi posse. Enimvero a subditis quoque sumtus suppeditandi Rectori civitatis ad sustentandum se familiamque regiam & obtinendum dignitatis regiæ splendorem sufficientes (§. 784. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem quæ hoc nomine contribuuntur, ea non minus quam reditus ex domaniis oppignorari possunt. Et, siquidem tributa ordinaria superant sumtus Reip. administrandæ causa faciendos, in eum finem quod eos excedit contribui intelligitur. Quodsi ergo tributa & vectigalia separatis ærariis non inferantur, quæ suos habent administratores; Rectoris civitatis saltem est, ut ex iis, quæ contribuuntur, faciat sumtus ad Remp. administrandam necessarios, & tum cum hoc onere etiam transeunt vi pacti antichrestici ad creditorem. Talia igitur ex circumstantiis particularibus definienda, & de iis

iis in pacto antichrestico, quod ad contractum pignoris adjicitur, conveniendum: ubi tamen jure naturali dispiciendum, ne subditi vi oppignorationis nimium onerentur (§. 778. *part. 8. Jur. nat.*), nec ultra quam necesse est onera extraordinaria sint imponenda (§. 779. 780. *part. 8. Jur. nat.*). Non diffiteor, istiusmodi scrupulositatem a Gentibus, eorumque Rectoribus minime attendi. Ast aliquoties jam monuimus, nos hic non loqui de eo, quod facti, sed quod juris est secundum immutabilem naturæ legem. Dudum enim observatum est, sine injuria nullam regi Remp. nec omnia juri interno, quod ex immutabili ista lege fluit, convenire, quæ inter Gentes pro jure habentur, immo habenda sunt ob easdem rationes, cur leges civiles juri naturali non in totum consonæ esse possunt, vi eorum, quæ de theoria naturali legum civilium part. 8. c. 5. Juris naturæ demonstravimus (§. 22.).

§. 486.

Unde æstimandum sit jus Gentis in casu isto. *Si integra provincia, aut certa territorii pars in securitatem pecuniæ creditæ, vel alia de causa debitæ traditur Genti; jus ejus æstimandum est tum ex iis, quæ de antichresi in Jure naturæ demonstrata sunt, tum ex iis, de quibus specialiter fuit conventum.* Ostenditur eodem modo, quo idem de jure Gentis, cui oppignoratio facta, demonstravimus (§. 483.).

Absit, ut tibi persuadeas, nos negotia Gentium ex Jure civili definire velle. Neque enim ad ea hic provocamus, quæ in Jure civili de antichresi traduntur, sed ad ea, quæ ex principiis Juris naturæ de eadem demonstrantur: id quod etiam tenendum de jure pignoris (§. 483.). Quamvis enim non negemus, plurima coincidere cum iis, quæ in Jure civili continentur; non tamen ad ea hic provocatur, quatenus in Jure civili Romano occurrunt, quæ cum Jure naturæ eadem sunt. Nemo est qui nesciat, si utriusque Juris notitiam habet, & ex collatione

collatione Juris naturæ a nobis fuſiſſime expoſiti cum Jure Romano ſtatim pateſcit.

§. 487.

Si integra provincia, aut certa territorii pars in ſecuritatem pecuniæ debitæ traditur Genti; imperium ſimul oppignorari poteſt, vel non. Etenim cum imperium ſit jus quoddam Genti competens (§. 32. 34. *part. 8. Jur. nat.*), a Gentibus vero etiam jura oppignorari poſſint (§. 484.), & jus Gentis, cui oppignoratio facta, metiendum ſit ex conventione (§. 483.), ſi integra provincia traditur aut certa territorii pars in ſecuritatem pecuniæ debitæ, imperium ſimul oppignorari poteſt, vel non poteſt. *De oppignoratione imperii.*

Equidem in hypotheſi propoſitionis præſentis imperium ſimul oppignorari ſolet; non tamen ſimpliciter neceſſe eſt, cum etiam ſine eo pactum antichreſticum, de quo dictum (§. 484.), ſubſiſtere poſſit. In hoc autem caſu quam maxime opus eſt, ut conveniatur, quatenus exercitium imperii creditori permiſſum eſſe debeat, & Juri naturæ convenit, ut ſubditorum commodis proſpiciatur, in quos creditor imperium exercet. Quamvis enim ex iis, quæ circa oppignorationem & pactum antichreſticum Juris naturæ ſunt, etiam demonſtrari poſſit, quid in caſu oppignorati imperii conveniat; cum tamen id non adeo apertum ſit omnibus, conſultius eſt ut de ejus exercitio conveniatur. Certa ſemper ſunt præferenda iis, quæ in diſceptationem cadere poſſunt.

§. 488.

Si in terris traditis in ſecuritatem pecuniæ debitæ ac uſurarum imperium ſimul oppignoratur, nec ſpecialiter de eo quidpiam fuerit conventum; imperium exerceri debet eodem modo, quo id exercebat Rector civitatis, & omnia manere debent in eo ſtatu, in quo ſunt. *Quomodo imperium oppignoratum exercendum.*

ſunt. Per ſe patet, ſi in terris traditis in ſecuritatem pecuniæ debitæ ac uſurarum imperium ſimul oppignoratur, non alienari imperium (§. 1152. *part. 5.* & §. 662. *part. 2. Jur. nat.*), ſed ſaltem ejus exercitium concedi. Quodſi ergo nihil ſpecialiter de eo fuerit conventum, quo utique ſtandum (§. 382. 789. *part. 3. Jur. nat.*); exercitium imperii eo modo conceſſum intelligitur, quale obtinuit tempore conceſſionis (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem is, cui conceditur, eodem modo id exercere debet, quo id exercebat Rector civitatis, & omnia manere debent in eo ſtatu, in quo ſunt.

Nullum itaque ex oppignoratione imperii ei, cui oppignoratum eſt, competit jus quicquam immutandi in Rep. ſine conſenſu oppignorantis. Immo ſi ſummitas imperii pleni fuerit ſine exceptione penes oppignorantem, eadem apud eundem manet. Quamobrem ſi ipſe quid immutare velit, absque præjudicio creditoris, is reſiſtere nequit. Quamvis enim creditori obedire teneantur & eatenus ejus juri ſubjecti ſunt ſubditi, quatenus exercitium imperii in eos ipſi conceſſum; manent tamen adhuc ſubditi oppignorantis, qui jus ſuum in eosdem per creditorem exercet. Ceterum multa ſunt, quæ de exercitio imperii oppignorati conveniri poſſunt, quatenus nimirum certa jura ad imperium civile ſpectantia ſibi reſervat oppignorans, veluti jus conferendi munera publica, poteſtatem legislatoriam, jus pangendi foedera, jus conſcribendi militem; vel exercitium eorum limitatur, aut ad certas leges reſtringitur, veluti ut non poſſit extraneo munus aliquod publicum conferre, ut monopolia nemini concedat, ut merces certas importari, vel exportari non permittat, ut ultra numerum conventum militem præſidiarium non habeat, ut publicum religionis exercitium certæ ſectæ non concedat, & quæ ſunt hujus generis plura.

§. 489.

De modo exigendi tributa & vectigalia vi antichrestici pacti concessa.

Si antichresis sit sine oppignoratione imperii; tributa & vectigalia a debitoribus morosis exigere nequit creditor antichresticus, nisi auxilio magistratus, qui jurisdictionem habet; ipse vero nullum sibi jurisdictionis actum arrogare potest. Etenim cum nemo plus juris ab altero acquirat, quam in eum transferre voluit transferens (§. 382. *part. 2. Jur. nat.*), vi pacti antichrestici vero saltem tributa & vectigalia conceduntur in compensationem usurarum (§. 1205. *part. 5. Jur. nat.*), jurisdictio autem ab imperio venit, quæ judicibus & aliis magistratibus competit (§. 162. 538. *part. 8. Jur. nat.*); si antichresis sit sine oppignoratione imperii, creditor antichresticus tributa & vectigalia a debitoribus morosis exigere nequit, nisi auxilio magistratus, qui jurisdictionem habet, nullum vero jurisdictionis actum sibi arrogare potest.

Nimirum cum vi antichreseos ei, cui certa provincia, aut certæ terræ oppignoratæ sunt sine imperio, saltem habeat jus in iis exigendi reditus ex domaniis, tributa & vectigalia (*not.* §. 485.); certas quidem constituere potest personas, quæ exigunt, sed quoties casus emergit, in quo judicis auxilio opus est, aut magistratus alterius, eædem id implorare tenentur. Neque enim plus permissum intelligitur, quam ut creditor antichresticus accipiat, quod ipsi tribuendum. Nullo vero modo sese immiscere potest regimini debitoris: quod nec naturaliter ipsi competit (§. 256.), nec vi pacti concessum.

§. 490.

De locatione redituum ex domaniis, tributorum & vectiga-

Si pactum antichresticum ad oppignorationem accessit; reditus ex domaniis, tributa & vectigalia aliis locari possunt. Etenim creditor antichresticus jus utendi, ac fruendi pignore etiam alii concedere potest (§. 1217. *part. 5. Jur. nat.*). Quare cum

lium in territorio oppignorato. cum hoc jus, si pactum antichresticum ad oppignorationem provinciæ, vel partis cujusdam territorii accedit, consistat in perceptione redituum ex domaniis, tributorum & vectigalium, prouti scilicet conventum fuerit (§. 485.); si pactum antichresticum ad oppignorationem Genti factam accedit, creditor antichresticus, hoc est, ipsa hæc gens reditus ex domaniis, tributa & vectigalia aliis locare potest.

Supponitur nimirum, non aliter esse conventum. Quodsi enim conventum fuerit, ne reditus domaniorum, tributa & vectigalia locari possint; locatio quoque locum non habet (§. 486.). Ceterum si subditi habuerint, quod de conductoribus conquerantur, cum nullus actus jurisdictionis competat creditori antichrestico (§. 489.) querelæ deferendæ sunt ad judicem, qui in eo loco jurisdictionem habet, & is super iis cognoscere tenetur: qui si parti uni magis faveat, quam par est, querelæ contra ipsum deferri possunt ad superiorem, a quo jurisdictionem habet (§. 547. *part. 8. Jur. nat.*), ut adeo de impartialitate securi esse possint conductores.

§. 491.

De pacto antichresi affini. *Si certa provincia, aut certa territorii pars una cum imperio tradatur Genti ea lege, ut loco pecuniæ creditæ, vel alterius debiti ad certum tempus possideat; eadem valent, quæ de antichresi cum oppignoratione imperii.* Quamvis enim hoc pactum, quo convenitur, ut re oppignorata tamdiu fruatur creditor, donec ex fructibus perceptis tam de sorte, quam usuris ipsi fuerit satis factum, proprie antichresis non sit (§. 1215. *part. 5. Jur. nat.*); cum tamen ab eo nonnisi in eo differat, quod in hac percipiantur reditus ex domaniis, tributa & vectigalia in compensationem usurarum saltem, in pacto autem istius simul in compensationem sortis *per hypothesin*, ab ea nulla manat

nat juris differentia. Quamobrem quæ de antichresi cum oppignoratione imperii facta valent; ea etiam valent de pacto præsenti.

Equidem cum de pacto hoc antichrestico affini ageremus, monuimus, si non ad certum tempus restringatur, sed dicatur, donec de sorte & usuris creditori fuerit satisfactum, fructuum perceptorum rationem reddendam esse (*not.* §. 1215. *part. 5. Jur. nat.*); non tamen facile inter Gentes ita contrahetur, propterea quod negotium rationum reddendarum multis difficultatibus obnoxium sit. Quam maxime autem inter Gentes curandum, ne controversiis non facile terminandis materia præbeatur. Assimilatur pactum præsens territorii conductioni ad certum tempus contractæ, in qua totum locationis pretium ab initio statim solvitur, ac per consequens minus esse debet, quam si particulariter certo die solveretur. Quemadmodum enim reditus ex domaniis, tributa & vectigalia privatis locari possunt; ita nil obstat, quo minus etiam locentur Genti, nec tum absurdum est, ut locatio sit conjuncta cum imperii concessione.

§. 492.

Quando oppignorationes inter Gentes finiantur.

Quamprimum id præstitum fuit, cujus causa certa provincia, vel territorii pars, aut certus quidam locus, vel jus certum oppignoratum fuit; pignus solvitur & antichresis, quæ accesserat, extinguitur.

Etenim quando præstitum id fuit, cujus causa certa provincia, vel territorii pars, aut certus quidam locus, vel jus certum oppignoratum fuit; per se patet debitum sublatum esse. Enimvero debito sublato, pignus solvitur (§. 1244. *part. 5. Jur. nat.*). Ergo etiam solvitur, quamprimum id præstitum, cujus causa certa provincia, vel territorii pars, aut certus quidam locus, vel jus certum oppignoratum fuit (§. 3.). *Quod erat unum.*

Quamprimum pignus luitur, antichresis extinguitur (§. 1218. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum debito soluto, consequenter præstito eo, quod debebatur (§ 659. *part. 5. Jur. nat.*), pignus luatur (§. 1159. *part. 5. Jur. nat.*); quamprimum præstitum fuit id, cujus causa oppignoratio facta, antichresis, quæ accesserat, extinguitur (§. 3.). *Quod erat alterum.*

Soluto debito, cessat ratio oppignorationis, cessat quoque ratio antichreseos. Quamobrem cum nulla amplius ratio sit, cur jus quoddam Genti uni in re alterius competere debeat; nullum quoque competere potest (§. 170. *Ontol.*). Patet itaque ex primis philosophiæ primæ principiis absque ambagibus deduci posse, quæ prolixius demonstrantur in Jure naturæ. Notandum præterea, principium rationis sufficientis non minus dominari in Jure naturæ, quam in disciplinis aliis, utpote quod violari nullibi potest, nisi rationem ejurare, consequenter insanire velis. Quamvis vero nolim, ut ex primis Ontologiæ principiis demonstrentur, quæ inde deduci possunt, propterea quod demonstrationes ex principiis proximis petitæ majorem lucem affundant, & nexum veritatum (id quod systemati proprium est) manifestent; deductionem tamen ex principiis Ontologiæ utilem existimo ad inveniendum & hic eorum usus esse quoque debet, cum sint notiones directrices, quæ viam monstrant, qua in inveniendo sit eundum. Usum ea præterea hunc habet, ut multorum cognitionem memoriam minime onerando in potestatem tuam redigere possis.

§. 493.

De restitutione rei oppignoratæ.

Quoniam pignus solvitur, & antichresis, quæ accesserat, extinguitur, quamprimum præstitum fuit id, cujus causa oppignoratio facta (§. 492.), consequenter Genti, cui res alterius oppignorata fuit, nullum amplius jus in ea competit;

petit; *quamprimum præstitum fuit id, cujus causa oppignoratio facta, provinciæ, territorii partes vel loca alia oppignorata sunt restituenda, & usus juris oppignorati statim cessare debet.*

Cum soluto debito, cesset ratio oppignorationis & antichreseos (*not.* §. 492.); quæ sunt Gentis alterius jam sine causa sunt apud Gentem, cui oppignorata fuerant & antichresis concessa. Quamobrem restituenda (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*). Cum jura non tradantur, nisi quatenus dominus eadem exerceri ab alio patitur (§. 39. *part. 3. Jur. nat.*); ea quoque aliter restitui nequeunt, quam si qui ea exercuit ab exercitio desistat.

§. 494.

Quando pignus, quod luitur, retineri possit.

Pignus, quod luitur, pro alio debito a Gente, cui oppignoratio facta, retineri potest, nisi expresse aliter fuerit conventum.

Etenim si pignus luitur, naturaliter pro debito alio retineri potest (§. 1239. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes inter se non alio jure utantur, quam naturali (§. 3.); si pignus luitur, idem pro alio debito a Gente, cui oppignoratio facta, retineri potest. *Quod erat unum.*

Enimvero si expresse conveniatur, ut pro alio debito retineri non possit; qui pignus accipit, juri naturaliter sibi competenti *per demonstrata* renunciat (§. 103. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum naturaliter quilibet juri suo renunciare possit, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part. 3. Jur. nat.*), quale in præsenti casu nullum adesse patet, qui vero juri suo renunciat, ei, cui renunciat, sese obligat, quod jure suo adversus ipsum uti nolit (§. 104. *part. 3. Jur. nat.*); si expresse fuerit conventum, ut pignus pro alio debito retineri non possit, quando pignus luitur, statim restituendum,

tuendum, nec pro alio debito retineri potest. *Quod erat alterum.*

Non contrariatur retentio pignoris pro debito alio propositioni praecedenti (§. 493.). Ibi enim tacite supponitur, non aliam adesse causam, cur pignus, quod luitur, penes eum manere debeat, cui constitutum (*not.* §. *cit.*). Hinc patet utilitas principiorum generalium, quae haud raro lucem affundunt, ne contradicere sibi videantur, quae simul vera sunt. Consultum vero est, ut in oppignorationibus, quae a Gentibus fiunt, de restitutione conveniatur, ne quod oppignoratum fuit in causam aliam retineri possit. Tum enim Gens, cui oppignoratio fit, renunciat oppignorationi invitae natura ipsi competenti (§. 1118. *part.* 5. *Jur. nat.*), & per consequens juri ex eadem sibi quaesito *vi praesentis*, ac per consequens eodem adversus alterum uti nequit (§. 104. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 495.

De bonis civium pro debitis civitatis obligatis.

Bona civium seu subditorum obligata sunt naturaliter pro debitis civitatis, seu Gentis. Etenim naturaliter bona debitoris obligata sunt creditori pro debito illius (§. 1177. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum respectu Gentium extranearum bona omnia singulorum simul sumta habenda sint pro bonis civitatis (§. 289.); bona quoque civium seu subditorum naturaliter obligata sunt Genti pro debitis civitatis, seu Gentis alterius.

Vide, quae alibi annotavimus (*not.* §. 1177. *part.* 5. *Jur. nat.*), & confer, quae supra annotata sunt (*not.* §. 289.).

§. 496.

An idem valeat de bonis Regis privatis.

Quoniam bona civium naturaliter obligata sunt pro debitis civitatis, seu Gentis (§. 496.), bona vero Regis privata, qui quoad ea tanquam persona privata spectatur, aequiparantur

parantur bonis civium, quæ itidem privata sunt (§. 23. *part. 8. Jur. nat.*); *bona* etiam *Regis privata pro debitis civitatis seu Gentis obligantur naturaliter.*

Debitum hic & in propositione præsenti sumitur in significatu generali pro eo omni, ad quod præstandum alteri obligamur (§. 170. *part. 3. Jur. nat.*), undecunque obligatio ista descendat.

§. 497.

Obsides dicuntur personæ, quæ in securitatem debiti traduntur, scilicet conventum servatum, vel debitum præstitum iri. Quoniam oppignoratio in securitatem debiti fit (§. 1142. 1143. *part. 5. Jur. nat.*); *obsides revera oppignorantur*, consequenter *quæ de pignoribus demonstrata sunt in Jure naturæ, ad obsides quoque applicari possunt, quantum fert differentia inter res & personas intercedens.* *Obsides quid sint.*

Quemadmodum res ita & personæ oppignorantur, consequenter obsides dantur, ubi fides ejus, qui quidpiam præstare obligatus, suspecta est. Quodsi ubivis fides esset tuta, obsidibus non esset opus; cum nulla foret earum utilitas.

§. 498.

Quoniam *obsides* dantur in securitatem debiti (§. 497.); *tamdiu retinentur, donec præstitum fuerit, quod debebatur.* *Quamdiu obsides retinendi.*

Obsidibus nimirum cavetur conventum servatum, vel quod debetur præstitum iri. Hac cautione opus est, donec id præstitum fuerit. Atque ideo tamdiu retinendi, donec debitum fuerit solutum. Sermo vero hic est tantummodo de jure; qui vero obsides accepit, eos tamdiu retinere non obligatur. Quodsi enim fides dantis suspecta ipsi esse desinat, cum quili-

bet jus suum remittere possit (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), eos dimittere potest: immo si ita visum fuerit, potest etiam dimittere alia quacunque de causa.

§. 499.

De Jure custodiendi obsides.

Similiter quoniam obsides dantur in securitatem debiti (§. 498.), consequenter accipientis interest, ne aufugiant; *accipienti competit jus eos custodiendi, quantum sufficit, ne aufugere possint*, consequenter *durior custodia illicita.*

Ita non licet obsides in vincula & carcerem conjicere: nulla enim causa est, cur hoc modo fuga ipsorum sit impedienda. Accedit, quod, si non duriter tractentur nec nimis aspere, id quod fieri minime debet, non est, cur de fuga sint suspecti. Differt autem custodia rei oppignoratæ a custodia obsidum. Creditor enim constituenti obligatur ad pignus diligenter custodiendum, ne pereat, vel deterioretur (§. 1184. *part. 5. Jur. nat.*) & resarcire eidem tenetur damnum, si dolo vel culpa ejus res oppignorata interierit, vel deteriorata fuerit (§. 1185. *part. 5. Jur. nat.*); ast obsides custodiuntur ejus, qui accepit, causa. Illius custodia debita; horum custodia saltem licita.

§. 500.

An obsides ad operas præstandas cogi possint.

Obsides ad nullas operas præstandas cogi possunt. Etenim obsides oppignorantur ei, qui eosdem accipit. Quamobrem cum creditori pignore uti non liceat (§. 1182. *part. 5. Jur. nat.*), obsidibus autem aliter uti non datur, nisi quatenus certæ operæ præstandæ ipsis injunguntur; iidem ad nullas operas præstandas cogi possunt.

Obsidum datio non aliud tribuit jus accipienti, quam ut retineantur, donec debitor ipsis satisfecerit (§. 498.), & per consequens jus ad media, sine quibus retineri non possint, qualis est custodia (§. 499.). Nullum igitur jus competit ad

opera.

operarum præstationem, aut ut duriter ac nimis acerbe tractentur obsides, dum loco pignoris sunt.

§. 501.

Si obsides dantur, libertas naturalis eorum oppignoratur, non vero vita oppignorari potest. Etenim natura homines liberi sunt (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum res quælibet oppignorari possit, libertas vero in numero rerum incorporalium sit (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), si obses datur, libertas ejus oppignoratur. *Quod erat unum.*

Quid in datione obsidum oppignoretur.

Enimvero nec homini in vitam suam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*), nec alteri ulli in eandem jus quoddam competit (§. 743. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec vita oppignorari potest, ac per consequens si obses datur, vita ejus oppignorari nequit. *Quod erat alterum.*

Homo nil habet præter bona sua & libertatem natura ipsi competentem, cum jus in vitam nullum eidem competat (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*). Quando obses datur, pignoris jus accipienti non constituitur in bonis ejus, ea enim non traduntur, nec quicquam de iis dicitur, sed in persona, quæ traditur. Quamobrem non bona ejus, sed libertas oppignoratur, vita autem oppignorari nequit. Monuimus jam supra (*not.* §. 476.), olim eam fuisse opinionem, quasi homini natura quoque competat jus in vitam suam. Et tunc vita quoque obsidum oppignorata credebatur. Sed sententia ista a Jure naturæ abhorret.

§. 502.

Quamprimum præstitum fuit id, ob quod dati sunt obsides, iidem sunt dimittendi. Etenim quamprimum pignus luitur, consequenter debitum solvitur (§. 1159. *part. 5. Jur. nat.*),

De dimissione obsidum.

adeoque præstatur quod debebatur (§. 659. *part. 5. Jur. nat.)*, pignus restituendum (§. 1160. *part. 5. Jur. nat.).* Quoniam itaque obsides oppignorantur (§. 497.) & tamdiu retineri debent, donec debitum solvatur (§. 498.); quamprimum præstitum fuit id, ob quod obsides dati, iidem dimittendi sunt.

Eo ipso igitur momento, quo solutio fit, obsides quoque liberantur, consequenter custodia eorum cessat (§. 499.), ac liber abitus ipsis concedendus.

§. 503.

An obsides in aliam causam retineri possint.

Obsides in unam causam dati in aliam retineri possunt, nisi expresse aliter fuerit conventum, scilicet ut reddantur, ubi id, cujus nomine dati, expletum fuerit. Quoniam enim obsides sunt pignoris loco (§. 497.) & pignus luitur, quando præstatur id, cujus nomine dati sunt (§. 1159. *part. 5. Jur. nat.)*, quando vero pignus luitur, pro alio debito retineri potest etiam inter Gentes, nisi expresse aliter fuerit conventum (§. 494.); obsides quoque pro alio debito retineri possunt, quamvis præstitum fuerit id, cujus nomine dati, nisi expresse aliter conveniatur, scilicet ut reddantur, ubi id, cujus nomine dati, impletum fuerit.

Sunt equidem qui putant, mere civile esse, ut pignus pro alio debito, quando luitur, retineri possit; contrarium tamen alibi jam ostendimus (§. 1239. *part. 5. Jur. nat.).* Ibidem vero jam observavimus, quod ipsa quoque demonstratio aperte loquitur, jus retinendi pignus in causam aliam non venire ex contractu pignoris, ad quem unice animum advertunt, qui pro mere civili idem habent, sed ex jure oppignorationis invitæ unicuique naturaliter competente (§. 1118. *part. 5. Jur. nat.).* Quamobrem opus non est, ut controversia de jure retinendi

tinendi obsides in aliam causam definiatur ex pacti interpretatione, cum satis manifestum sit, ex eo plus juris in obsides accipientem acquirere non potuisse, quam dans in eum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), contra eum autem pro vero haberi non posse, nisi quod sufficienter indicavit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*), nimirum ut obsides teneantur in eam causam, in quam dantur: aliud enim præsumi, ne interpretatio quidem admittit (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Ubi vero id, de quo conventum, manifestum est, nullus interpretationi locus est (§. 460. *part. 6. Jur. nat.*). Retentionem vero obsidum ex eo jure, quo ex facto imperantium detineri possunt subditi κατ' ἀνδρολη ψίαν, seu, ut *Gronovius* interpretatur, per pignoris capionem, ipse *Grotius* admittit lib. 3. c. 20. §. 55. sit ita quod ad jus Gentium voluntarium hoc jus referat. Parum igitur refert, utrum dicas eos retineri ut obsides, an vero neges eos ut obsides retineri & affirmes retineri saltem ut subditos dantis. De eo enim quæritur, num qui in unam causam dati fuerant obsides in aliam causam, seu in securitatem alterius cujusdam debiti retineri possint. Neque tamen minus recte dicuntur tanquam obsides retineri, cum revera retineantur pignoris loco, nimirum non ut obsides dati, quales desinunt esse, quamprimum debitum solutum, pro quo obligatur eorum libertas (§. 501.), sed ut capti, vi pignoris capionis, quemadmodum modo dictum. Ceterum ἀνδροληψία vi vocis viricapionem denotat, quæ apud Athenienses lege permissa erat, si civis atheniensis in alieno territorio fuerat occisus, occisi nimirum proximis ac necessariis competebat jus homines tres, non ultra, prehendendi, donec aut poena sumeretur de cæde, aut homicida dederetur. Ne tamen quicquam difficultatis supersit, jus invitæ oppignorationis aut, si mavis pignoris capionis inter Gentes ad ipsas quoque personas extendi posse; idem mox demonstrare lubet. Per ea vero, quæ diximus, patet, quando expresse convenitur, ne in aliam causam

ſam retineri poſſint obſides, renunciari juri pignoris capionis naturaliter competenti (§. 104. *part. 5. Jur. nat.*).

§. 504.

De impenſis in alimenta obſidum & debitis ab iis contractis.

Qui obſides dedit reſtituere tenetur impenſas in alimenta eorum factas, & obſes debita, quæ contraxit, ſolvere debet, antequam dimittatur. Etenim debitor reſtituere obligatur impenſas neceſſarias in pignus factas (§. 1199. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum obſides ſint loco pignoris (§. 497.), & ſine alimentis nemo vivere poſſit, ac per conſequens impenſæ in alimenta obſidum factæ æquiparentur impenſis neceſſariis in pignus factis (§. 604. *part. 2. Jur. nat.*); qui obſides dedit reſtituere tenetur impenſas in alimenta eorum factas. *Quod erat unum.*

Quoniam ad debitum ſolvendum obligamur (§. 170. *part. 2. Phil. pract. univ.* & §. 659. *part. 5. Jur. nat.*); extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod obſes ſolvere debeat debita, quæ eo in loco contraxit, in quo ut obſes detentus fuit. Enimvero ſolutio fieri debet eo loco, de quo conventum eſt; quodſi vero de loco ſolutionis nihil expreſſe dictum, locus contractus cenſetur locus ſolutionis (§. 693. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem ſive obſes expreſſe promiſerit ſolutionem ante abitum, ſive de tempore ac loco ſolutionis nihil fuerit dictum; obſes tamen eo in loco ſolvere tenetur, ubi ut obſes detentus fuit. Quoniam vero interpretatio facienda de eo, de quo veriſimiliter fuit cogitatum (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*), qui cum obſide contraxit, utut de loco & tempore ſolutionis nihil expreſſe fuerit objectum, non aliter tamen contraxiſſe intelligitur, quam ut ſolvat, antequam abeat. Obſes igitur debita, quæ contraxit, ſolvere tenetur, antequam dimittatur. *Quod erat alterum.*

Intereſſe

Interesse creditoris, ut obses solvat, antequam dimittatur, nemo est qui nesciat, aut negare ausit. Sed ex eo, quod tua interest, non tibi ad id nascitur jus, quod aliunde non habes (§. 265. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem in demonstratione animum non attendimus ad rationes, quæ inde petuntur.

§. 505.

Quoniam qui obsidem dedit restituere tenetur impensas in alimenta factas & obses quoque solvere debita, quæ contraxit, antequam dimittatur (§. 504.); *quamdiu impensæ in alimenta factæ non fuerint restitutæ, nec debita, quæ obses contraxit, soluta, obses retineri potest ut debitor.* *Quod obses ob ea retineri possit.*

Jus retinendi obsidem, etsi id, cujus nomine datus, fuerit impletum, ex duplici causa venit, nimirum ex causa dationis, ad quam pertinent impensæ in alimenta factæ, & ex contractibus, quos obses iniit cum civibus loci, ubi detentus fuit. Priori respectu dici poterat retineri ut obses, nisi obsidis dationem stricte interpretari velis: ast posteriori respectu non aliter quam ut debitor ex contractu retineri potest, & retentio æquipollet, arresto. Parum equidem referre videtur, utrum obses retineri dicatur ut obses, an ut debitor; necesse tamen est, ut ad hoc discrimen animus attendatur, ne jus retentionis assertum contrariari putetur obsidum dimissioni antea demonstratæ (§. 502.), & ne exceptionem a regula dicamus, quasi ea universaliter vera non sit, si non causa jus priori contrarium parere apta accedat. Quamvis itaque sæpe dicamus, aliquid ita se habere, nisi adsit aut fiat aliud; id tamen non ita intelligendum est, quasi illud, quod asseritur, non sit universaliter verum, sed restringatur per id, quod adjicitur, aut, ut vulgo dicitur, quasi regula hanc habeat exceptionem, sed tantummodo asseritur, novam accedere posse causam, quæ jus priori contrarium parit, quo executio prioris vel differtur, seu suspen-

ſuſpenditur, vel jus prius prorſus tollitur. Id ſatis evidens eſt ex ipſa demonſtratione illarum propoſitionum, quæ ſpeciem reſtrictionis mentiuntur. Ipſa enim propoſitio univerſaliter demonſtratur, id quod fieri minime poſſet, niſi revera eſſet univerſaliter vera; quod vero per modum reſtrictionis adjicicitur peculiariter demonſtratur tanquam propoſitio a priori diverſa, quippe in qua alia quam in hac ſumuntur. Atque ideo quoque poſterius tanquam peculiaris propoſitio ab altera ſeparari & ſeorſim demonſtrari poteſt, quemadmodum etiam a nobis haud raro fit.

§. 506.

De effectu obſidum.

Obſidum datio non novam producit obligationem, ſed fidem dantis ei, cui dantur, magis adſtringit. Obſides enim dantur in ſecuritatem debiti, ſcilicet conventa ſervatum vel debitum præſtitum iri (§. 497.). Quoniam itaque obſidum datio non obligat ad aliquid præſtandum, niſi quod dans præſtare jam antea obligabatur; evidens eſt, dationem non novam producere obligationem. *Quod erat unum.*

Enimvero cum obſides dentur in ſecuritatem debiti (§. 497.), ac per conſequens petantur ab eo, cujus fides ſuſpecta eſt, ſeu quando qui petit veretur, ne is fidem fallat; qui obſidem dat ad fidem ſervandam ſe alteri obligat. Quamobrem cum fidem alterius adſtringat, qui ipſum obligat ad fidem ſervandam (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*); obſidum datio ei, cui dantur, fidem dantis magis adſtringit. *Quod erat alterum.*

Nimirum liberatio obſidum motivum eſſe debet adimplendi id, cujus nomine iidem dantur. Atque ideo patet, obſidum datione dantem ſibi obligare ad adimplendum id, cujus nomine dantur, qui eos accipit (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ceterum cum obſides in dante non novam obligationem producant,

ducant, sed eam, cujus nomine dantur, tantummodo firment; obsides tantummodo dicuntur accessio obligationis.

§. 507.

Personæ civium obligatæ sunt naturaliter pro debitis civitatis, sive Gentis. Etenim bona civium obligata sunt naturaliter pro bonis civitatis (§. 495.). Quamobrem cum in bonis etiam sint jura homini competentia (§. 451. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter etiam libertas, natura ipsi competens (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), hoc ipsum vero jus personæ ita inhæreat, ut ab ea separari minime possit; personæ quoque civium naturaliter obligatæ sunt pro debitis civitatis.

De obligatione personæ civium pro debitis civitatis.

Atque ita ostendimus, quod paulo ante nos demonstrare promisimus (*not.* §. 501.). Hinc vero nascitur Genti, cui præstare, quod debet, altera non vult, jus in personas civium, quemadmodum in bona ipsorum, prouti suo loco evidentius patebit.

§. 508.

Obsides dantur personæ, quas liberatum iri maxima spes est, non minus foeminæ ac pueri, quam viri. Quoniam personæ civium obligatæ sunt naturaliter pro debitis civitatis, seu Gentis (§. 507.), quando vero quis obses datur, ejus libertas naturalis, consequenter persona, cui ea inseparabiliter inhæret, pro debito Gentis obligatur (§. 508. *h.* & §. 1163. *part. 5. Jur. nat.*), & in numero civium non minus foeminæ ac pueri, quam viri esse intelliguntur (§. 6. *part. 8. Jur. nat.*); naturaliter personæ quæcunque, non minus foeminæ ac pueri, quam viri obsides dari possunt. Dantur vero obsides in securitatem debiti, scilicet conventa servatum, aut quod debetur præstitum iri (§. 497.). Quamobrem cum intersit

Quinam obsides dentur.

accipientis, ne promiſcue quælibet perſonæ obſides dentur; tales omnino dentur neceſſe eſt, quas liberatum iri maxima ſpes eſt.

Securitati accipientis obſidum datione unice conſulitur, qui ſine iis fidem habere non vult debitori. Cui vero ſuſpecta eſt fides alterius, ne ſtet promiſſis, eo non minus ſuſpecta eſt obſidis liberatio. Hæc autem ſuſpicio aliter tolli nequit, quam ſi obſides dentur perſonæ, quas liberatum iri maxima ſpes eſt: id quod ex earum qualitatibus dijudicandum & pro datis circumſtantiis facile dijudicatur.

§. 509.

De qualitate obſidum.

Quia obſides dantur perſonæ, quas liberatum iri maxima ſpes eſt (§. 508.); ideo *obſides dantur perſonæ chariſſimæ, dignitate aut meritis in Remp. eminentes, aut maximis opibus prædita, ſi vero tales haberi non poſſunt, fiducia in multitudine eſt.*

Ipſi ſane Reges ac Principes, liberos ſuos obſides dederunt, veluti *Franciſcus I. Carolo V.* Non vero ſolummodo a voluntate ejus, cui obſides dantur, & cujus maxime intereſt ut dentur, dependet, quales accipere velit, aut petere; verum etiam ſubinde dans in ſignum ſinceritatis atque tenacitatis ſervandæ fidei tales offert obſides, in quibus maxima fiducia collocari poteſt: id quod convenit officio viri boni, qui omnem ſuſpicionem injuſtitiæ & inhoneſtatis a ſe amoliri pro virili ſtudet (§. 968. *part. 4. Jur. nat.*). Abſit itaque ut reprehendas, ſi quis perſonas ſibi chariſſimas obſides ſponte offerat, veluti proprios liberos, circumſtantiis ita exigentibus.

§. 510.

Cuinam competat jus dandi obſides.

Summis poteſtatibus competit jus dandi obſides & poteſtatibus minoribus intra terminos præpoſitionis. Obſides enim dantur in ſecuritatem publice conventa ſervatum iri, vel quod alias debetur

tur præstitum iri (§. 497.), consequenter pactionum publicarum causa (§. 369.), cumque is, cui dantur, sine iis fidem habere nolit nudis promissis, necessitas eos exigit. Quamobrem cum potestatibus summis competat imperium summum in civitate (§. 368.), adeoque etiam potestas eminens in personam civium, vi cujus salutis publicæ causa in casu necessitatis de persona civium disponere possunt (§. 114. *part. 8. Jur. nat.)*; iisdem quoque competit jus obsides dandi. *Quod erat unum.*

Enimvero potestates minores partem quandam imperii dependenter a summa potestate & ejus nomine exercent (§. 368.). Quamobrem cum intra terminos præpositionis idem facere possint, quod ipsa potestas summa facere deberet, potestas autem summa, quando necessitas exigit, obsides dare potest, *per demonstrata n. 1.* potestates quoque minores intra terminos præpositionis obsides dare possunt. *Quod erat alterum.*

Tantundem nimirum juris a summa potestate in minores concessum intelligitur, quanto opus habent, ut negotia, quibus præpositi sunt, perficere possint. In bello, in quo obsidum datio inprimis recepta est, haud rari sunt casus, in quibus necesse est, ut obsides dentur a potestatibus minoribus: in bello enim maxime suspecta esse solet fides. Non desunt tamen etiam casus, in quibus extra bellum obsides recte petuntur & petentibus dantur, etsi rariores.

§. 511.

An quis obses ire teneatur.

Quoniam summis potestatibus competit jus dandi obsides & potestatibus minoribus intra terminos præpositionis (§. 510.); *Qui obses datur, obses ire tenetur, nec ab ejus voluntate dependet, utrum ire velit, nec ne.*

Nullum

Nullum foret jus dantis, si ab ejus, qui obses datur, voluntate dependeret, utrum obses iri velit, nec ne. Eundi igitur obligatio conjuncta est cum jure dandi, & originem suam deducit ex pacto, quo civitates constitutæ (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), & vi cujus singuli se obligarunt universis, quod commune bonum promovere velint (§. 28. *part. 5. Jur. nat.*), unde manat imperium publicum (§. 29. 32. *part. 8. Jur. nat.*), quod potestatem eminentem continet (§. 114. *part. 8. Jur. nat.*), vi cujus obsides dari ex demonstratione propositionis præcedentis liquet.

§. 512.

An quis obses invitus dari possit.

Quoniam *qui obses datur*, obses ire tenetur, minime autem a voluntate ipsius dependet, utrum ire velit, nec ne (§. 511.); *ut eat cogi potest.*

Per se patet, obsidem ire maxime odiosum esse, consequenter fore perpaucos, qui obsides ire velint, ac non potius ab hoc onere liberari malint. Quoniam vero hoc est officii ipsorum; ideo a summa potestate, quæ jus populi, seu universorum in civitate habet, & ejus nomine a potestatibus minoribus cogi possunt, ut satisfaciant obligationi suæ, si facere nolint (§. 29. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 513.

Quando sorte dirimendum, quis obses ire debeat.

Si plures sint, quorum quis obses eat Reip. nihil interest; sorte res dirimenda. Quodsi enim plures sint, quorum quis obses eat Reip. nihil interest, ratio electionis deficit, consequenter nec ratio ulla est, cur hic potius, quam alter cogatur, ut eat (§. 512.). Quamobrem eum sorte electrice definiatur, quid ex duobus, vel pluribus sit eligendum (§. 297. *part. 5. Jur. nat.*), atque ea tantummodo sorte dirimenda non sint, quæ certo consilio fieri possunt (§. 296, *part. 5. Jur. nat.*), id quod

quod in casu præsenti fieri nequit *per demonstrata*; si plures sint, quorum quis obses eat Reip. nihil interest, sorte utique res dirimenda.

Probe notandum est, sorte ut res dirimatur, necesse esse, ut nihil intersit Reip. quorum quis obses eat. In casu enim opposito non deficit electionis ratio, quæ locum sorti non facit (§. 296. *part. 5. Jur. nat.*).

§. 514.

Quando vasallus obses dari non possit.

Feudi domino non competit jus vasallum obsidem dandi, si subditus non sit. Etenim jus dandi obsidem potestati summæ competit (§. 510.), consequenter vi imperii summi (§. 368.), quod etiam potestatem eminentem, seu jus disponendi de persona civium utilitatis publicæ causa in casu necessitatis continet (§. 114. *part. 5. Jur. nat.*), obses datur. Enimvero si vasallus subditus non sit, nec feudi dominus potestatem eminentem in ipsum habet. Et quoniam jus domini feudi metiendum est ex contractu feudali (§. 172. *part. 6. Jur. nat.*), in hoc autem saltem conveniatur de certis præstationibus, quæ feudo per se non insunt (§. 173. & *seqq. part. 6. Jur. nat.*), quod saltem requirit fidelitatem domino præstandam (§. 155. *part. 6. Jur. nat.*), consequenter ut damna ab eo avertere & commoda ejus promovere non negligat &, quæ specialiter conventa sunt, præstet (§. 154. *part. 6. Jur. nat.*); nec feudi dominus quicquam juris in vasallum sibi arrogare potest, quod ad exercitium potestatis eminentis pertinet, nec jus ipsius huc pertingit. Quodsi ergo vasallus subditus non sit, feudi domino non competit jus vasallum obsidem dandi.

Aliud est esse subditum, aliud esse vasallum, nec jus domini feudi in vasallum ex eodem fonte fluit, ex quo jus potestatis

testatis summæ in subditum. Quamobrem jura potestati summæ in subditum competentia tribui nequeunt domino feudi. Et si contingat, jus quoddam Domino feudi in vasallum competere, quod etiam habet potestas summa in subditum; id ex accidente est, nec ob eandem rationem utrique competit, ac ideo quod utrique competat ex diversis principiis demonstrandum.

§. 515.

Obsidi dato fugere an liceat.

Obsidi dato fugere non licet. Etenim obsides dantur jure summæ potestatis (§. 511.), cumque jam naturaliter obligati sint pro debitis civitatis (§. 507.), tanto magis ipsis standum est illius voluntate. Quamobrem cum dentur in securitatem conventa servatum, vel debitum præstitum iri (§. 497.); non alia intentione dati intelliguntur, quam ut manere debeant, donec præstitum id fuerit, cujus nomine dati, adeoque manere debent, nequaquam vero iis fugere licet.

Cum subditus consentire debeat in ea, quæ summa potestas vi potestatis eminentis facit; obses ab ea, vel jure ejus datus nunquam invitus dari censetur. Nulla igitur hinc est distinctio utrum obses sua sponte se dederit, an a summa potestate vel jure ejus datus fuerit, ita ut in casu priore fugere non liceat, quia ex facto proprio tenetur, non autem in posteriore, quia quoad jura privata habendus saltem pro capto, civitate jus suum imperii saltem transferente, juribus privatis integris relictis. Neque enim hoc convenit cum potestate eminente, qua si utitur superior, eidem non minus parendum, quam si jure ordinario alia imperet. Quod vero *Grotius* l. c. c. 20. §. 54. ait, non videri animum fuisse civitatis civem ne aufugeret obligandi, sed hosti dandi facultatem, qualis vellet custodiæ; id candori repugnat, quo negotia inter Gentes agenda,

da, & duriorem omnino efficeret conditionem obsidum, qui cum merito essent de fuga suspecti, acerbe quoque ac nimis aspere jure custodirentur.

§. 516.

An obses fugiens a civitate recipi & retineri possit.

Obsidem fugientem civitas recipere ac retinere nequit. Civitas enim obsidem dedit in securitatem conventa servatum, vel id, cujus nomine is datur, præstitum iri (§. 497.), consequenter cum securitas tollatur, nisi obses maneat, eo animo ut manere debeat. Enimvero si fugientem reciperet ac retineret, factum ejus approbaret, fidemque falleret (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum fidem fallere non liceat (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*), nec civitas obsidem fugientem recipere ac retinere potest.

In obsidum datione continetur tacita promissio, obsidem fugientem non receptum, nec retentum iri, qua dans non modo accipienti se obligat ad eum non recipiendum, verum etiam motivum manendi, non aufugiendi præbetur obsidi, ubi novit, se a civitate non receptum iri. Atque ita obsidum datio integra fide perficitur, qua vix quicquam magis Gentes decet.

§. 517.

An in locum obsidis mortui alius dandus.

Si obses moritur, ejus loco alius dandus non est. Obsides enim sunt pignoris loco (§. 497.), consequenter si obses moriatur, perinde est, ac si pignus intereat. Enimvero si pignus interit, idem solvitur (§. 1255. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem si obses moritur, jus quoque tuum, quod in eo habebas, extinguitur (§. 1240. *part. 5. Jur. nat.*). Quoniam vero in datione obsidis conventum non est, ut, si qui obses datur moriatur, ejus loco detur alius, nemo autem plus juris acquirere potest, quam alter in eum transferre voluit

luit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.)*, nec contra eum pro vero haberi poteſt, niſi quod ſufficienter indicavit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*); ſi obſes moritur, ejus loco alius dandus non eſt.

Non eſt quod urgeas, morte obſidis tolli ſecuritatem, quam accipienti præſtare voluiſti. Neque enim tollitur tua culpa, ſed vi majori, cui tu reſiſtere minime potes. Caſum igitur, quem nulla tua culpa præceſſit, præſtare haud obligaris. Sane ſi pignus interit, ſecuritas quoque evaneſcit, quam in eo habebat creditor. Non tamen propterea eidem obligaris ad pignus aliud dandum. Fidendum ſine pignore. Aliter vero ſeſe res habet, ſi expreſſe conveniatur, ut, ubi obſidem mori contingat, ejus loco detur alius: tum enim obligatio dandi alium ex pacto, non ex datione pignoris deſcendit.

§. 518.

Cur plures dandi.

Quoniam ſi obſes moritur, ejus loco alius dandus non eſt (§. 517.), mortis vero hora incerta eſt, ſecuritati accipientis magis proſpicitur, præſertim ſi in longius tempus detur obſes, ſi plures dentur, ac ideo *plures obſides dari recte petit is, cui ſuſpecta eſt debitoris fides.*

Obſides plures dantur majoris ſecuritatis cauſa: ut vero per pluralitatem perſonarum major præſtetur ſecuritas, non una eademque ratio eſt. Etenim aut ea compenſatur valor perſonæ (§. 509.), aut proſpicitur ſecuritati in eventum mortis, *vi præſentis*, aut denique eandem exigit nimia diffidentia petentis.

§. 519.

Si obſes datus ſuccedat in regno dantis.

Si obſes datus fiat ſucceſſor dantis, antequam id præſtetur, cujus nomine datur; alio idoneo in locum ſui ſubſtituto ipſe liberatur. Quoniam qui obſes datur, non eſt ipſe ſumma poteſtas; per ſe

se patet, non id actum esse, ut ipse Rex sit obsidis loco, & per consequens is, cui datur, prætendere nequit, ut ipse sit obses. Quamobrem tacite exceptum intelligitur, ut, si contingat eum fieri successorem, persona alia idonea in ejus locum substituatur. Casu igitur existente, si persona alia in ipsius locum substituatur, qui ab initio fuerat datus liberatur.

Non plus juris prætendere potest is, cui obses datus, quam in ipso dationis actu in eum a dante translatum (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*): id quale fuerit, ex eo dijudicandum, quod tum sufficienter significatum (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*). Quoniam itaque conventum non est, ut Rex ipse sit obses; nec accipiens prætendere potest, ut, ubi obses datus personam Regis induit, obses maneat. Abunde ei satisfactum, si alia persona idonea in ejus locum substituatur, qua scilicet eidem æque cautum sit, ac fuerat antea. Accedit, quod, si ab initio quæsitum fuisset, an qui obses datur manere debeat, siquidem eum successorem fieri contingat, antequam id præstitum fuerit, cujus nomine datur, dans in hoc minime consensurus fuisset. Recte igitur conventionis interpretatio ita facienda, ut in casu isto obses liberetur alio idoneo in ejus locum substituto (§. 515. *part. 6. Jur. nat.*).

§. 520.

An quis seipsum obsidem dare possit.

Potest quis seipsum obsidem dare pro debito proprio Qui enim obses datur, ejus libertas naturalis oppignoratur in securitatem debitum præstitum iri (§. 501. 497.). Quamobrem cum nil obstet, quo minus quis libertatem suam naturalem oppignoret pro debito proprio, quia pignus constituitur in eo, quod suum est (§. 1142. *part. 5. Jur. nat.*); nil quoque obstat, quo minus seipsum obsidem det pro debito proprio, consequenter dare potest.

Facile patet, id non extendendum esse simpliciter ad pote-

ſtates minores, veluti ſi ſine præjudicio poteſtatis ſummæ id fieri nequeat, conſequenter intra fines præpoſitionis id fieri minime poſſit. Tum enim impedimentum accedit, quod libertatem naturalem de ſe ſtatuendi pro lubitu tollit. Nec hic obſes datur pro debito proprio. Caſus vero rariſſimus eſt, quo quis ſeipſum obſidem dare cogitur. Aſt hic quæritur, quid fieri poſſit, non quid ſæpius fiat. De privatis tamen id nihil dubitationis habet.

§. 521.

An Rege mortuo, qui fecit foedus, obſes liberetur.

Rege mortuo, qui foedus fecit, obſes liberatur, ſi illud perſonale fuerit; non liberatur, ſi reale. Quodſi enim foedus perſonale fuerit, mortuo Rege, qui fecit, expirat (§. 414.). Quamobrem cum in ſecuritatem foederis datus fuerit obſes (§. 497.), qua Rege mortuo amplius opus non eſt, *per demonſtrata;* Rege mortuo, qui fecerat foedus, obſide nullo opus eſt, conſequenter eo mortuo, obſes liberatur, ſi foedus perſonale fuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi foedus fuerit reale, ſucceſſores quoque obligat (§. 424.). Quare cum mortuo Rege foedus adhuc ſubſiſtat, in cujus ſecuritatem obſes datus (§. 497.); ſi foedus fuerit reale, mortuo Rege, qui fecerat, obſes non liberatur. *Quod erat tertium.*

Nimirum obſes non ante liberatur, quam ubi præſtitum fuerit id, cujus nomine datur (§. 498.). Si foedus fuerit perſonale, morte dantis nihil eſt, quod præſtari debeat, conſequenter nec quidpiam eſt, cujus nomine obſes retinendus. Aliter vero ſeſe res habet, ubi foedus fuerit reale, quia tum adhuc ſucceſſor præſtare tenetur, quod vi foederis præſtandum. Difficultatem minime faceſſit, quod ſupra diximus, foedus perſonale etiam obligare gentem (§. 424.): id enim intelligitur, quamdiu foedus ſubſiſtit, conſequenter quamdiu

Rex;

Rex, qui fecit, in vivis est. Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 424.).

§. 522.

An mortuo obside, pro quo quis se obsidem dedit, hic liberetur.

Si quis se obsidem det pro alio obside, donec redeat, & is moriatur; qui se obsidem dederat, liberatur. Si quis enim se obsidem det pro obside alio, donec redeat; is loco pignoris est in securitatem reditus obsidis alterius (§. 497.). Enimvero per se patet, hunc redire non posse, si moritur, & obligationem redeundi morte ejusdem extingui manifestum est (§. 700. *part. 6. Jur. nat.*). Quoniam igitur cessat id, cujus nomine ille pro hoc se obsidem dedit; hoc mortuo, ille liberatur.

Nullum inde nascitur præjudicium ei, cui obses datus fuerat: neque enim conditio ejus per hoc redditur deterior, quod alius pro eo se obsidem vicarium dederit. Vicarius obses non datus ob id, cujus nomine alter datus. Ab illo pendet securitas reditus hujus, qui securitatem debito præstat. Perinde nimirum est, ac si alius reddito pignore interea det pignus aliud, in securitatem pignus, quod redditur, restitutum iri, quod adeo intelligitur datum in securitatem pignoris pro debito obligati. Alia vero est ratio, si expresse conveniatur, ut obses maneat, si qui ab initio datus fuerat, moriatur: tum enim ex promisso tenetur, non ex vicaria substitutione.

§. 523.

De Rege mortuo, cui obses datus.

Si Rex moriatur, cui obses datus, obses liberatur, ubi foedus fuerit personale; non liberatur; si reale. Ostenditur eodem modo, quo paulo ante demonstravimus, obsidem non liberari, si Rex, qui dedit moritur & foedus fuerit reale; ast liberari, si foedus fuerit personale (§. 521.).

Obses in securitatem servandi foederis datus tamdiu obli-

gatus manet, quamdiu foedus durat. Quamobrem non attenditur vita eorum, qui de obſidibus convenerunt, ſed præſtatio, cujus nomine obſes obligatur. Hinc ſi præſtatio fuerit conditionata, conditione non exiſtente, obſes liberatur; ſi ea ad certum tempus tanquam terminum ad quem fuerit reſtricta, tempore elapſo, obſes liberatur. Caſui poſteriori æquipollet foedus perſonale, in quo præſtatio ad vitam alterutrius paciſcentium reſtricta (*not.* §. 414.). Attendenda vero hic etiam eſt differentia, quæ inter præſtationes tranſitorias & manentes intercedit: nec eædem modo ſeſe habent tranſitoriæ affirmativæ & negativæ, prouti ea, quæ fieri non debent, vel intra certum temporis ſpatium tantummodo fieri poſſunt, vel omni tempore futuro. Obſidis obligatio acceſſoria eſt, quæ ſequitur obligationem principalem, qua extincta ipſa quoque nulleſcit. Obſidis acceſſio in foedere nihil immutat adeoque nec ex perſonali facere poteſt reale.

§. 524.

An obſes unus teneatur ex facto alterius ſimul dati.

Si obſidum unus peccet, aut aufugiat; pro ejus delicto non tenentur ceteri, vel in genere obſes unus non tenetur ex facto alterius, niſi univerſi ſe expreſſe obligaverint pro ſingulis. Etenim ob factum alienum, quo quis læſus fuit, conſequenter ob delictum alienum (§. 581. *part. 8. Jur. nat.*), nemo puniri poteſt (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*), & in genere factum alienum alteri non imputatur, niſi quatenus a voluntate ejus quodammodo dependet (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quoque factum obſidis unius imputari nequit ceteris, qui ſimul dati, & ſi unus peccet, aut aufugiat, vel quod fecerit, pro ejus delicto vel facto non tenentur ceteri. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi pro ſingulis ſeſe obligaverint ei, cui obſides dati ſunt, univerſi, veluti ne quis eorum aufugiat,

aut

aut quod debitum ab altero contractum solvere velint, nisi ipse solvat; tunc pro eo, quod conventum est, tenentur ceteri non ut obsides, sed ut debitores ex pacto (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Obligatio obsidum, quæ ex obsidio venit, non confundenda cum obligatione, quæ aliunde descendit, sive ex contractu, sive ex maleficio. Hæc enim altera ab illa prorsus distincta est, nec quoad eam qui obsides dati sunt tanquam obsides spectantur. Ne vero quenquam offendat applicatio definitionis delicti, quam dedimus alibi (§. 581. *part. 8. Jur. nat.*), tenendum est, Gentes inter se spectari tanquam personas privatas, & per consequens quoque Gentem unam respectu subditi alieni non considerari aliter quam personam privatam, ac ideo in causa obsidii Gens, cui obses datur, aliter spectari nequit, nisi tanquam persona privata. Ceterum quæ non ex causa obsidii veniunt, ea definienda sunt ex principiis Juris naturæ, quæ iisdem conveniunt, veluti si obsides æs alienum contrahant, ex contractu, quo facti sunt debitores, & tunc obsides spectantur tanquam peregrini in territorio alieno commorantes.

§. 525.

De obligatione obsidis fidejussoria & expromissoria.

Si obses promittat, se præstiturum id, cujus nomine datur, vel simpliciter, vel sub hoc conditione, nisi præstiterit alter, ob cujus debitum datur; in casu priori tenetur tanquam expromissor, in posteriori tanquam fidejussor. Etenim cum expromissor sit, qui se pro alio ita obligat, ut ipse suo nomine tanquam debitor principalis præstet, ad quod præstandum alter erat obligatus (§. 865. *part. 4. Jur. nat.*), fidejussor autem, qui se pro altero ita obligat, quod ipse præstare velit, nisi alter præstiterit (§. 784. *part. 4. Jur. nat.*); si obses promittat, se præstiturum id, cujus nomine datur simpliciter, ut ex promissor

tenetur, si vero sub hac conditione, nisi præstiterit alter, ob cujus debitum obses datus, ut fidejussor.

In casu nimirum priori expromissio, in posteriori fidejussio ad obsidium accedit. Qui vero obses datur duplicem in utroque casu repræsentat personam, scilicet in casu priori spectatur ut obses, qui est pignoris loco, respectu dantis, ut expromissor respectu sui; in casu posteriori autem ut obses itidem respectu dantis, & ut fidejussor respectu sui. Quamobrem dantis obligatio liberandi obsidem, præstando id, cujus nomine datur, salva manet, utut respectu ejus, cui obses datus, non eodem modo sese habeat, pro differentia, quæ inter expromissorem ac fidejussorem intercedit vi eorum, quæ alias demonstravimus in parte quarta Juris naturæ c. 3.

§. 526.

De obligatione principali obsidis. Quoniam *obses* tenetur ut expromissor, *si simpliciter promittat, se præstiturum id, cujus nomine datur* (§. 525.), expromissor autem personam debitoris principalis induit (§. 867. *part. 4. Jur. nat.*); in eo casu *obligatio obsidis principalis est, non tantummodo accessoria.*

§. 527.

Qualis sit obligatio obsidis fidejussoris. Cum *obses* teneatur ut fidejussor, *si se præstiturum promittit id, cujus nomine datus, nisi qui dedit præstet* (§. 525.), *fidejussoris* autem obligatio tantummodo accessoria est (§. 784. *part. 4. Jur. nat.*); in eo casu *obligatio obsidis accessoria manet, diversa tamen est ab ea, quæ ex obsidio venit.*

Non temere obligatio obsidis, quæ ex fidejussione & expromissione descendit, distinguitur ab ea, quæ venit ex obsidio, cum illa effectum juris habeat, quem hæc non operatur, prouti mox clarius patebit.

§. 528.

§. 528.

Si obses promittit se effecturum, ut id, cujus nomine datus, præstetur; ad id, quod interest, obligatur. Etenim obses promittit se effecturum, ut id, cujus nomine datus, præstetur *per hypothesin* sponsor vero promittit se effecturum, ut potestas summa conventum ratihabeat (§. 465.), consequenter præstet. Quamobrem cum utraque promissio de facto alieno eodem modo fiat; obsidis promissio sponsioni æquiparatur. Quoniam itaque sponsor obligatur ad id, quod interest (§. 475.); obses quoque, si promittat se effecturum, ut id, cujus nomine datus, præstetur, ad id, quod interest, obligatur.

Si obses promittat debitum præstitum iri.

Nimirum obligatur ad id, quod interest, ex promissione facti proprii, tanquam debitor principalis; manet vero præterea obligatio accessoria, quæ ex obsidio venit, vi cujus libertas obsidis naturalis oppignoratur (§. 501.). Et hic proprie casus est, de quo loquitur *Grotius*, lib. 3. c. 20. §. 58. quando dicit, obsides interdum esse revera partem principalem obligationis. Quodsi enim expromissor fit, tota obligatio in eum transfusa & ipse personam debitoris principalis induit (§. 867. *part.* 4. *Jur. nat.*). Diversæ vero omnino obligationes sunt, quarum unus tenetur ad præstandum id, quod alter debet, & qua præstare debet, quod interest, debitorem principalem non præstitisse quod præstare debebat. Præterea notandum, perinde esse, sive obses promittat, se effecturum, ut id cujus nomine datus præstetur, per se, sive per alios, veluti per cognatos aut amicos.

§. 529.

Quoniam obses obligatur ad id, quod interest, si promisit se effecturum, ut id, cujus nomine datus obses, actu præ-

Quando bona obsidis obligentur pro

eo, quod interest. præstetur (§. 528.), præter libertatem autem atque bona sua nil habet, quod oppignorari possit, & libertas jam oppignorata, quatenus obses est (§. 501.); *si obses promittit se effecturum, ut id, cujus nomine datus, actu præstetur, bona ipsius oppignorata sunt, quantum sufficit ad præstandum id, quod interest.*

Non est, quod dicas, si qui obsidem dedit fidem fallit, eum non traditurum bona obsidis, aut ex iis satisfacturum ei, cui fidem non servavit: neque enim desunt inter Gentes modi alii consequendi id, quod uni ab altera debetur, de quibus agendum suo loco.

§. 530.

Quando & quotuplici modo bona obsidis oppignorata pro eo, cujus nomine datur.

Si obses fiat expromissor, vel fidejussor; bona sua in casu priori simpliciter, vel principaliter, in posteriori in subsidium oppignorata sunt ei, cui datus. Etenim si obses fiat expromissor, personam debitoris principalis induit (§. 867. *part. 4. Jur. nat.*). Enimvero bona debitoris naturaliter obligata sunt pro debito illius (§. 1177. *part. 4. Jur. nat.*). Ergo etiam bona obsidis obligata sunt ei, qui datus, pro isto debito, cujus nomine datus fuit. *Quod erat unum.*

Principalis debitor ante excutiendus, quam fidejussor ad solvendum debitum adigi possit (§. 805. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter non censetur debitor, nisi debitore principali excusso, ac ideo tantummodo in subsidium tenetur creditori. Quamobrem cum naturaliter bona debitoris obligata sint creditori pro debito illius (§. 1177 *part. 4. Jur. nat.*); bona fidejussoris naturaliter in subsidium obligata sunt pro debito debitoris principalis. Quodsi ergo obses fuerit fidejussor; bona ipsius naturaliter obligata sunt ei, cui datus, pro eo, cujus nomine datus. *Quod erat alterum.*

Parum

Parum equidem referre videtur in causa obsidum, utrum obses spectetur tanquam expromissor, an tanquam fidejussor, præsertim cum debitor principalis fidejussori ad nihil teneatur, si pro invito fidejubet ac solvit (§. 799. *part. 4. Jur. nat.*), sicuti expromissor a debitore principali repetere nequit, quod pro eo solvit, nisi ita fuerit conventum (§. 869. *part. 4. Jur. nat.*); non tamen inutiliter differentia hæc attenditur. Etenim in casu expromissionis is, cui expromissio facta, statim urgere potest, ut sibi tradantur bona obsidis, fide non servata; in casu autem posteriori, cum dubium sit, utrum is, qui obsidem dedit, fidejussionem sit ratihabiturus, nec ne, alternative urgendum, ut aut sibi satisfiat, aut bona obsidis tradantur.

§. 531.

An obsides sint servi.

Obsides non sunt servi ejus, cui dantur. Etenim si quis obses datur, ejus libertas saltem oppignoratur (§. 501.), consequenter cum oppignoratio nonnisi jus conditionatum alienandi contineat (§. 1145. *part. 5. Jur. nat.*), nullum jus in actiones obsidis actu transfertur in eum, cui obses datus, quando datur (§. 137. 138. *part. 1. Jur. nat.*), nisi quatenus libertas obsidis ex natura negotii quoad jus morandi & agendi restringitur. Enimvero cum is servus alterius non sit, si huic nullum competat jus in actiones ipsius (§. 1096. *part. 7. Jur. nat.*); obsides quoque non sunt servi ejus, cui dantur.

Ex jure morandi, quod vi potestatis eminentis ademtum ab eo, qui ipsum dedit, enascitur obligatio obsidis manendi eo in loco, in quo ipsum detinet is, cui datus. Ac ideo non aliud huic competit jus in obsidem, quam ut eum custodiat, ne aufugere possit, siquidem obligationi suæ satisfacere nolit (§. 499.). Ulterius jus in actiones obsidis sibi arrogare nequit citra injuriam. Si servilem efficiat ejus conditionem injuriam utique facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 532.

Si qui obsidem dedit fidem fallat. *Si id, cujus nomine obses datus, non præstetur; obses vel fit servus, vel tanquam captivus retinetur, interfici autem nequit.* Obsidis enim libertas naturalis oppignoratur (§. 501.). Quoniam itaque si id, cujus nomine obses datus, non præstetur ei, cui datus, aliter ex pignore ei satisfieri nequit, quam ut jus in actiones liberas obsidis acquirat (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter eundem in servitutem redigat (§. 1096. *part. 7. Jur. nat.*), aut tanquam captivum in carcere detineat; si id, cujus nomine obses datus, non præstetur, obses vel fit servus, vel tanquam captivus detinetur. *Quod erat unum.*

Quoniam vero vita obsidis oppignorari nequit (§. 501.), ideo is, cui datus est, nec ullum jus in vitam ejus acquirere potest, etiamsi id non præstetur, cujus nomine datus, & per consequens obses interfici nequit. *Quod erat alterum.*

Dura satis obsidis conditio est, si vel in servitutem redigitur, vel in perpetuum carcerem conjicitur. Ea igitur arduum omnino motivum est, ne is, qui dedit, fidem fallat, sed ut ejus servandæ tenacissimus sit. Carcer surrogatur in locum servitutis non modo, ubi hæc recepta non est, verum etiam ob dignitatem personæ. Neque enim aliud actum videtur in casu altero, quam ut in carcere detineatur obses, si qui eum dedit fidem fallat. Quod vero olim obsides interfecti fuerint, vel hodienum a Gentibus barbaris interficiantur; errori tribuendum, quasi homini jus competat in vitam suam (*not.* §. 501.), consequenter de eadem quoque vi potestatis eminentis disponere possit superior. Immo si vel maxime jus in vitam suam homini competeret, potestate tamen eminente abuteretur superior, qui vitam civis innocentis oppignoraret in securitatem fidei, hanc tamen fallere non dubitaret.

§. 533.

De eo præstando, ad quod obses ex proprio facto tenetur.

Si id, cujus nomine obses datus, non præstatur; obses præstare obligatur id, ad quod ex proprio facto tenetur. Ex facto *stando*, enim proprio tenetur ei, cui obses datus, vel ut expromissor (§. 525.), vel ut fidejussor (§. *cit.*), vel ut sponsor (§. 528.), & in omni casu bona ipsius oppignorata sunt ei, cui obses datus (§. 529. 530.). Quodsi ergo id non præstetur, cujus nomine obses datus, cum promissa sint servanda (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque præstanda, quæ promissa sunt (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*), obses utique præstare obligatur id, ad quod ex proprio facto tenetur.

Debitum hoc cum non veniat ex obsidio, licet contractum sit occasione obsidii, non confundendum est cum jure, quod ex obsidio ei competit, cui obses datus est, & de eo statuendum ex principiis propriis actus, quo contractum. De modo autem consequendi debitum non est, ut hic agamus. De eo enim suo agetur loco, ubi in genere ostendetur, quomodo Gens a Gente consequi possit, quod ipsi debetur, ut nihil committatur, quod juri suo minime conveniat.

§. 534.

De injuria obsidi facta, si fides fallatur.

Si qui obsidem dedit fidem fallat, obsidi injuriam facit. Qui enim obsidem dat, jus quidem habet obsidem dandi (§. 510.), cum tamen id, cujus nomine datur, præstare debeatur (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), minime autem fidem datam fallere liceat (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*), nullum ipsi jus competit civem innocentem in servitutem, vel carcerem perpetuum tradendi: id quod contingit, si fidem fallat (§. 532.). Quodsi ergo fidem fallat, id omnino fit contra jus obsidis, cui libertas sine causa adimitur (§. 501. *h.* & §. 858. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum injuria sit, quod committitur

contra jus alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si qui obsidem dedit fidem fallat, obsidi injuriam facit.

Cum dura admodum reddatur obsidis conditio, si fides fallatur (*not.* §. 532.), haud levis est injuria, quæ obsidi infertur. Et quia ideo efficacissimum esse poterat & debebat motivum, ne fallatur; obsidio quam arctissime qui dat obligatur ad fidem servandam (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ideo in obsidibus collocari sueverit fiducia, quia non facile præsumitur tanta tamque ignominiosa perfidia, quæ cum hominum innocentium summa miseria conjuncta est, quorum saluti consulere perfidus debebat. Violatio fidei obsidio firmatæ maximam turpitudinem intrinsecam habet, ut atrox sit perfidia, si qui obsidem dedit fidem fallat.

§. 535.

De obside redimendo, si fides non fuerit servata.

Si qui obsidem dedit fidem fefellerit; eundem redimere tenetur. Si enim id, cujus nomine obses datus, non præstetur, consequenter si qui dedit fidem fefellerit (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*), obses vel sit servus, vel tanquam captivus detinetur (§. 532.), ac ideo, cum jacturam libertatis suæ faciat, quæ oppignorata fuerat (§. 501.), damnum eidem datur maximum (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*), & quidem injuria dantis (§. 534.). Quoniam itaque damnum injuria datum est resarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); si qui obsidem dedit fidem fefellerit, damnum datum eidem resarcire tenetur: id quod cum non aliter fieri posse appareat, quam si libertati restituatur, consequenter si redimatur, eundem redimere tenetur.

De captivorum redemtione agetur inferius suo loco. Quamobrem cum captivis æquiparentur obsides, si fidem fefellerit qui dedit, quæ de redemtione captivorum inferius demonstrabuntur

strabuntur, ad obsides quoque applicanda sunt: quo facto tollentur etiam dubia, quæ circa jus in obsides uni vel alteri adhuc in mentem venire poterant.

§. 536.

Civitas aut ejus Rector incommodum obsidi, quod patitur, aut proximis repensare tenetur. Obsidem ire, cum eidem adimatur jus morandi & agendi pro lubitu, quod commodum sibi visum fuerit (§. 498. 499.), onus omnino est, quod boni publici causa fertur (§. 497.). Quamobrem cum bonum publicum omnes conjunctim promovere obligentur (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*), obses solus id gratis subire non tenetur. Civitas igitur aut ejus Rector incommodum, quod petitur, repensare tenetur. *Quod erat unum.* *De incommodo, quod obses patitur, repensando.*

Cum vero bonum bono referri possit etiam in iis, quos amamus (§. 716. *part. 6. Jur. nat.*), quilibet autem sibi proximos amare præsumatur; si commode fieri non possit, ut ipsi obsidi incommodum, quod passus, repensetur, idem repensandum proximis ejus. *Quod erat alterum.*

Repensatio consistere potest in præmiis, in promotione ad officia publica, in collatione dignitatum & privilegiorum, prouti occasio tulerit & repensanti commodum visum fuerit. Ad istiusmodi vero particularia descendere, ab instituto nostro alienum videtur.

§. 537.

Si moribus Gentium introductum, ut obsides occidere liceat; jus hoc consuetudinarium est, nec ad jus Gentium voluntarium referri potest, & proprie non consistit, nisi in impunitate agendi. Etenim si moribus Gentium introductum est, ut obsides occidere liceat, cum jus Gentium consuetudinarium sit, quod longo usu *Si moribus introductum, ut obsides occidantur.*

introductum & instar juris observatum (§. 24.), evidens est, id ad jus Gentium consuetudinarium esse referendum. *Quod erat primum.*

Obsides occidi posse legi naturali repugnat (§. 532.) & moribus Gentium olim saltem introductum fuit ex errore, quod homini competat jus in vitam suam (*not.* §. 50.). Quamobrem cum jus Gentium voluntarium, quod diximus, ex jure Gentium necessario eodem modo efficiatur, quo jus civile ex naturali (§. 22.), si vero leges civiles ex naturalibus fieri debent, errores communes sumi minime debeant pro jure naturæ (§. 992. *part. 8. Jur. nat.*); si moribus Gentium introductum, ut obsides occidere liceat, id ad jus Gentium voluntarium referri minime potest. *Quod erat secundum.*

Denique si moribus Gentium introductum, ut obsides occidere liceat; id ab altera parte, a quo obses datus, saltem permittendum est, quamvis naturaliter illicitum sit (§. 532.). Quamobrem cum impune agat is, cui permittendum ab aliis, ut agat, quamvis naturaliter ad contrarium obligetur (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*); si moribus Gentium introductum, ut obsides occidere liceat, jus proprie loquendo non est, sed saltem impunitas agendi. *Quod erat tertium.*

Grotius lib. 3. c. 20. §. 53. affirmat, per jus Gentium externum, quod voluntarium vocat, obsides interfici posse; id vero inde est, quod jus Gentium voluntarium non deducat ex notione civitatis maximæ, quemadmodum fieri debebat (§. 22.), sed ex factis Gentium, ex quibus earum consensum præsumendum esse contendit, ut ea de causa jus consuetudinarium a jure Gentium voluntario non distinguat. Illud admittit errores, nec verum agenti jus dat, sed saltem agendi impunitatem; hoc vero errores respuit, qui legi naturæ præceptivæ & prohibitivæ repugnant, nec tolerat nisi ea, quæ vi liber-

libertatis naturalis in quolibet homine toleranda. Cum jus Gentium voluntarium certis principiis nitatur, ex quibus demonstrari potest; non minus in eodem dantur errores, quam in Jure naturali. Quamobrem etsi errores isti pro jure sumantur, non magis tamen Juris Gentium sunt, quam errores legi naturæ contrarii juris naturæ. Ita propterea scortatio non est Jure naturæ permissa, quod eam pro licita habuerint Gentes etiam moratiores, vel etiam num quædam habeant.

§. 538.

Si fides fallatur, num obsides tales maneant.

Quando fides fallitur in eo, cujus nomine obsides dati sunt, obsides dati tales esse desinunt. Quando enim fides fallitur, obsides vel servi fiunt, vel ut captivi retinentur (§. 532.). Quamobrem cum obsides servi non sint (§. 531.), nec detineantur tanquam captivi, sed saltem custodiantur, ne fugere possint (§. 499.); quando fides fallitur, obsides dati tales esse desinunt.

Quando fidem fefellit, qui obsidem dedit, cessat ratio, cur obses datus fuerit (§. 497.), consequenter obside non amplius opus est. Dum igitur retinentur vel ut servi, vel ut captivi, cum obsides sint pignoris loco (§. *cit.*), perinde omnino est, ac si pignus fuerit distractum, aut in locum debiti successit. Quemadmodum itaque tum pignus esse desinit pignus; ita etiam obses desinit esse obses, si fidem fefellerit qui dedit. Jus igitur in obsidem prorsus aliud est, quod competit ei, cui datus est, postquam fidem fefellit, qui dederat, quam quod antea habebat. Quodsi excipias vitam, de eo, qui fuerat obses, pro lubitu statuere potest is, cui datus fuerat, tanquam de homine proprio.

§. 539.

An dimitti possint.

Obsides dimittere potest is, cui dati sunt, ea lege, qua voluerit,

luerit, postquam fidem fefellit qui dedit. Quilibet enim jus suum remittere potest, modo nil agat contra jus tertii, quale hic nullum est (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus suum in obsides remittat is, cui dati fuerunt, quando eos dimittit, postquam fidem fefellit qui dederat (§. 532.); dimittere potest. *Quod erat unum.*

Quando obsides dimittuntur, ubi fidem fefellit qui dederat; dimittens de jure suo disponit. Quamobrem cum quilibet de re sua, consequenter etiam de jure suo (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*), disponere possit, prouti sibi visum fuerit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); obsides dimitti possunt ea lege, qua dimmittenti visum fuerint. *Quod erat alterum.*

Durissima omnino conditio est obsidum, si fidem fefellerit qui dedit, cum libertate priventur (§. 532.), bono prorsus inæstimabili, respectu inprimis personarum, quæ obsides datæ (§. 509.). Obsides vero innocentes in se sunt, cum in iis nulla hæreat culpa violatæ fidei, sed merum infortunium iidem habeant. Generosi igitur est animi illæsos dimittere obsides, violata fide, nisi redimantur a sua Gente. Dimitti autem possunt ea lege, ne redeant ad suos, aut ut maneant apud Gentem, cui dati sunt, & rem suam ibidem habeant, prouti circumstantiæ suaserint, quarum consideratio ad prudentiam pertinet. Qui in obsides sæviunt, barbaros utique habent mores & in ipsos injurii sunt (§. 532.).

§. 540.

Qualia pignora proprie sint obsides.

Obsides non tam sunt pignora debiti, quam fidei. Obsides enim dantur in securitatem quidem debiti, sed non ea intentione, ut, nisi debitum solvatur, ex iis satisfiat creditori, seu ei, cui dantur, sed ut per eos caveatur, conventa servatum, seu debitum præstitum iri (§. 497.). Quamobrem patet obsides

obsides non oppignorari pro debito, quemadmodum res oppignorari solent (§. 1142. *part. 5. Jur. nat.*); sed pro fide debitoris (§. 757. *part. 3. Jur. nat.*).

Atque hæc ratio est, cur quæ de pignoribus demonstrata sunt, non promiscue ad obsides applicari possint, sed attendendam esse dixerimus differentiam, quæ inter personas & res intercedit. Sane personæ liberæ nulla æstimatio est, quemadmodum rerum, ac ideo quoque pro debito, quod æstimationem recipit, oppignorari nequeunt obsides, sed revera saltem pro fide debentis, ut, si is eam fallat, retineantur vel tanquam servi, vel tanquam captivi, in poenam violatæ fidei: quod ubi contingit non ipsi puniuntur ob factum alienum, id quod utique injustum (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*), sed malum sentiunt occasione facti alieni & injuriam patiuntur a Gente sua, seu Rectore ejusdem (§. 534.). Injustitia igitur, de qua jure conqueruntur, non est penes eum, cui dati sunt, sed penes illum, qui dedit. Atque hæc injustitia dantem abstrahere debebat a perfidia, qui hoc ipso modo obligatur ad perfidiam vitandam (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*). Obsides revera non esse nisi pignora fidei, clarissime ex eo perspicitur, quod dentur vel ab eo, cujus fides suspecta est, vel ab eo, qui perfidiæ suspicionem omnem a se amoliri studet. Vide, quæ supra (*not.* §. 508. 509.) annotavimus.

§. 541.

Quoniam obsides non tam debiti, quam fidei pignora sunt (§. 540.); ideo *nec factum, cujus nomine dantur, id quod plerumque æstimationem non habet, nec id, quod interest, æstimatur* & per consequens *quando redimuntur, de pretio redemtionis conveniendum.* *De pretio redemtionis determinando.*

Licet itaque fiant servi, quod omnino durius est, quam si saltem ut captivi detineantur (§. 532.), servi autem, cum vendantur, certo pretio æstimentur; non tamen pretium redem-

tionis inde mensuram accipit. Dum redimuntur, libertas restituenda, quæ pro fide dantis oppignorata fuerat (§. 501. 540.): ea vero inæstimabilis est. Deficiente itaque ratione intrinseca determinationis pretii, ad extrinsecas rationes veniendum, quæ determinationem reducunt ad id, quod accipienti potissimum expedire videtur.

§. 542.

De obsidibus ab utraque contrahentium parte datis.

Si de mutuis præstationibus fuerit conventum & pars una contrahentium obsides petit, altera vicissim petere potest. Cum enim obsides re vera sint pignora fidei (§. 540.), ab eo petuntur, cui fides alterius suspecta est. Ast si fides mea tibi suspecta est, ægre ferre non potes, ut tua quoque fides mihi suspecta sit (§. 99. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si pars una contrahentium in securitatem ejus, quod sibi præstandum, obsides petit (§. 497.); pars etiam altera in securitatem ejus, quod sibi præstandum, vicissim obsides petere potest.

Moribus quoque Gentium convenit, ut in casu propositionis præsentis obsides reciproce dentur. Præstaret utique tutam ubivis esse Gentium fidem, quemadmodum esse debebat (§. 761. *part. 3. Jur. nat.*), & id maxime conveniret gloriæ Gentium (§. 47.), ad cujus studium obligantur (§. 49.); sed quemadmodum homines singuli non sunt, quales esse debebant, nec tuta est plerarumque fides, ita quoque Gentes non sunt, quæ esse debebant. Accedit quod vir bonus, cujus officium ad ipsas quoque Gentes, earumque Rectores easdem repræsentantes (§. 39.), extenditur (§. 3.), omnem quoque suspicionem perfidiæ a se amovere debeat, prouti supra jam observavimus (*not.* §. 509.).

§. 543.

§. 543.

De obsidibus vicissim dandis. *Obsides quoque dari possunt in securitatem datorum, scilicet ne duriter aliquid in eos fiat, & ut adimpleto eo, cujus nomine dantur sine mora restituantur.* Obsides enim dantur in securitatem torum causa ejus, quod præstari debet (§. 497.). Quamobrem cum nil duriter in eos fieri debeat (§. 499.), iidemque sine mora restituendi, quamprimum præstitum fuit id, cujus nomine dati (§. 502.); in securitatem quoque hujus dari possunt. Patet itaque obsides quoque dari posse in securitatem datorum, scilicet ne duriter aliquid in eos fiat, & ut impleto eo, cujus nomine dati, sine mora restituantur.

Locum id inprimis habet, ubi fuerit expresse conventum, ne obsides in unam causam dati in aliam retineantur (§. 503.), aut expresse dictum, quomodo habendi sint obsides. Quodsi enim obsides vicissim dare debet qui accipit, supponendum est aliquod accipientis factum, ad quod obligatus: alias enim fidem fallere nequit, consequenter cessat suspicio, ne eandem fallat. Plura de obsidibus addere non lubet; si qui enim casus emergunt, de quibus dictum nihil est, intellectis iis, quæ tradidimus vi principiorum Juris naturæ ac Gentium haud difficulter solvuntur.

§. 544.

De foedere asseverationibus firmando. *Foedera firmiantur asseverationibus.* Asseveratio enim est probatio veritatis dictorum per conscientiam testem (§. 851. part. 3. Jur. nat.). Quamobrem si Gentes asseverant, sese in foedere conventa fideliter servaturas; conscientiam testem appellant, quod id sint facturæ, & per consequens una alteri fidem dat (§. 757. part. 3. Jur. nat.). Quoniam itaque hoc non alio fine fit, quam ut pars altera certa sit, foedus servatum iri, & promissor de eo promissario fidem suam ad-

ſtringat (§. 760. *part. 3. Jur. nat.*); aſſeverationibus foedera firmantur.

Facile patet, ſi demonſtrationem præſentem perpendas, nullius fidei hominem ſeſe probare, qui ſibi religioni non ducit ea facere, quæ ſe non facturum non modo promiſit, verum etiam aſſeveravit. Cui enim fides habenda, ſi is eandem fallit, qui conſcientiam teſtem appellat, quod promiſſa ſit ſervaturus? Idem vero etiam intelligitur de eo, qui non facit, quod ſe facturum aſſeveravit. Patet ulterius turpius multo eſſe, fidem fallere, ſi aſſeveratio promiſſioni accedat, quam ſi quid nude promiſſum. Atque ideo aſſeverationes motivum eſſe debent, ut tanto major ſit ſollicitudo, ne quid contra foedus fiat. Sunt vero iſtiusmodi formulæ, ſancta fide, ſub fide regia, per majeſtatem promittimus, item promittimus inviolabiliter nos hoc ſervaturos, & quæ ſunt aliæ ejus generis moribus ea fini introductæ, quarum inde pendet ſignificatus uſu introductus. Si Gentes omnes eſſent fidei ſervandæ tenaces, fides nunquam ſuſpecta eſſe poſſet, ac per conſequens nulla prorſus aſſeveratione foret opus, immo cum temeraria foret (§. 276. *part. 3. Jur. nat.*), prorſus quoque illicita foret (§. 856. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero cum haud infrequens ſit, ut ipſæ etiam Gentes earumque Rectores fidem fallant; aſſeverationibus opus eſt, ut, quod obligatio naturalis ſeu lex naturæ, unde ea venit, efficere nequit, pudor efficiat, & ut vir bonus tenacitatis ſuæ ſervandæ fidei cónſcius omnem ſuſpicionem, quantum datur, a ſe amoveat. Ceterum etſi plures uſu acceptæ ſint aſſeverationum formulæ inter Gentes; omnes tamen formulæ non præciſe idem ſignificant, certe aliæ vi ſignificatus proprii verborum, a quo ſine urgente ratione in interpretatione foederum non recedendum (§. 469. *part. 6. Jur. nat.*), fortiorem aſſeverationem indicant, quam aliæ. Gradu nimirum differunt aſſeverationes. Utinam vero omnes, qui promiſſis aſſeverationem addunt, ad ſignificatum vocabulorum

lorum animum attenderent, eumque satis deliberatum (§. 387. *part. 3. Jur. nat.*), ut dictis inesset veritas, nec ita saltem loquerentur, quia sic loqui moris est! Recte autem animus deliberatus in asseverationibus præsumitur (§. 424. *part. 3. Jur. nat.*), & contra dicentem pro vero habetur, quod dixit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 545.

Si cui fides tua suspecta videatur, vel tua intersit, ne is, cui quædam promittis, forsan dubitet, de fide tua; foedera asseverationibus firmare naturaliter licet. Etenim si cui fides tua suspecta est, is dubitare te præstiturum, quod te præstiturum promittit (§. 758. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter te moraliter verum loqui (§. 150. *part. 3. Jur. nat.*). Et eodem modo patet qui dubitat de fide tua, eum dubitare, utrum moraliter verum loquaris, nec ne. Enimvero si quis dubitet, te moraliter verum loqui, nec hoc ipsi constare possit ex eo, de quo verba fiunt, quemadmodum in casu præsenti, ubi quæstio est de adimplendo promisso, & ejus intersit, ut de veritate dictorum sit certus, vel tua intersit, ne is, cui loqueris, forsan dubitet de veritate dictorum, asseverationes licitæ sunt (§. 854. 855. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si cui fides tua suspecta videatur, vel tua intersit, ne is, cui quædam promittis, forsan dubitet de fide tua; asseverationes licitæ sunt, & per consequens quia asseverationibus firmantur foedera (§. 544.), foedera asseverationibus firmare naturaliter licitum. *Quando id naturaliter licitum.*

Jus naturæ quemadmodum omnes actus humanos, consequenter etiam Gentium regit; ita etiam asseverationes regit, quæ inutiles fiunt, quamprimum regimini ejus subducuntur. Nostrum igitur erat ostendere, quid immutabilis illa lex de iisdem præcipiat.

§. 546.

Sanctum quid sit inter Gentes.

Sanctum dicitur, quod ab omni violatione immune esse jubet publica, vel communis Gentium salus. Unde *Sanctitas* est inviolabilitas rei, vel personæ, a salute publica, vel communi omnium Gentium salute requisita.

Sanctitas tribuitur tam rebus, quam personis. Ita persona Rectoris civitatis sancta est, quia salus publica, seu totius civitatis exigit, ne violetur. Similiter muri, quo cinguntur urbes, sancti appellanrur, quos publica securitas inviolabiles facit. Nimirum ut quid sanctum habeatur jure Gentium, necesse est, ut intersit Gentium id inviolabile haberi, ac per consequens ipsa earundem salus id ab hominum injuria munit atque defendit. Est igitur qualitas quædam moralis, quæ rei, vel personæ inhærere intelligitur, quemadmodum jura rei, vel personæ inhærere putantur, aut persona moralis, quæ per jura determinatur, individuo physico inexistere concipitur.

§. 547.

De sanctitate foederum.

Quoniam foedera pacta sunt a summis potestatibus boni publici causa inita (§. 369.), consequenter salus publica & communis omnium Gentium salus requirat, ut exacte serventur, minime autem ullo modo violentur, sanctum vero est, quod ab omni violatione immune esse jubet publica, vel communis Gentium salus (§. 546.); *foedera sancta sunt, eaque sancta Gentibus habenda.*

Communem omnium Gentium salutem requirere, ut foedera nullo modo violentur, nemo dubitabit, nisi qui vel ignorat, vel non perpendit, quænam sint ea, ad quæ Gens Genti sese obligat, & quantum intersit, ut Gens, cui altera ad quid præstandum, sese obligavit, actu præstet, nec fidem datam fallat. Quamobrem cum Gentes, quatenus civitatem quandam maximam constituunt (§. 9.), salutem publicam, supremam

mam in civitate legem (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), etiam in civitate maxima agnoscete teneantur, in id omnino consentire debent, quod est medium conservandi & promovendi salutem publicam Gentium. Consistit salus publica Gentium, perinde ac salus publica in civitate particulari, in non impedita fruitione vitæ sufficientis, tranquillitatis & securitatis (§. 17. *part. 8. Jur. nat.*), & huc tendunt omnia foedera. Quoniam itaque salus publica Gentium promovetur, si singulæ foederum servandorum sint tenaces; in hoc consentire debent, ut foedera sua natura inviolabilia spectentur, nec quicquam turpius inter Gentes habeatur, quam foederum violatio. Atque ita patet, jure quoque Gentium voluntario, quod diximus (§. 22.), foedera sancta habenda.

§. 548.

Violationem foederis esse contra jus Gentium.

Quoniam foedera sancta habenda Gentibus (§. 547.), qui vero foedus violat, non faciendo id, quod vi foederis facere debebat, vel faciendo, quod vi ejusdem fieri non poterat, sanctitatem foederis tollit, aut contaminat (§. 546.); *foederis violatio contra jus Gentium fit, & qui foedus violat jus Gentium violat.*

Recte hinc dicitur, quemadmodum etiam dici solet a summis potestatibus, quando de violatione foederum publice conqueruntur, id fieri contra jus omne naturæ & Gentium, idiomate patrio, wieder alle Rechte der Natur und der Völcker. Etenim Gentes non modo ipso jure naturæ obligantur servare pacta (§. 3.), sed tanquam Gentes peculiari insuper modo eadem servare obligantur (*not.* §. 547.). Ut itaque duplici modo peccet, qui foedus violat, tum quatenus facit contra id, quod lex naturæ exigit, tum quatenus sanctitatem communi Gentium consensu foederibus tribuendam contemnit, & in ipsum Genus humanum, quod in civitatem maximam ipsa natura consociatum est (§. 7. 8.), delinquit. Hæc probe perpendenda

pendenda ſunt, ut penitus intelligatur violationis foederum intrinſeca turpitudo, quæ famam Gentium maxime contaminat. Atque hæc ipſa turpitudo intrinſeca motivum eſſe debet foedera exactiſſime ſervandi, cum Gentes earumque Rectores nihil committere debeant, quod gloriam imminuere, aut labefactare poſſit. Hinc etiam intelligitur, cur ei, qui foedus violare religioni minime ſibi ducit, nihil tam ſanctum dicatur, quod non contemnat.

§. 549.

Quænam in pangendis foederibus obſervanda. Cum foedera inter Gentes ſancta haberi debeant (§. 547.), conſequenter nihil ſit committendum quod contra ea fieri videtur (§. 546.); *ſingula, de quibus in foederibus convenitur, accurate ſunt definienda & verbis perſpicuis exprimenda, ut omnis tollatur ambiguitas, nec diſceptationibus in utramque partem ullus relinquatur locus.*

Non eſt, quod dicas, tanta ſollicitudine in exprimendo animi ſui ſenſu non eſſe opus, cum is, cui quid in foedere promisſum eſt, competat jus ad id, quod recta interpretatio ſuggerit (§. 466. *part. 6. Jur. nat.*). Recta enim interpretatio non adeo facilis, quemadmodum videri poterat, prouti abunde patet ex iis, quæ de interpretatione demonſtravimus (§. 468. *& ſeqq. part. 6. Jur. nat.*), nec adeo evidens, ut omnis evitetur diſceptatio, nec ejus prætextu foedus violet, qui foedera a ſe ſancta haberi videri vult. Et quoniam mos illorum eſt, qui ſanctitatem foederum inſuper habent, cum tamen videri nolint, qui ſunt, ſtudio verbis ambiguis & vagis dictionibus uti; ideo ei, cui foedus ſervari maxime intereſt, tanto major eſſe debet ſollicitudo, ne id fiat.

§. 550.

§. 550.

De sanctitate fidei foederum.

Fides foederum sancta est. Fides enim est constantia voluntatis alteri declarata de eo, quod præstare volumus (§. 757. *part. 3. Jur. nat.*), ac ideo in foederibus denotat immutabilitatem propositi ea adimplendi, quæ in foederibus, tanquam pactis (§. 369.), promittuntur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.* & §. 788. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter minime violandi foedera. Quamobrem cum foedera violare sit contra jus Gentium, & qui violat jus Gentium violat (§. 548.), consequenter communis Gentium salus fidem in foederibus exigat; fides foederum sancta est (§. 546.).

Inviolabilitas foederis & inviolabilitas fidei inseparabiliter cohærent, ita ut illud inviolabile esse nequeat, nisi etiam hæc inviolabilis sit. Qualis itaque est inviolabilitas foederis, talis etiam est inviolabilitas fidei. Quamobrem cum in illa consistat sanctitas foederis (§. 546.); sanctitas quoque fidei ob hanc tribuenda. Sicuti igitur Gentibus foedera sancta habenda (§. 547.), ita etiam fides iisdem sancta haberi debet. Turpe est in vulgo fidem fallere, multo igitur turpius est, si fidem fallant potestates summæ, quæ foedera feriunt (§. 369.). Cum enim potestates summæ, seu civitatum Rectores (§. 368.), integram Gentem repræsentent (§. 39.); si fidem fallat potestas summa, perinde est ac si in tota Gente ne unus quidem sit, qui fidem servet. Hinc facile est definire rationem turpitudinis hujus vitii in potestate summa ad turpitudinem ejusdem in privato. Cumque Rector civitatis actus regios ad gloriam Gentis suæ referre debeat ac nihil committere, quod eandem imminuere, aut labefactare possit (§. 51.), tanto magis sibi sanctitatem fidei commendatam habere debet.

§. 551.

An sanctitas cum fidei respe-

Sanctitas fidei nullum respectum habet ad religionem Gentis,

ctum habeat ad religionem Gentis foederatæ. *cum qua foedus initur.* Sanctitas enim fidei dependet a communi Gentium salute (§. 546.), quatenus scilicet in civitatem coivisse intelliguntur (§. 9.): quæ cum in non impedita fruitione vitæ sufficientis, tranquillitatis & securitatis consistat (§. 17. *part. 8. Jur. nat.*), ad modum colendi Deum, consequenter ad religionem (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*) nullum respectum habet. Quamobrem nec sanctitas fidei respectum ullum ad religionem Gentis, cum qua foedus initur, habet.

Nulla fide starent foedera, seu pacta inter Gentes, si a veritate religionis ea dependerent. Quælibet enim Gens, cujuscunque tandem sit religionis, eam, quam profitetur, putat esse veram. Quodsi ergo admitteretur, Genti a vera religione alienæ non servari fidem licitum esse; quælibet Gens existimabit, violationem fidei sibi esse licitam, si foedus fecit cum Gente alii religioni addicta, consequenter Gens nulla fidere pot[illegible] alteri, quæ diversam a sua religionem fovet. Nihil adeo absurdius in Jure Gentium esse potest, quam sanctitatem fidei facere dependentem a veritate religionis.

§. 552.

De identitate sanctitatis fidei inter Gentes. Quoniam sanctitas fidei nullum respectum habet ad religionem Gentis, cum qua foedus initur (§. 551.); & foedera inire liceat cum Gente alii religioni addicta (§. 429.); *fides eodem modo sancta esse debet, cujuscunque tandem religionis fuerit Gens, cum qua foedus initur*, consequenter *inter quascunque Gentes sanctitas fidei eadem est, non attenta earum religione.*

Sive foedus feriatur cum christianis, sive cum turcis, sive cum paganis, in sanctitate fidei nihil prorsus immutatur. Immo qui putat, religionem suam esse veram, alterius vero falsam, is tanto magis sibi sanctitatem fidei commendatam habere debet

debet, ne religioni imputetur vitium, quod non est nisi ejus, qui eam profitetur. Vera nimirum religio non fert vitia, præsertim tam foeda, quale est violatio fidei, quæ sancta haberi debet (§. 550.). Relegenda hic sunt, quæ superius prolixe annotavimus (*not.* §. 429.).

§. 553.

Manifesto falsam foederum interpretationem sanctitati fidei adversari.

Manifesto falsa foederum interpretatio sanctitati fidei maxime adversatur. Etenim si foederum manifesto falsa fuerit interpretatio, ea ipsa non aliud intenditur, quam ut fidem fallat, qui foedera servare videri vult. Enimvero qui hoc facit, ab eo fides minime sancta habetur (§. 546.), & quoniam videri vult foedera servare, sufficienter indicat, sibi non ignotum esse quam turpe sit fidem fallere (§. 759. *part. 3. Jur. nat.*). Nihil igitur sanctitati fidei magis adversatur, quam manifesto falsa interpretatio.

Exempla istiusmodi cavillationum occurrunt in historia antiqua, quorum nonnulla refert *Grotius* l. 2. c. 16. §. 5. Ita Platæenses, cum promisissent se captivos Thebanos reddituros, non vivos, sed mortuos reddiderunt. Romani cum Antiocho pacti, ut partem navium dimidiam redderent, omnes naves medias dissecuerunt, ut Regem tota classe spoliarent. Et ipse *Alexander* M. cum liberum ex urbe exitum promisisset, iter tutum non intelligi argutatus est. Huc etiam pertinet exemplum apud *Tacitum* Annal. XII, ubi narrat, *Rhodamistum* jurasse *Mithridati*, se nec veneno, nec ferro vim illaturum, mox autem eum injecta multa veste necasse.

§. 554.

Item si quis ea intentione mentem suam male

Quoniam manifesto falsa foederum interpretatio *sanctitati fidei* maxime adversatur (§. 553.); eidem quoque *maxime adversatur, si quis in foedere ea intentione conventa non accurate*

exprimit, ut rate definit, nec verbis perspicuis neque ambiguis exprimit, ut, si e re illi locus sit. sua esse visum fuerit, falsæ interpretationi & cavillationibus locus sit.

Qui hoc facit, ei non animus est servandi fidem, ac per consequens eandem minime sanctam habet (§. 546.).

§. 555.

De concessione juris ad actus transitorios.

Pactionibus Gentium æquipollent concessiones juris ad certos actus transitorios in territorio suo tam expressæ, quam tacitæ. Etenim si Gens quædam alteri concedit jus quoddam ad certos actus transitorios in territorio suo expresse; concessio hæc fit petenti vel simpliciter, vel certo modo, consequenter de eo, quod conceditur, inter se conveniunt (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*), & concedens ea omnia promisisse intelligitur, quæ ad usum hujus juris necessario requiruntur, cum frustra concederetur jus, nisi simul ea concederentur, sine quo jure isto uti non datur. Quamobrem cum conventiones, quæ promissiones continent, pacta sint (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*); concessiones Gentium expressæ juris ad certos actus transitorios in territorio suo pactionibus Gentium æquipollent. *Quod erat unum.*

Enimvero cum consensus tacitus sit verus consensus (§. 662. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter perinde sit, sive concessio expresse, sive tacite fiat, expressa autem concessio pactioni æquipollet, *per demonstrata;* pactioni quoque tacita æquipollere debet. *Quod erat alterum.*

Pertinet huc concessio transitus exercitus per suas terras, vel etiam Regis iter facientis, juris commorandi in territorio suo justa quadam de causa, veluti ob usum acidularum sanitatis causa, juris coëmendi certas fruges, quibus Gens vicina indiget annonæ caritatis causa, & quæ sunt alia hujus generis.

Quamvis

Quamvis enim ea, quæ conceduntur, referri poſſint vel ad officia humanitatis, vel ad jura ex communione primæva reſidua; ſi tamen proſtent rationes, ſalute publica, ſuprema in civitate lege (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), deſumtæ, recte denegantur, adeoque cum de eo ſit judicium penes concedentem (§. 156. *part. 1. Jur. nat.* & §. 55. *part. 8. Jur. nat.*), conſenſus ejus requiritur.

§. 556.

Quoniam pactionibus Gentium æquipollent conceſſiones juris ad certos actus tranſitorios in territorio ſuo tam expreſſæ, quam tacitæ (§. 555.), foedera vero, conſequenter pactiones quoque aliæ quæcunque (§. 369.), Gentibus ſancta habenda (§. 547.), fideſque in iis ſancta eſſe debet (§. 550.); *conceſſiones quoque juris cujusdam ad actus certos in territorio ſuo a Gente una alteri factæ ſive expreſſe, ſive tacite, ſanctæ ac fides in iis ſancta eſſe debet.* *An iis ſanctitas conveniat.*

Eadem eſſe debet Gentium fides in omnibus negotiis, quæ inter eas intercedunt. Rationes enim, quæ ſanctitatem foederibus vindicant, in iis omnibus locum habent. Fides ſemper publica eſt: publica vero fides ſancta eſſe debet, cum major ſit turpitudo fidem publicam fallere, quam privatam (*not.* §. 550.).

§. 557.

Si circa conceſſiones juris cujusdam ad actus tranſitorios in territorio ſuo moribus Gentium quædam introducta; ea ad jus Gentium conſuetudinarium pertinent. Patet ex ipſa definitione juris Gentium conſuetudinarii (§. 24.). *De jure conſuetudinario circa eas.*

Jus hoc conſuetudinarium confundendum non eſt, cum eo quod in iſtiusmodi caſibus Gens una alteri ſponte ſua facit,

quamvis si idem in simili casu ab hac isti vicissim fiat, non interruptis actibus jus consuetudinarium introduci possit.

§. 558.

An contra jus consuetudinarium factum injuria sit.

Quicquid fit contra jus consuetudinarium, injuria est. Etenim jus Gentium consuetudinarium longo usu introductum & instar juris observatur (§. 24.). Quamobrem quod contra jus illud fit, contra jus perfectum Genti competens factum intelligitur. Quoniam itaque injuria est, quod fit contra jus perfectum alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); quicquid fit contra jus consuetudinarium injuria est.

Jus consuetudinarium nititur tacito Gentium consensu, qui cum verus consensus sit (§. 662. *part. 1. Phil. pract. univ.*), perinde omnino est, ac si Gentes de eo, quod consuetudinis est, inter se expresse convenissent. Atque ideo Jus Gentium consuetudinarium quoad effectum pactitio æquiparatur.

§. 559.

Fides tacita quid sit.

Fides tacita dicitur, quæ nititur consensu Gentium tacito, ac per consequens *in iis, de quibus tacite convenitur, vel quæ tacite promittuntur, datur.*

Multa in negotiis Gentium tacite conventa insunt. Quamobrem fides tacita non ignotum existimari debet inter Gentes nomen. Quodsi enim vel maxime nomen non usurpetur, res ipsa tamen, quæ eodem denotatur, ignota non est, ut adeo in Jure Gentium perinde sit, ac si ea hoc ipso nomine indigitaretur.

§. 560.

Quod sit servanda.

Quoniam consensus tacitus verus consensus est (§. 662. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & per consequens quoad effe-

ctum

ctum æquivalet expresso, qui verbis declaratur (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *fides* quoque, quæ nititur consensu Gentium tacito, consequenter *tacita æquipollet expresse datæ*, consequenter *non minus, quam hæc servanda* (§. 765. *part. 3. Jur. nat.*), *& perfidiæ reus fit, qui contrarium ejus facit, ad quod fidem suam tacite adstrinxit* (§. 766. *part. 3. Jur. nat.*).

Qui fidem tacitam reprobat, fraudi locum facit (§. 147. *part. 5. Jur. nat.*), quam tamen omnem naturaliter illicitam esse (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*) & ab omni pacto abesse debere constat (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*). Cum fraus in se admodum turpis sit (*not.* §. 147. *part. 5. Jur. nat.*); tanto turpior existimari debet, ubi fidei, quæ sancta esse debet (§. 550.), contrariatur.

§. 561.

De iis, quæ tacite conventionibus insunt:

Sine quo id, in quod consensum est, constare non potest, id tacite conventum intelligitur. Etenim quodlibet negotium complectitur omnes actiones ad aliquid obtinendum, vel efficiendum requisitas (§. 68. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter tam positivas, quam negativas (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo de negotio quodam conveniatur, qualecunque tandem id fuerit, in ea non modo consentitur, quod expresse dicitur, verum etiam in cetera omnia, quæ requiruntur, ut id, in quod consensum est, constare possit, ac per consequens ea tacite conventa intelliguntur (§. 698. *part. 3. Jur. nat.*).

Grotius l. 3. c. 24. §. 1. quædam actui natura inesse dicit & ea tacite conventa pronunciat. Ita omni contractui beneficio inest indemnitas ejus, qui alteri gratis quid præstat, prouti suo loco (*part. 4. Jur. nat.*) ostendimus. In eam igitur tacite consensisse intelligitur is, cui gratis quid præstitum.

Etenim

Etenim nemo contractum beneficum inibit, nisi absque damno suo id fieri possit, consequenter sine indemnitate ejus, qui gratis quid præstat, contractus benefici constare nequeunt, ac ideo ea omni contractui benefico inest. Similiter qui colloquium aut postulat, aut admittit, tacite promittit, id collocutoribus fore innoxium: neque enim ad colloquium accederet, nisi qui certus fuerit, id sibi innoxium fore, ac ideo colloquium sine hoc constare nequit, consequenter conventioni de colloquio promissio securitatis collocutorum natura inest. Recte autem dicuntur natura actui cuidam inesse, quæ ex eo vi demonstrationis deduci possunt: cuilibet enim rei ea insunt, quæ ex ejus notione recta ratiocinatione deducuntur.

CAPUT V.

De modo componendi controversias Gentium.

§. 562.

Controversiæ Gentium & Rectorum civitatis quid sint.

Controversiæ Gentium & Rectorum civitatis sunt contentiones eorundem de juribus sibi competentibus, aut injuria facta.

Contendunt inter se Rectores civitatis, si unus eorum jus quoddam sibi competere affirmat, alter vero negat, illo rationes, ob quas sibi competat, allegante, hoc easdem refutante, vel alias in contrarium afferente. Hæc eorum contentio controversia dicitur. Eruditi de veritate dogmatum, vel factorum inter se contendunt, & hæ contentiones controversiæ eruditorum, idiomate patrio gelehrte Streitigkeiten, sive Streitigkeiten der Gelehrten appellantur, quæ a controversiis Gentium nonnisi objecto differunt. Per se autem patet, controversias quoque dari privatorum, quæ cum controversiis Gentium & Rectorum

Rectorum civitatis coincidunt, & in contentionibus de jure sibi competente, vel de injuria sibi facta consistunt.

§. 563.

Gravamina Gentium & Rectorum civitatis dicuntur querelæ de jure manifesto sibi ab altera Gente, vel Rectore civitatis altero denegato, vel de injuria sibi facta, aut facienda. Idiomate patrio dicuntur Beschwerden. *Gravamina quid sint.*

Ita si Gens quædam non solvit, quod se debere negare non potest, querela, quæ de solutione non obtinenda a Gente altera movetur, gravamen est. Si qua Gens jus legatorum violavit, aut a subditis impune violatum fert, querela, quam de eo Gens altera movet, gravamen est. Contingit subinde gravamina Gentis unius ab altera in controversiam vocari, si hæc ad ea tollenda parata non est. Me vero vel tacente patet, gravaminibus quoque locum esse inter privatos.

§. 564.

Quoniam gravamina sunt querelæ de jure manifesto sibi ab altero denegato, vel de injuria sibi facta, vel facienda (§. 563.); *si tibi revera nullum jus competat ab altero tribuendum, vel injuria non sit factum alterius, quod tu pro ea venditas, gravamen tuum nullum est*, ac ideo dicitur *gravamen minime justum, vel injustum*, quasi nullo jure factum. *De gravaminibus injustis.*

Non semper vera sunt hominum judicia de eo, quod ad ipsos pertinet. Atque ideo pro re manifesta habent, quæ non modo dubia est, verum etiam prorsus nulla. Conqueruntur igitur de eo, quod non est. Ac ideo gravamina ipsorum in se nulla sunt, seu injusta. Finguntur etiam subinde gravamina, ubi nulla sunt. Sed ea ad simulationes pertinent (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 565.

An se immiscere regimini alieno sit justa gravaminis causa. Quoniam gravamen Rectoris civitatis est querela de injuria sibi facta (§. 563.), quilibet autem Rector civitatis habet jus perfectum non patiendi, ut alia quædam se regimini ipsius quomodocunque immisceat (§. 269.), si hoc facit Rector civitatis alterius, injuriam ipsi facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); consequenter *si Rector civitatis se regimini alterius immiscet, id justa gravaminis causa est.*

Fieri hoc potest per legatos pro diversis regiminis formis diversis modis, tum etiam si Rector quidam civitatis prohibere velit, ne faciat alter, quod vi summi imperii facere potest.

§. 566.

De modo tollendi gravamina. Quia gravamina sunt querelæ de jure manifesto sibi denegato, aut injuria facta, vel facienda (§. 563.), per se autem patet, querelas istas cessare, si querenti jus suum tribuitur, injuria facta reparatur, aut, si reparari nequit, de ea satisfit, a facienda autem desistitur; *gravamina tolluntur, si Gens quæ gravaminibus locum fecit, alteri jus suum tribuat, injuriam factam reparet, aut de ea, quæ reparari nequit, satisfaciat, a facienda autem desistat, vel ubi fides suspecta est sufficienter caveat.*

Cessante nimirum ratione querelarum, cessant querelæ, quippe quæ non ponuntur, nisi posita illa (§. 118. *Ontol.*). Cessantibus autem querelis, nulla amplius gravamina existunt (§. 563.).

§. 567.

De obligatione tollendi gravamina. *Si cui Genti sunt gravamina adversus alteram, hæc ea tollere obligatur.* Etenim Gens una quælibet alteri jus suum tribuere debet (§. 264.), consequenter etiam injuriam factam reparare

reparare, seu damnum datum resarcire (§. 923. *part. 1.* & §. 580. *part. 2. Jur. nat.*), aut si injuria reparari nequit, de ea satisfacere (§. 252. 253.), cumque Gens nulla alteram lædere (§. 173.), sed unaquæque sibi cavere debeat, ne aliam offendat (§. 266.), ab injuria, quam facere intendit, desistere. Enimvero si Gens, adversus quam gravamina prostant, hoc faciat, gravamina tolluntur (§. 566.). Quodsi ergo Genti cuidam gravamina sunt adversus alteram, hæc ea tollere obligatur.

Convenit hoc maxime amicitiæ, quam Gentes inter se colere debent & curæ, qua circumspicere tenentur, ne alias sibi inimicas reddant (§. 172.), immo etiam justitiæ, quam Gentes inter se colere obligantur (§. 265.). Quemadmodum in civitate privatorum gravamina tollenda sunt, prouti abunde constat ex iis, quæ in parte octava Juris naturæ de judiciis demonstrata sunt; ita quoque in civitate maxima, in quam Gentes coiverunt (§. 9.), plurimum interest, ut gravamina tollantur, ne Gens, cui sunt gravamina, vi persequi jus suum & injuriam a se amoliri cogatur (§. 271. & *seqq.*).

§. 568.

An gravamina sponte missa facere liceat.

Genti unicuique liberum est, si in gratiam alterius gravamina missa facere velit. Si cui Genti sunt gravamina adversus alteram, hæc ea tollere obligatur (§. 567.), consequenter illi jus est id ab hac exigendi (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero cum quilibet jus suum remittere possit (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), hoc vero faciat, qui sufficienter significat se nolle, ut alter sibi præstet, ad quod præstandum obligatur (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*); Genti, cui sunt gravamina adversus alteram, remittere potest, ut tollantur, consequenter ei liberum est, si in gratiam alterius eadem missa facere velit.

Sæpe consilii est, gravamina quidem proferre, non tamen urgere, ut tollantur, sed generoso animo declarare, quod ea missa facere velis. Subinde etiam ea celare prudentiæ est, aut saltem dissimulare pro præsenti. Tum vero missa facta non sunt, nec jus exigendi, ut tollantur, remissum. Unamquamque Gentem de jure suo disponere posse, prouti sibi visum fuerit, vel prudentia suadet, nemo est qui dubitet, nisi juris omnis fuerit prorsus ignarus.

§. 569.

De modo componendi controversias Gentium.

Controversiæ inter Gentes eodem modo componi possunt quo inter privatos in statu naturali viventes. Gentes enim spectandæ sunt tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes (§. 2.), consequenter judicem nullum habeat, qui de jure controverso sententiam ferat & exequatur (§. 538. 540. & *seqq. part. 8. Jur. nat.)*, qualem nec habent personæ privatæ in statu naturali, qui status libertatis est (§. 145. *part. 1. Jur. nat.)*, viventes (§. §. *cit.)*. Quamobrem controversiæ inter Gentes non alio modo componi possunt, quam quo inter privatos in statu naturali viventes.

Gentes non alio utuntur jure, quam naturali (§. 3.). Jus igitur quod privatis est ad modum componendi controversias in statu naturali, idem etiam Gentibus competit.

§. 570.

Specialius recensentur modi isti.

Quoniam controversiæ inter Gentes eodem modo componi possunt, quo inter privatos in statu naturali viventes (§. 564.); naturaliter vero componi possunt vel amicabiliter (§. 878. *part. 5. Jur. nat.)*, vel per transactionem (§. 885. *part. 5. Jur. nat.)*, vel per mediationem (§. 923. *part. 5. Jur. nat.)*, vel denique per arbitrium, seu compromissum in arbitros

bitros (§. 945. *part. 4. Jur. nat.*); *controverſiæ* quoque *inter Gentes componi poſſunt vel amicabiliter, vel per transactionem, vel per mediationem, vel per arbitrium.*

Equidem ad modos componendi controverſias in ſtatu naturali etiam refertur duellum & ſors; non tamen duellum eſt modus aptus ad controverſiam decidendam (§. 1092. *part. 5. Jur. nat.*), nec naturaliter licitum (§. 1091. *part. 5. Jur. nat.*), ſors vero, qnamvis non ſit illicita (§. 1099. *part. 5. Jur. nat.*), vix tamen Gentibus litigantibus ſeſe probabit.

§. 571.

Quoniam controverſias inter Gentes componendæ ſunt vel amicabiliter, vel per transactionem, vel per mediationem, vel per arbitrium (§. 570.), per amicabilem vero compoſitionem, vel transactionem, vel mediationem, vel per arbitrium controverſiæ componi nequeunt, niſi controvertentes conveniant & colloquantur, quod ſatis per ſe patet; ideo *Gentes controverſiarum componendarum cauſa conventus celebrare & in colloquium venire tenentur*, conſequenter *de loco, tempore, perſonis ad conventum admittendis, aliisque pro re nata in iisdem obſervandis convenire.* *De conventibus & colloquiis Gentium.*

Genuina hæc ſunt media controverſias inter Gentes componendi, quæ Jus naturæ præſcribit, prouti abunde patet ex iis, quæ de controverſiis naturaliter componendis in parte quinta Juris naturæ demonſtrata ſunt. Quod inter privatos duellum, id inter Gentes bellum eſt. Quemadmodum itaque duellum non eſt modus aptus ad controverſiam decidendam (§. 1092. *part. 5. Jur. nat.*); ita nec bellum aptum eſt ad decidendam controverſiam inter Gentes. Eventus belli non minus dubius ac incertus eſt, quam ſortis, ut in utroque caſu fallat proverbium Germanorum, quo Deus cauſam juſtum habenti aſſiſtere dicitur. Quemadmodum itaque ſorte

 diri-

dirimenda non sunt, quæ certo consilio fieri possunt (§. 296. *part. 5. Jur. nat.*); ita multo minus bello. Immo bellum, non perinde ac duellum ex compacto suscipitur, ut jus controversum ejus sit, qui vicerit, consequenter ut vi armorum controversia decidatur, sed ut ad transactionem tandem veniatur, quæ bello finem imponat. Ad transactionem via patet sine armis; sed ea ad eandem venire displicet, quod pars utraque armis suis confisa victoriam sibi pollicetur, cumque victor conditiones præscribere possit victo, meliores transigendo conditiones se obtenturam sperat. Quod igitur bellum præferatur congressibus & colloquiis, nec absque multorum sanguine & depopulationibus atque vastationibus controversia componatur; non a jure naturæ venit, sed affectibus, quibus agitantur animi controvertentium, tribuendum. Judicium nimis deproperant, qui simpliciter pronunciant, controversias Gentium vi armorum esse dirimendas & hoc jus ipsis tributum a Deo atque natura, quod judice careant & ipsæmet juris sui vindices sint. Sane nec in statu civili, in quo actiones in foro in locum belli successerunt (§. 561. *part. 8. Jur. nat.*), non litigatur in foro, nisi quia controversiam amicabiliter, vel per transactionem, mediationem aut compromissum in arbitros componere nolunt partes, consequenter uti recusant mediis, quæ hominum naturæ convenientia præscribit lex naturæ, quæ bello minime favet, nec id nisi per modum defensionis permittit, prouti jam alias insinuavimus & ex sequentibus clarius elucescet. Ceterum juris naturalis esse, ut in causa dubia, seu quando de jure controverso contenditur, aut instituantur colloquia ad rem controversam amicabiliter componendam, vel de ea transigendum sive adhibitis mediatoribus, sive absque iisdem, aut ut compromittatur in arbitrum, aut denique diremtio litis sorti committatur, alibi jam demonstravimus (§. 1102. *part. 5. Jur. nat.*), ac id non minus de Gentibus (§. 3.), quam de privatis intelligendum. Immo sicuti in statu naturali nemini hominum in causa dubia jus belli per se competit (§.

1100.

1100. *part. 5. Jur. nat.*), sed illicitum est alterum bello lacessere, ut vi armorum extorqueas, quod prætendis (§. 1101. *part. 5. Jur. nat.*); ita etiam Gentibus, quæ in statu naturali vivunt (§. 2.), nec alio inter se jure utuntur (§. 3.), licitum esse nequit, quod singulis in statu naturali, seu natura permissum non est. Absit autem, ut tibi persuadeas, hoc ipso diminui jus Gentibus & civitatum Rectoribus, qui illud habent, competens! Applicanda enim ad Gentes earumque Rectores etiam sunt, quæ de jure belli privati in causa controversa liciti alias demonstravimus. Bellum enim privatum natura singulis hominibus permissum norma est belli publici, cum Gentes inter se non aliter spectentur, quam tanquam privatæ personæ (§. 2.).

§. 572.

De jure belli ob controversias Gentium.

Si in causa dubia Gens una acceptare nolit colloquium amicabilis compositionis, vel transactionis causa, nec compromissum in arbitrum; offerenti competit jus belli in acceptare nolentem, quo ea ad transactionem vi armorum adigatur. Etenim controversiarum componendarum causa Gentes conventus celebrare & in colloquium venire debent (§. 571.), ut lites vel amicabiliter, vel per transactionem sive cum mediatoribus, sive absque iisdem, vel per arbitros finiantur (§. 570.). Enimvero si quis colloquium amicabilis compositionis vel transactionis causa in causa dubia, aut compromissum in arbitrum acceptare nolit, offerenti competit jus belli in eum, ut ad transactionem vi adigatur (§. 1103. 1104. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem etiam si in causa dubia Gens una acceptare nolit colloquium amicabilis compositionis, vel transactionis causa, nec compromissum in arbitrum; offerenti competit jus belli in Gentem acceptare nolentem, quo ea ad transactionem vi armorum adigatur.

Patet

Patet itaque jus belli non nasci ex eo, quod Gentes judicem non habeant, sed juris sui ipsæmet vindices sint; verum ex injuria Gentis modum finiendi controversiam a parte altera legi naturæ convenienter oblatum reprobantis. Relegenda hic sunt, quæ alibi jam annotavimus (*not.* §. 1104. *part. 5. Jur. nat.*). Quodsi objicias, quæ de modo componendi controversias Gentium & jure belli in causis earum controversis a nobis tradita sunt, adversari communi Gentium opinioni earumque moribus repugnare; objectio ista nos parum moratur: neque enim nobis propositum est ea recensere, quæ communi Gentium opinioni consentanea sunt, sed docere, quæ veritati conveniunt. Et quamvis mores Gentium jus consuetudinarium faciant (§. 24.); non tamen quod pro jure consuetudinario inter Gentes observatur pro vero jure agnoscimus, nisi quatenus cum theoria legum civilium naturali consentit, ac ideo locum in jure Gentium voluntario, quod diximus, meretur (§. 22.). Quemadmodum lege positiva civili ex illicito legislator facere nequit licitum (§. 975. *part. 8. Jur. nat.*), ac sibi cavere debet, ne errores quidam communes pro Jure naturæ sumantur (§. 992. *part. 8. Jur. nat.*); ita idem tenendum de jure Gentium consuetudinario.

§. 573.

Quando jus belli competat colloquio, vel compromisso non tentato.

Quoniam contra Gentem colloquium amicabilis compositionis, vel transactionis causa, aut compromissum in arbitros acceptare nolentem jus belli competit offerenti, ut ea vi armorum ad transactionem adigatur (§. 572.), atque perinde est, sive expresse, sive tacite reprobetur; *si facile prævideri potest, colloquium, aut compromissum non acceptatum iri, aut si offerretur, non alium expectandum eventum, quam ut offerenti mora nocua inferatur, talia prævidenti jus belli adversus Gentem alteram, etiam colloquio, aut compromisso non tentato competit.*

Lex naturæ ad prudentiam quoque nos obligat (§. 258. *part.*

part. 1. Jur. nat.), adeoque circumspectos nos esse jubet (§. 256. *part. 1. Jur. nat.*), ne temere quid faciamus (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), præsertim si temeraria actio cum damno nostro conjuncta sit, quod a nobis avertere tenemur (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*). Vides itaque nos non simpliciter improbare, si quis arma sumat in causa dubia, nondum tentato colloquio, aut compromisso, de quo nulla unquam spes superesse videtur, etsi illud, ubi mora acceptanti utilis, non eo animo acceptari possit, ut controversia componatur, sed ut mora interponatur.

§. 574.

Jure Gentium voluntario non injusta sunt arma, quæ sumuntur in causa dubia transactionis obtinendæ causa, colloquio, aut compromisso non tentato. Etenim etiam in certis, præsertim magni momenti, fides Gentis Genti & olim semper suspecta fuit, & hodienum suspecta esse solet, ut ideo petantur guarandi foederum (§. 443.) ac in securitatem fidei obsides (§. 540.). In rebus igitur magni momenti inter Gentes controversis cum vix sperandum sit, ut per colloquium controversia componatur, & compromissum ob metum studii partium acceptetur, ac colloquii acceptatio suspicione non careat, quando vero facile prævideri potest, colloquium aut compromissum non acceptatum iri, aut, si offeratur, non alium expectandum esse eventum, quam ut offerenti mora nocua inferatur, non tentato colloquio, aut compromisso arma licite sumantur (§. 573.), & vi libertatis naturalis Genti unicuique competentis (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*) standum sit uniuscujusque de istis judicio (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); jure Gentium voluntario, ut controversia habeat exitum, non injusta sunt arma, quæ in causa dubia transactionis obtinendæ causa, non tentato ante col-

Quid hic conveniat juri gentium voluntario.

loquio, aut compromisso, sumuntur (§. 22. *h.* & §. 983. *part. 8. Jur. nat.).*

Si fides Gentibus tam sancta esset, quam debebat (§. 550.), & nisi affectibus, quam ratione eædem regi mallent, aut gloria, cui studere debent (§. 49.), illos coërceret, ne invitæ demum in id consentire cogerentur, in quod consentire nolebant; controversiæ earundem eo modo componi poterant, quem Jus naturæ præscribit, nec opus foret ad eas componendas vi armorum. Tumque nullum foret jus Gentium voluntarium, cui perversi Gentium mores nonnisi locum faciunt, & quo invita uti tenetur etiam Gens, quæ rectius sapit. Quoniam vero sperandum non est, ut Gentes omnes sint, quæ esse debebant, juri quoque voluntario semper erit locus, eo tamen discrimine, ut Gens, quæ meliora videt ac probat, nonnisi invita illæsa conscientia eodem utatur, aliæ autem, quibus veritas vel ignotum vel contemtum nomen est, incerta spe abreptæ illo abutantur. Sicuti hominum quilibet fortunæ suæ faber dicitur; ita etiam Gentes non modo suæ, verum etiam Gentium ceterarum fortunæ fabri sunt, quæ secunda, quamdiu meliora; adversa autem, quando deteriora sequuntur. Absit autem, ut tibi persuadeas, Gentem illam, quæ rationis ductum sequitur, nec a veritatis tramite declinat, deterioris fore conditionis, quam ceteræ, quæ omne præsidium a jure voluntario petunt. Neque enim his plus licet, quam illis, sed quod hæ vi juris voluntarii impune faciunt inter Gentes, non tamen sine reprehensione rectius sentientium cum detrimento gloriæ (§. 47.), cui studere debebant (§. 49.); illæ jure a natura sibi tributo faciunt (§. 572. 573.), nec sine laude recte sentientium, & gloriæ suæ consulunt (§. 47.), quemadmodum debebant. Eadem notanda sunt in casibus aliis, in quibus jus voluntarium a rigore juris naturæ abit.

§. 575.

Quæ de jure belli in causa dubia naturaliter competente demonstrata sunt; inter Gentes quoque valent. Gentes enim inter se non alio utuntur jure, quam naturali (§. 3.). Quæ igitur de jure belli in causa dubia naturaliter competente demonstrata sunt, ea etiam inter Gentes valent. *De jure belli in causa dubia in genere notanda.*

Quamobrem non opus est, ut hoc in loco denuo demonstrentur, nec ut repetantur, quæ ad ea annotavimus, quamvis utiliter relegantur.

§. 576.

Quoniam quæ de jure belli in causa dubia naturaliter competente demonstrata sunt, inter Gentes quoque valeant (§. 575.); *si qua Gens in causa dubia conditiones æquas alteri, cum qua ipsi controversia est, offerat, hæc vero eas acceptare nolit; jus belli adversus eam eidem competit* (§. 1105. *part.* 5. *Jur. nat.*), &, *si sumtis armis, a parte alterutra conditiones æquæ offerantur, eædem acceptandæ sunt ac bellum finiendum* (§. 1106. *part.* 5. *Jur. nat.*), *pars utraque obligatur quærere conditiones, quibus bellum vitetur, nec Gens, quæ petit, alteram cogere potest, ut de possessione decedat* (§. 1109. *part.* 5. *Jur. nat.*), *ac injustum bellum est, quod occupandæ possessionis causa suscipitur* (§. 1110. *part.* 5. *Jur. nat.*). *Notanda in specie.*

Quoniam jus belli in causa dubia naturaliter competens, postquam imperia civilia introducta sunt, potissimum usum habet inter Gentes; ideo e re maxime esse videbatur, ut alibi de jure belli in causa dubia demonstrata hic repetita ad Gentes applicarentur, ne in jure Gentium, quod hic traditur, desiderari viderentur, quæ in eodem sibi locum vindicant.

§. 577.

De jure talionis Gentium.

Talio inter Gentes non licita, nec datur jus talionis Gentium voluntarium, sed si talio moribus introducta, ad jus Gentium consuetudinarium iniquum referenda. Talio enim lege naturali prohibita (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter illicita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum Gentes inter se utantur jure naturali (§. 3.), consequenter inter eas licitum esse nequeat, quod naturaliter illicitum; talio quoque inter Gentes licita esse nequit. *Quod erat primum.*

Jam jus Gentium voluntarium eodem modo conditur, quo jus civile in civitate (§. 22.). Enimvero si jus civile conditur ex naturali, ex illicito fieri nequit licitum (§. 975. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum talio naturaliter illicita sit, *per demonstrata n. 1.* nec jus talionis Gentium voluntarium datur. *Quod erat secundum.*

Quodsi denique talio communi quodam errore, quasi ea licita sit, moribus fuerit introducta inter Gentes quasdam; ea utique juris consuetudinarii erit (§. 24.). Enimvero cum iniquum sit, quod juri naturæ repugnat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); talio autem juri huic repugnet *per demonstrata n. 1.* jus talionis consuetudinarium iniquum est. *Quod erat tertium.*

Communem & olim fuisse, & hodienum esse errorem, quasi talio sit æquissima, cum nihil æquitati magis consentaneum existemetur, quam ut tantundem quis mali patiatur, quantum fecit, alibi jam annotavimus, & quantum a vero distet falsa ista opinio ostendimus (*not.* §. 640. *part. 8. Jur. nat.*). Ortum nimirum debet talio vindictæ cupidini, a qua non minus Gentes (§. 3.), quam homines singuli alienum habere debent animum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*). Non est quod exci-

excipias, cupidinem vindictæ non cadere in Gentem, ac ideo jus talionis ab eadem sine ea exerceri posse. Jus enim Gentium exercetur per Rectores civitatis, qui non minus affectibus indulgent, quam homines privati, ac potentia confisi in vindictam proniores esse solent privatis, quos haud raro impotentia a vindicta retrahit. Rectitudo actionum in Rectore civitatis non alia est, quam in privato, & eandem puritatem mentis lex naturæ in illo requirit, quam in hoc exigit. Quemadmodum itaque privatus ratione regere debet actiones suas, nihil dando affectibus; ita magis hoc fieri debet a Rectore civitatis, qui integram Gentem repræsentat (§. 39.).

§. 578.

An injuria irreparabilis

Quoniam talio naturaliter illicita etiam inter Gentes (§. 577.); talio autem in eo consistit, ut tantum quis patiatur mali, quantum fecit (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*); *si cui eidem faciat Genti ab alia injuria irreparabilis facta, aut quam reparatum iri non locum. sperari potest, non licet Genti isti idem facere, quod ipsa fecit.*

Qui jus talionis defendunt, idem plerumque ultra limites, quos per naturam suam habet, extendere solent. Ita si qua Gens legatos alterius trucidavit, aut nasis ac auribus abscissis ad mittentem remisit; huic quoque permissum arbitrantur, ut illius legatos vicissim occidat, vel nasis ac auribus abscissis ejiciat. Facile autem patet, tum talionem non fieri intra easdem personas, lædentem scilicet ac læsam, ut fert talionis natura (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*). Quamvis itaque jus talionis esset æquissimum, quemadmodum vulgo existimatur; non tamen eidem in istiusmodi casibus foret locus, ac propterea inter Gentes raro usum haberet. Non tamen putandum, quasi jure talionis sublato adversus injuriam irreparabilem nullum sit remedium: dari enim remedia alia, si Gens lædens læsæ gravamina tollere nolit, prouti debet (§. 567.), ex sequentibus elucescet.

§. 579.

Quando talio fiat magis illicita.

Quoniam *talio inter Gentes* minime licita (§. 577.); *multo magis illicita erit, si in facto naturaliter turpi consistit.*

E. gr. ponamus militibus fuisse promissum, ut foeminis honestis publice violentum stuprum inferrent; cum istiusmodi stupra naturaliter turpia sint (§. 335. *part. 7. Jur. nat.*), si vel maxime jus talionis moribus quarundam Gentium fuerit introductum, id vicissim suis militibus permittere non licebit: quodsi tamen fiat, talio multo magis illicita erit, quam quæ in malo quodam physico, quod in se spectatum illicitum non est, consistit.

§. 580.

Quando jure puniendi Gens læsa uti possit.

Si Gens alteri a se læsæ de injuria irreparabili satisfacere nolit, aut satisfactum iri spes nulla esse videtur; læsa jure puniendi intra terminos æquos uti potest. Etenim si injuria irreparabilis facta, Genti læsæ de ea satisfieri debet (§. 566. 567.). Quodsi ergo lædens satisfacere læsæ nolit, aut spes nulla esse videtur, ut satisfiat, cum læsæ competat jus puniendi lædentem (§. 272.) & hæc ad poenam patiendum obligetur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), læsa jure puniendi lædentem uti potest. *Quod erat unum.*

Quoniam vero jus puniendi infinitum est (§. 1063. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter eidem limites præfigendi sunt ex circumstantiis præsentibus (§. 977. *part. 1. Jur. nat.*), poenaque gravior illicita, ubi levior sufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*); Gens læsa, siquidem lædens de injuria irreparabili eidem satisfacere nolit, jure quidem puniendi uti potest, *per demonstrata n. 1.* sed tamen nonnisi intra æquos terminos. *Quod erat alterum.*

Æqui

Æqui termini ex fine poenæ & circumstantiis, quæ eum obtentu vel facilem, vel difficilem reddunt, æstimandi. Poena non aliud intenditur, quam ut Gens læsa in posterum sit secura a metu injuriarum; secura autem esse nequit, si impune se lædi patiatur. Securitas ad finem civitatis pertinet (§. 13. *part. 8 Jur. nat.*), quam tueri idem est ac punire, ut ideo jus puniendi referendum sit ad jus defensionis.

§. 581.

Quot modis Gens puniri possit.

In poenam Genti adimi possunt res tam corporales, quam incorporales, veluti jura ad certos actus in territorio læsæ: immo licite quoque sumuntur arma in lædentem, nisi aliter securitati prospici possit. Etenim Gentes spectantur tanquam personæ singulares in statu naturali viventes (§. 2.). Quamobrem cum personis privatis in poenam adimi possint res quæcunque corporales & incorporales, sive jura quælibet (§. 589. *part. 8. Jur. nat.*); Genti quoque in poenam adimi possunt res tam corporales, quam incorporales, veluti jura ad certos actus in territorio læsæ. *Quod erat unum.*

Enimvero cum qui alterum læsit ad poenam patiendum obligetur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*); si poena aliter sumi non possit, qua securitati satis prospicitur, quia jus puniendi infinitum sit (§. 1063. *part. 1. Jur. nat.*), licite quoque in Gentem, quæ læsit, arma sumuntur. *Quod erat alterum.*

Satisfacere de injuria irreparabili revera nihil aliud est, quam poenam præstare. Quæ igitur a lædente vel offeruntur, vel a læso exiguntur, poenæ rationem habent. Quamobrem patet, absurdum non esse, ut in poenam lædenti adimatur res corporalis, vel ut lædens privetur aliquo jure ad actus in territorio Gentis læsæ eidem competente, veluti jure commerciorum, aut jure præsidii habendi, & quæ sunt alia ejusdem generis. Immo gens quoque lædens privari potest jure, quod ipsi

ipsi competebat adversus læsam, veluti ut hæc vectigal nullum solvere teneatur pro mercibus per territorium illius transeuntibus, quod antea erat solvendum. Neque etiam absurdum est, ut in poenam solvatur certa pecuniæ summa, quemadmodum mulcta in poenarum privatarum numero est (§. 590. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi poena sponte præstetur, non opus est, ut ad præstandum vi adigatur, qui puniendus. Quodsi vero poenam recuset, remediis coactivis opus est. Cum tamen intra æquos terminos subsistendum sit (§. 580.); ex circumstantiis dijudicandum, quanta vis sit adhibenda, ut finem poenæ consequi detur. Aliis igitur mediis non sufficientibus, arma sumere in lædentem omnino licitum. Equidem qui vim adhibet ad poenam sumendam, bellum gerere videtur (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*); non tamen bellum inferre Genti dici potest, nisi qui vi armata ipsam Gentem poenam recusantem adoritur, prouti ex demonstratione de sumtione poenæ bello annumeranda patet (*loc. cit.*) & ex ipsa propositione intelligitur. Qui enim poenam sumit a lædente, vim adhibet adversus eum, qui eandem recusat. Vis vero Genti inferri nequit, nisi armata.

§. 582.

Quando poenæ nomine bellum inferre liceat.

Antequam Genti ob injuriam irreparabilem bellum inferatur, tentandum, num de poena præstanda conveniri, aut alio quodam modo ea de lædente capi possit. Jure enim puniendi utendum intra terminos æquos (§. 580.), consequenter si sine vi poena recipi possit, ad vim jus nullum est; si sine vi armata, qua ipsa Gens petitur, poena capi possit, jus ad bellum Genti ipsi inferendum nullum est. Quamobrem patet, antequam Genti ob injuriam irreparabilem bellum inferatur, tentandum esse, num de poena præstanda conveniri, aut alio quodam modo ea de lædente capi possit.

Quoniam qui læsit ad poenam patiendum obligatur (§. 1071. part. 1.

part. 1. Jur. nat.); Gens, quæ alteri injuriam irreparabilem fecit, sua sponte de ea satisfacere debebat, multoque magis poenam non recusare reposcenti. Quemadmodum vero perpauci sunt homines, qui poenæ sese sua sponte submittere volunt; ita quoque Gentibus poenæ odiosæ sunt. Quodsi tamen ante tententur remedia leniora, quam ad dura procedatur; Gens sibi imputet, quod durioribus adversus ipsam sit utendum. Bellum ingentem post se trahit cumulum malorum, & eventus ejus dubius. Quamobrem cum quærenda sit omnis occasio, qua evitetur; poenæ sumendæ causa bellum non facile concipiendum. Immo haud raro præstat poenam interpositis, si opus sit, minis remittere, quam arma induere.

§. 583.

Retorsio juris dicitur constitutio, qua in subditos alterius Gentis decernitur jus, sive positivum, sive negativum, quo ipsa utitur in subditos nostros, seu breviter: est usus juris in alteram Gentem, qua ipsa in nostram utitur. *Retorsio juris quid sit.*

E. gr. Ita juris retorsio est, si jus detractus opponitur juri detractus, scilicet si tu civibus tuis ad me discessuris detrahis decimam bonorum partem, & ego vicissim civibus meis decimam partem detraho imperium tuum subituris, vel si tu civibus meis de hæreditate, quæ ipsis in territorio tuo obtingit, decimam partem detrahis, & ego eodem casu utor adversus cives tuos. Immo huc pertinet, si civibus tuis non permitto ut hæreditatem, vel legatum capiant a civibus meis, quia tu idem meis non permittis. Huc etiam pertinet constitutio, ut jus geradæ vel hergewetti cesset respectu subditorum Gentis, apud quam hoc jus receptum non est. Huc etiam porro referendum, si tu prohibes, ne certæ res venales, veluti frumentum, lana, pannum, exportentur in regionem meam, & ego vicissim prohibeo, ne exportentur eædem, vel aliæ in tuam. Hæc juris retorsio non confundenda est cum retorsione injuriarum,

quæ in compenſatione injuriarum conſiſtit & in noviſſima deciſione Electorali 81. probatur, quatenus enim injuriæ verbales cum verbalibus compenſantur, neque enim verbales cum realibus compenſare permiſſum, ea inter Gentes locum non habet, quodſi vero reales cum realibus compenſentur, retorſio redibit ad talionem (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*), quæ & ipſa inter Gentes illicita &, ſiquidem moribus introducta fuerit, ad jus conſuetudinarium iniquum referenda (§. 577.). Retorſioni igitur injuriarum in Jure Gentium nullus relinquitur locus. Ceterum retorſio injuriarum & retorſio juris in eo conveniunt, quod eodem quis jure in alterum utatur, quod is in ipſum ſtatuit, niſi quod in retorſione injuriarum committatur, ad quod non faciendum retorquens obligabatur, conſequenter jus ſibi quoddam arroget, qui nullum habet. In retorſione autem jurium quilibet utatur jure, quod habet.

§. 584.

An retorſiones juris inter Gentes illicitæ ſint.

Retorſiones juris inter Gentes illicitæ non ſunt. Cum unicuique Genti liberum ſit de iis ſtatuere, quæ e re civitatis ſunt, prouti ſibi viſum fuerit (§. 55. *part. 8.* & §. 156. *part. 1. Jur. nat.*); citra injuriam quoque ſtatuere poteſt, quantum juris Genti alteri in territorio ſuo, vel apud ſe concedere velit, conſequenter altera in ejus voluntate acquieſcere tenetur, ac ideo gravamen nullum habet (§. 563.). Enimvero cum Gentes omnes inter ſe æquales ſint (§. 16.) & quod uni licitum, id etiam alteri licitum (§. 18.); Gens quoque altera ſtatuere poteſt, prouti ſibi viſum fuerit, de iis, quæ e re civitatis ſuæ ſunt, ac per conſequens eodem jure in illam uti poteſt, quo ipſa in ſe utitur. Quamobrem cum juris retorſio fiat, ſi id faciat (§. 583.); retorſiones juris inter Gentes illicitæ non ſunt.

Contingit equidem ſubinde, ut retorſione juris Gens, quæ eidem

eidem locum fecit, plus damni ex ea ſentiat, quam emolumenti percipiat ex jure, quod in Gentem alteram ſtatuit: tum vero id motivum eſſe poteſt, ut res in priſtinum ſtatum reſtituatur. Ubi vero id amplius integrum non eſt, ſibi imputet, quod non cautius mercata fuerit. In caſu particulari rationes quoque particulares ſubinde dantur, quæ retorſionem licitam faciunt. Ita ſi alicubi gerada & hergewettum in uſu non eſt, quemadmodum extra terras Saxonicas & pauca quædam loca alia, in quibus jus Saxonicum retentum, ignoratur, retorſio juris nititur hoc principio, quod nemini quicquam gratis dare tenearis, qui viciſſem dare poterat (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*), conſequenter nec lucrum dare Genti, a qua in caſu ſimili vel eodem nullum viciſſim ſperare licet. Natura enim, quæ Gentes omnes æquales facit, minime te obligat, ut alterius meliorem facias conditionem, quam ipſa tuam facit. Nulla ſane ratio eſt, cur uni præ altera competere debeat prærogativa quædam.

§. 585.

Quoniam retorſio juris non illicita eſt (§. 584.), conſequenter Gentibus ſaltem competit jus ad eandem (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quilibet autem jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); *cuilibet Genti liberum eſt, utrum jus retorquere velit, an nolit.* *An retorſio juris ſit neceſſitatis.*

Immo haud raro non deſunt rationes ſuaſoriæ, ob quas retorſio juris potius non fieri, quam fieri debet, veluti ſi ex prohibitione Gentis alterius nullum damnum ſentiunt ſubditi tui, ſed ſimilis prohibitio potius damnum iisdem afferret. Subinde quoque maxime urgentes eſſe poſſunt rationes prohibitionis, ut eam ægre ferre nequeas, ſed potius probare debeas. Interdum neceſſe eſt, ut jus retorqueatur, veluti ſi a vicina Gente exportatio frumenti prohibeatur, ne, ſi a nobis exportatio permittatur, apud nos annona flagelletur. Retorſionem

itaque Juris potissimum prudentia moderatur; nec quicquam in ea ex utraque parte occurrit, quod ad læsionem referri possit, etsi occasione ejusdem una, vel altera pars, vel etiam utraque incommodum quoddam sentire possit, quod tamen a neutra parte intenditur, quolibet nimirum decernente, quod e re civitatis suæ esse visum fuerit. Manifestissimum hoc est in eo casu, in quo jus quoddam non valere finimus respectu exterorum, quo cives nostri fruuntur, quia exteri tali jure non utuntur, ex quo vicissim nostri commodum quoddam sperare poterant, cujus exemplum vidimus in gerada & hergewetto (*not.* §. 583.).

§. 586.

De expletione juris & oppignoratione inter Gentes. *Si qua Gens rem suam, vel civium suorum ab alia Gente, quæ eandem detinet, vel quod alio quocunque modo debet, consequi non potest, seu Gens hæc illi, vel civibus illius jus reddere denegat; illa loco rei suæ vel debitæ, seu civium vel civibus suis debitæ bona quæcunque civium alterius auferre potest, quæ tantundem valent; restituere autem tenetur, quantum pluris valent, vel bona capta non ante reddere, donec rem suam vel civium suorum, aut sibi vel civibus suis debitam acceperit.* Etenim si rem meam ab eo, qui eandem detinet, vel a debitore, quod mihi debet, consequi non possum, naturaliter loco rei meæ, vel mihi debitæ eidem auferre licet aliud tantundem valens (§. 1112. *part.* 5. *Jur. nat.*). Enimvero bona civium obligata sunt naturaliter pro debitis civitatis (§. 495.) & ipsa quoque bona privata Rectoris civitatis (§. 496.). Quamobrem si qua Gens alteri, vel civibus ejus jus denegat, ut rem suam, vel civium suorum, aut quod ipsi, vel civibus suis debet, consequi non possit; licet huic bona quæcunque civium alterius, vel etiam bona Rectoris civitatis loco rei suæ vel sibi debitæ, aut civium suorum, vel ipsis debitæ auferre. *Quod erat primum.*

Enim-

Enimvero ſi quis loco rei ſuæ, vel ſibi debitæ, quam a detentore, vel debitore conſequi non poteſt, auferat aliud, quod plus valet; quantum pluris eſt detentori, vel debitori reſtituere debet (§. 1115. *part. 5. Jur. nat.).* Quamobrem ſi bona civium Gentis alterius, aut Rectoris civitatis expletionis juris cauſa auferuntur; quantum ea pluris valent, id Genti iſti reſtituendum. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero etiam rem detentori ſuæ aut debitori ſuo pignoris loco auferre licet, non ante reddendam, donec rem tuam, vel quod tibi debetur acceperis (§. 1118. *part. 5. Jur. nat.);* bona quoque civium Gentis alterius, vel Rectoris civitatis privata pignoris loco capi poſſunt, ut reſtituantur, ſi Gens rem ſuam vel civis ſui, aut quod ſibi, vel civi ſuo debetur, acceperit. *Quod erat tertium.*

Expletionem juris invitam ab oppignoratione invita diſtinximus, cum de modis conſequendi jus ſuum in ſtatu naturali ageremus (§. 1112. 1118. *part. 5. Jur. nat.*), etſi communiter a ſe invicem diſtingui minime ſoleant, & in Jure Gentium ſub uno oppignorationis nomine comprehendantur. Eſſe tamen diverſas, cum ex iis, quæ ibidem demonſtrata, tum ex iis, quæ annotata ſunt, ſatis ſuperque patet. Inter Gentes autem utraque licita eſt, quia in ſtatu naturali, in quo ſinguli perinde ac Gentes (§. 3.) non utuntur niſi jure natura ipſis competente, cuivis homini licita. Et hoc demum modo jus Gentium neceſſarium ſive naturale clariſſima luce fulget, ſi quod naturaliter ſingulis licitum ad Gentes applicetur (§. 4.), ac præcavetur, ne quid incaute juri Gentium admiſceatur, quod a civili venit. Ceterum cum loco citato demonſtraverimus, quænam circa expletionem juris & oppignorationem invitam tenenda ſint; ea hic ut repetantur neceſſe non eſt.

§. 587.

Quousque ea extendatur. Quoniam si jus denegatur, bona civium Gentis alterius, vel Rectoris civitatis privata expletionis juris vel pignoris causa capere licet (§. 586.), jus vero denegatur non tantum, si judicium in detentorem rei, aut debitorem intra tempus idoneum obtineri nequeat, verum etiam si in re minime dubia plane contra jus judicatum sit, quod tanquam per se clarum sumitur; *bona civium Gentis alterius, vel Rectoris civitatis privata expletionis juris vel pignoris causa etiam capere licet, si in re minime dubia plane contra jus judicatum sit.*

Jus tibi denegatur, si id, quod tuum est, aut tuum fieri debet, in judicio consequi non potes. Duplici igitur modo id fieri posse manifestum est; vel si judex te audire non vult, vel si sententiam injustam pronunciat. Juris civilis est, ut sententia a judice lata haberi debeat pro justa, si vel intra certum tempus ad superiorem non provocetur, vel illa ab hoc fuerit confirmata. Quamobrem cum leges civiles non obligent nisi membra ejusdem civitatis, in qua feruntur (§. 967. *part. 8. Jur. nat.*); inter Gentes sententia judicis seu bene, seu male prolata pro vera & justa non habetur, etiamsi a superiore fuerit confirmata. Quodsi ergo in re minime dubia plane contra jus judicatum sit, sententia pro nulla habetur, ac ideo jus denegatum recte sumitur.

§. 588.

Idem ulterius expenditur. Similiter cum qui jus protrahit, seu variis frustrationibus reddendum differt, id tibi tribuere nolle recte præsumatur, consequenter perinde sit ac si jus tuum tibi denegetur, quando vero jus denegatur, bona civium Gentis alterius expletionis juris, vel pignoris causa capere liceat (§. 586.); *si jus protrahitur, bona civium Gentis alterius, vel etiam Recto-*

Rectoris civitatis privata expletionis juris, vel pignoris cauſa capere licet.

Qui habet animum alteri tribuendi jus ſuum, is prompte tribuit, cum nihil obſtet, quo minus id, ad quod faciendum paratus eſt, ſine mora faciat. Et promptitudo hæc maxime convenit juſtitiæ, quam Gentes inter ſe colere debent ea ſollicitudine, ut ne quid committatur, quod eidem ſit adverſum (§. 265.). Quodſi ergo Gens, quæ gravamina alterius audit, & ea ſublatum iri promittit, jus ultra modum protrahit & frivolis rationibus moram excuſat; ea animum jus ſuum alteri tribuendi non habere recte omnino colligitur. Quapropter perinde eſt, ſive jus aperte denegetur, ſive ultra modum protrahatur. Multa in civitate tolerantur, quæ extraneis toleranda non ſunt.

§. 589.

Ablatio bonorum civium alterius Gentis, vel etiam Rectoris civitatis privatorum expletionis juris vel pignorationis cauſa dicuntur *Repreſſaliæ*. Vocatur etiam *Pignoratio inter populos diverſos*, Juriſconſultis Saxonicis *Withernamium* a vocabulo Germanico Wiedernehmen, quia loco ejus, quod ablatum eſt, aliud itidem aufertur. Quoniam iſtiusmodi ablatio naturaliter inter Gentes licita (§. 586. & *ſeqq.*); *Repreſſaliæ licitæ ſunt*. Patet autem ex antea demonſtratis (§. §. *cit.*), *repreſſaliis locum non eſſe, niſi quando alius populus nobis vel civibus noſtris injuriam facit, & imploratus eam reparare intra tempus idoneum*, hoc eſt, ſine protractione, *non vult*. Patet etiam porro, *jus repreſſaliarum non competere niſi Gentibus &, qui jus Gentium habent, Rectoribus civitatis.* *Repreſſaliæ quid ſint & num licitæ.*

Non eſt, quod excipias in ſtatu naturali jus iſtud competere ſingulis, ac per conſequens idem quoque obtinere inter cives, ſeu ſubditos diverſorum populorum. Etenim in ſtatu naturali

naturali expletionis juris vel pignorationis cauſa capi non poſſunt niſi res detentoris rei meæ, aut debitoris mei (§. 1112. 1118. *part. 5. Jur. nat.*). Quod vero bona civium obligentur pro debitis civitatis, id a jure Gentium venit (§. 495.), conſequenter etiam jus repreſſaliarum, quo bona cujuscunque civis pro debito quocunque Gentis vel civis cujuscunque alterius capiuntur, nonniſi Gentibus competere poteſt.

§. 590.

An jus repreſſaliarum privatis competat.

Quoniam *jus repreſſaliarum* nonniſi Gentibus earumque Rectoribus competit (§. 589); idem *ſubditis diverſarum Gentium inter ſe competere nequit*, conſequenter *privatus jure repreſſaliarum uti nequit, niſi a Rectore civitatis eidem permittatur.*

Quodſi ergo privati repreſſalias exercere velint, conſenſum ſuperioris ante impetrent neceſſe eſt. Requiritur autem conſenſus expreſſus, non vero præſumtus ſufficit. De eo enim, quod e re civitatis eſt, judicium penes ſuperiorem, non vero penes privatum eſt. Non vero ſemper expedit, remediis coactivis uti, aut iisdem uti quovis tempore ac loco. Præterea fieri poteſt, ut ſuperior autoritate ſua permoveat Rectorem civitatis alterius ad reddendum jus civi ſuo, ut nullis remediis coactivis ſit opus, ſi vel maxime privatæ querelæ non audiantur.

§. 591.

An ſubditi Gentis alterius pignorationis cauſa capi poſſint.

Pignorationis cauſa, ſi jus denegatur, etiam capi poſſunt ſubditi alterius. Etenim ſicuti bona civium (§. 495.), ita etiam perſonæ eorundem obligatæ ſunt naturaliter pro debitis civitatum (§. 507.). Quamobrem cum licitum ſit inter Gentes capere bona civis cujusvis alterius Gentis, ſi jus nobis vel civibus noſtris denegat (§. 586.); licitum quoque

quoque inter Gentes eſſe debet, ut, ſi jus denegatur, pignorationis cauſa capiantur ſubditi Gentis alterius.

Vidimus in ſuperioribus obſides revera oppignorari (§. 497.), nec eos aliter ſpectari tanquam pignora fidei (§. 540.). Quemadmodum itaque homines pro fide oppignorari poſſunt; ita nec abſurdum eſt, ut oppignorentur pro debito. Sicuti autem ex repreſſaliis manifeſtum eſt, dari oppignorationes invitas rerum; ita quoque abſurdum non eſt, ut ſint oppignorationes invitæ perſonarum.

§. 592.

Androlepſia, ſive *Viricapio* dicitur captura civium Gentis, quæ nobis vel civibus noſtris jus denegat, pignorationis loco. Quamobrem patet, *Androlepſiam eſſe repreſſaliarum quandam ſpeciem* (§. 589.), *eamque inter Gentes naturaliter licitam.* *De androlepſia ſeu viricapione.*

Androlepſiæ mentionem jam ſuperius fecimus (*not.* §. 503.), cum obſervaremus, obſides liberatos retineri poſſe tanquam captos pignoris loco. Et jam patet, id venire ex jure repreſſaliarum Gentibus competente.

§. 593.

Quoniam jure androlepſiæ homines capiuntur pignoris loco, quia Gens, quæ debet, jus reddere non vult (§. 592.); *androlepſia eo fine fit, ut ad jus nobis vel civibus noſtris reddendum compellatur Gens, quæ reddere non vult*, conſequenter *cives alieni capti tamdiu detineri poſſunt, donec jus fuerit redditum.* *Finis androlepſiæ.*

Civium captorum liberatio motivum itaque eſſe debet, ut Gens, quæ jus reddere recuſat, reddat, ſicuti obſidum liberatio motivum eſt, ut præſtetur id, cujus cauſa dati (§. 887. *Pſych. empir.* & §. 497. *h.*). Monuimus paulo ante (*not.* §. 591.),

591.), androlepsiam affinem esse obsidum dationi, nisi quod in hac cives a Gente pignoris loco dentur, in illa vero pignoris loco capiantur. Quamobrem obsidum datio & androlepsia multa communia habent, ut, quæ de obsidibus demonstrata fuerunt, facile ad androlepsiam applicentur, ac ideo in jure androlepsiæ explicando nobis esse liceat brevioribus.

§. 594.

De androlepsia in casu poenæ exigendæ.

Quia in androlepsia subditi alterius Gentis pignoris loco capiuntur, propterea quod jus reddere nobis vel civibus nostris recusat, jus vero denegatur, si ea civem suum, qui in nos vel cives nostros deliquit, punire non vult; *jus androlepsiæ licitum, si qua Gens subditum suum, qui in nos, vel civem nostrum deliquit, punire non vult.*

In hoc casu jus androlepsiæ apud Athenienses olim usurpatum fuisse, supra jam annotavimus (*not.* §. 503.), utut paulo strictius, cum ad homicidium civis atheniensis in territorio alieno fuerit restrictum, & certis determinationibus in jus civile versum (§.982. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 595.

Effectus androlepsiæ, si jus obtineri nequeat.

Si jure androlepsiæ Gens permoveri nequit ad jus reddendum, qui pignoris loco capti vel in carcere perpetuo detinendi ut captivi, vel, ubi servitus recepta, servi fiunt, interfici autem nequeunt, immo nec poena quidem corporis afflictiva affici, etiamsi in sontem judicium obtineri nequeat. Quoniam homini non competit dominium in vitam suam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*), nec in corpus suum, vel ullum ejus membrum (§. 374. *part. 1. Jur. nat.*); quando oppignoratur, nec vita, nec corpus ipsius oppignorari potest, consequenter nil restat, quod oppignorari possit, nisi libertas natura ipsi competens (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), seu jus in

in actiones suas (§. 153. *part. 1. Jur. nat.)*, sub quo etiam contineri jus morandi, ubi libuerit, per se patet. Quamobrem si jus, cujus denegati causa civis alienus captus fuit, obtineri nequeat; jus in actiones ejus, & per consequens jus morandi acquirit, qui eum pignorationis causa cepit, adeoque vel tanquam captivum in perpetuo carcere eum detinere, vel, ubi servitus recepta, eundem in servitutem redigere potest (§. 1096. *part. 7. Jur. nat.*), interfici autem nequit, nec vis ulla corpori ejus inferri. *Quod erat unum.*

Quando jure androlepsiæ utimur, quia poena poscitur in fontem, non pro delicto fontis qui capitur oppignoratur, sed juris obtinendi causa, scilicet ut in fontem poena statuatur (§. 593.). Quamobrem cum nec ex natura actus sequatur, ut qui oppignorationis causa captus eadem poena afficiatur, quæ in fontem statuenda fuerat, nec ob factum alienum, quo quis læsus fuit, aliquem punire liceat (§ 1084. *part. 1. Jur. nat.*); si judicium in fontem obtineri nequit, poena, quæ statuenda erat in fontem, capto imponi nequit, consequenter quod ille non puniatur, nec is interfici, aut poena aliqua corporis afflictiva affici potest. *Quod erat alterum.*

Non modo olim Gentes, quarum animos perversa illa opinio obsedit, quasi hominibus competat jus in vitam & corpus suum, putarunt, vitam & corpus subditorum innocentium ex tali causa obligari, cum jus sibi natura competens ad Remp. transtulerint; verum etiam qui ab hoc errore immunes sunt, defendere tamen non dubitant, jus interficiendi, consequenter etiam poena alia corporis afflictiva afficiendi cives captos, si jus non reddatur, sub jure repressaliarum contineri. Sumunt enim eos puniri non ob factum alienum, sed ob factum proprium, adeoque non innocentes. Cives enim approbare, vel approbare teneri factum suæ civitatis, scilicet quod inju-

riam reparare nolit, jus denegando, atque ideo ex propria injuria ad reparationem teneri. Ast primo facile patet, de cive capto concipi non posse, ut factum suæ civitatis approbet, quoniam enim liberatio sui, quam quin maxime in votis habeat, dubitandum non est, ex eo pendet, ut injuria reparetur, quod eam reparare nolit Rector civitatis, cujus subditus est, approbare nequit. Enimvero nec obligatio civis eo usque extenditur, ut factum illicitum Rectoris civitatis, multo autem minus concivis sui approbare teneatur. Singuli autem non obligantur universis, nisi quod commune bonum promovere velint (§. 28. *part. 5. Jur. nat.*), ex hac autem obligatione minime sequitur, quod factum illicitum civitatis, veluti quod judicium in reum mortis dare nolit, approbare ac defendere teneatur: immo ad hoc sese obligare non potuit, cum nemo sese obligare possit ad approbandum ac defendendum factum illicitum, propter immutabilem obligationem naturalem, quæ alio ducit. Perperam igitur fingitur injuria propria capti, quæ eum poenæ capitalis, vel etiam corporis afflictivæ reum faciat. Ceterum minus recte *Grotius* l. 3. c. 2. §. 5. n. 2. asserit, jus repressaliarum non natura introductum, sed moribus passim receptum esse, ut non sit nisi consuetudinarium (§. 24.): vidimus enim in anterioribus id rationibus naturalibus minime destitui.

§. 596.

De eo, quod liceat in eum, qui executioni juris repressaliarum resistit.

Si quis executioni juris repressaliarum resistit, in eum omnia licent, quæ defensori licita sunt in aggressorem. Quoniam enim Genti, cui jus denegatur ab alia, jus repressaliarum competit adversus denegantem (§. 589.); qnando resistitur executioni hujus juris, id fit contra jus ejus, cui illud competit (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter eum lædere intendit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum se defendat, qui lædere intendenti seu conanti resistit (§.

972.

972. *part. 1. Jur. nat.*), & homini natura competit jus se defendendi (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*); Gentibus quoque competit jus se defendendi adversus eum, qui executioni repressaliarum resistit, consequenter in eum omnia licent, quæ defensori licita sunt adversus aggressorem.

Non est, quod existimes, si quis alteri res suas vi auferre, vel ipsummet capere velit, eum res suas, vel se defendere, consequenter non illum, qui illas auferre, vel hunc capere conatur, tanquam defensorem spectandum esse: id enim tum demum obtinet, si res tuas auferre conanti jus nullum sit ad easdem, vel te capere volenti jus nullum te capiendi. Qui vero jure suo utitur, eum nemo in exercitio juris sui ullo modo impedire debet (§. 655. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter nec resistere licet executioni juris repressaliarum (§. 727. *Ontol.*). Qui resistit injuriam intentat, seu te lædere conatur, ac ideo aggressori æquiparatur (§. 979. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 597.

Quoniam in eum, qui executioni juris repressaliarum resistit, omnia licent, quæ defensori licita sunt in aggressorem (§. 596.), in aggressorem vero tantundem licet, quantum læsioni arcendæ sufficit (§. 980. *part. 1. Jur. nat.*); *si quis executioni repressaliarum resistit, in eum tantundem licet, quantum sufficit, ut res ejus, vel ipsemet capi possint* (§. 589. 592.), consequenter *licita est omnis vis, sine qua id obtineri nequit, & si resistentem occidi contingat, is non jure repressaliarum, sed ex accidente jure defensionis occiditur.* *Id ulterius expenditur.*

Sua culpa occiditur is, quem occidi contingit, dum executioni repressaliarum resistit: debebat enim non resistere. Ipsi igitur imputanda mors, non executionem juris sui defendenti. Defensio enim sui cum interfectione aggressoris licita, si aliter

 vis

vis injusta tolli nequit (§. 1013. *part. 1. Jur. nat.*). Ceterum quæ porro hic doceri poterant, ex iis patent, quæ de jure sese defendendi (§. 982. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*) prolixe admodum demonstrata sunt.

§. 598.

De iis, qui repressaliis causam dant. *Qui causam dederunt repressaliis, damna iis resarcire debent, quibus eam ob causam aliquid decedit.* Naturaliter enim quivis obligatur resarcire damnum, quod dolo vel culpa sua alteri dedit (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum damnum concivibus suis det, qui repressaliis causam dedit (§. 589. 592.); qui repressaliis causam dederant, damna iis resarcire debent, quibus eam ob causam aliquid decedit.

Æquitati naturali maxime convenit, ut, qui damnum dedit dolo, vel culpa sua, id resarciat. Nulla vero ratio est, cur ea cessare debeat in causa repressaliarum. Quamvis enim respectu Gentium exterarum bona quæcunque civium habeantur pro bonis civitatis (§. 289.); non tamen in civitate, in qua dominia privatorum distincta sunt, bona unius civis habentur pro bonis civium aliorum promiscue. Et quamvis factum civis a superiore approbatum, id quod in præsenti casu fit, si is jus reddere denegat, respectu Gentium exterarum habeatur pro facto gentis (§. 316.); in civitate tamen facta unius civis non possunt imputari alteri, qui ad idem nullo modo concurrit.

§. 599.

De officio Rectoris civitatis quoad damnum per Quoniam qui causam dederunt repressaliis, damna iis resarcire debent, quibus eam ob causam aliquid decedit (§. 598.), *Rector* autem *civitatis* curare debet, ut unicuique jus suum tribuatur (§. 335. *part. 8. Jur. nat.*); idem quoque

curæ

curæ habere debet, ut qui repressaliis causam dederant, damna iis resarciant, quibus ob eam causam aliquid decedit. *repressalias datum resarciendum.*

Per se patet, in Rep. aliter fieri non posse, ut civi damnum a cive datum resarciatur, quam ut per judices eo fine constitutos (§. 539. *part. 8. Jur. nat.*) hoc fieri curet (§. 538. *part. 8. Jur. nat.*). Quamvis enim jus denegando ipse quoque dederit causam repressaliis; non tamen propterea tollitur obligatio eorum, qui causa primaria sunt repressaliarum, nec ejus officium respectu eorum, qui per repressalias damnum passi sunt nulla culpa sua, cessat. Etenim cum ferre non debuisset, ut quis subditorum civi alterius Gentis damnum daret, aut injuriam faceret (§. 317.), sed in casu priore eum potius adigere ad damnum resarciendum, in posteriore autem eundem punire (§. 318.); dum imploratus jus denegavit, malam civis sui seu subditi causam, utique non sine consensu ejus, saltem tacito, defendit. Defensione autem male cedente, non tam defensori malæ causæ, sed ei potius, qui injuriam fecit, damnum per repressalias civi innocenti datum imputandum. Alia vero ratio est, si Rector civitatis facto suo repressaliis causam dedit, vel privati jussu ejus fecerunt, quod dedit. Quid hic conveniat juri naturæ, in sequente propositione demonstratur. Præmittendum tamen est eum in finem lemma, quod proxime sequitur.

§. 600.

Factum Rectoris civitatis qua talis, quo injuria infertur exteris, populus pro suo agnoscere tenetur. Etenim cum populus imperium originarie suum (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*) in Rectorem civitatis transtulerit, ut id exerceat (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*); quicquid qua Rector civitatis facit, jure populi facit, seu populus per eum fecisse intelligitur. Quamobrem cum is Gentem suam repræsentet, quando cum Gentibus aliis *De facto Rectoris civitatis a populo agnoscendo.*

ipsi

ipsi negotium est (§. 39.); si facto quodam suo Genti cuidam, vel ejus civi, aut civibus injuriam facit, aut damnum dat, populus eidem subditus hoc fecisse intelligitur. Populus itaque factum Rectoris civitatis qua talis, quo injuria infertur exteris, pro suo agnoscere tenetur.

In genere omnino verum est, populum factum Rectoris civitatis qua talis pro suo agnoscere debere, prouti ex præsente quoque demonstratione intelligitur. Et revera idem jam patet ex eo, quod voluntas Rectoris civitatis pro voluntate totius populi habenda (§. 158. *part. 8. Jur. nat.*). Quemadmodum itaque obligatio, quæ ex foederibus venit, Gentem quoque tenet (§. 424.); ita quoque obligatio, quæ ex maleficio oritur, ad eandem pertinet. Nulla sane ratio est, cur inter facta cetera & maleficium statuenda sit diversitas.

§. 601.

De damno resarciendo per repressaliis dato, cui causam dedit factum Rectoris civitatis.

Si Rector civitatis facto suo, sive privatus jussu ipsius repressaliis causam dedit; damnum iis, quibus eam ob causam aliquid decedit, resarciendum est de publico. Etenim factum Rectoris civitatis qua talis, quo injuria infertur exteris, populus pro suo agnoscere debet (§. 600.). Quodsi ergo Rector civitatis facto suo, seu, quod perinde est, privatus jussu ipsius repressaliis causam dedit; populus universus causam iisdem dedisse intelligitur. Quamobrem cum qui causam dederunt repressaliis damna iis resarcire debent, quibus eam ob causam aliquid decedit (§. 598.); si Rector civitatis facto suo, sive privatus jussu ipsius repressaliis causam dedit, damnum iis, quibus ob causam eam aliquid decedit, resarciendum est de populo, consequenter de publico.

Obligatio, quæ ex maleficio Rectoris civitatis qua talis venit, totum populum tenet (*not.* §. 600.). Descendit autem ex

ex maleficio ejusdem obligatio resarciendi damnum per repressalias datum (§. 598.). Quamobrem ea quoque totum populum tenet. Quamvis itaque civis quilibet superiori obligetur ad obedientiam cum patientia, etiamsi male imperet (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*); non tamen inde sequitur, quod damnum civis innocens solus ferre debeat, quod Gentis suæ nomine passus (§. 586.), & quidem ob factum, quod ad universum populum pertinet (§. 600.). Neque hic quicquam admittitur singulare, quod non æque obtineat in casibus aliis. Sane si de rebus singulorum vi dominii eminentis disponitur, de publico, quantum fieri potest, ipsis satisfaciendum, nec damnum nisi pro rata ferendum (§. 119. *part. 8. Jur. nat.*). Similiter civitas incommodum obsidi, quod patitur, aut proximis sive per se, sive per Rectorem civitatis repensare tenetur (§. 536.). Nulla vero ratio est, cur ob maleficium Rectoris civitatis, quod repressaliis causam dedit, civis unus damnum pati debeat.

§. 602.

De dominio per repressalias acquisito.

Per repressalias dominium rerum captarum acquiritur iis, quorum causa factæ, nisi quod restituendum, quod abundat. Etenim per repressalias res capiuntur vel expletionis juris, vel pignorationis causa (§. 589.). Enimvero expletione juris acquiritur dominium rei loco suæ, vel sibi debitæ (§. 1119. *part. 5. Jur. nat.*) & oppignoratione facta, si pignus intra idoneum tempus non luitur, de ejus pretio satisfaciendum creditori (§. 1145. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem patet, per repressalias dominium rerum captarum acquiri iis, quorum causa factæ. *Quod erat unum.*

Restituendum vero esse, quantum res capta pluris valet, consequenter quod abundat, jam supra demonstravimus (§. 586.). *Quod erat alterum.*

Cum fraus omnis ſit illicita (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*); in jure civili determinari ſolet, quid circa modum acquirendi dominium per repreſſalias ſit obſervandum (§. 978. 982. *part. 8. Jur. nat.*), ut defraudatio omnis præcaveatur. Quoniam pignus lui nequit, niſi oppignoratio ad notitiam ejus perveniat, cujus res pignoris loco captæ, ac ſpatium ſufficiens indulgeatur, intra quod voluntatem ſuam declarare poteſt; quodnam tempus ſit idoneum intra quod pignus lui debeat, ex circumſtantiis particularibus æſtimandum.

§. 603.

An repreſſaliæ ſint bellum.

Repreſſaliæ ſunt belli quædam ſpecies, ſed quod privato malegis aſſimilatur. Etenim per repreſſalias vi capiuntur res, quæ ſunt ſubditorum alterius Gentis (§. 589.) & per androlepſiam, quæ illarum ſpecies quædam eſt, perſonæ, quæ ſunt ſubditi alterius Gentis (§. 592.), eo fine, ut jus conſequamur, quod nobis reddere Gens altera recuſat (§. 593.), conſequenter vi perſequimur jus noſtrum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult. Enimvero perſecutio violenta juris ſui adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult, bellum eſt (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*). Repreſſaliæ igitur belli quædam ſpecies ſunt. *Quod erat unum.*

Enimvero dum repreſſaliæ fiunt, non vi petitur totus populus, ſed privati potius per vim ſaltem certant. Quamobrem cum bellum hoc geratur quaſi inter privatos, licet autoritate publica repreſſaliæ fuerint conceſſæ; repreſſaliæ bello privato magis aſſimilantur. *Quod erat alterum.*

Repreſſaliæ utique ſucceſſerunt in locum belli privati, quod in ſimili caſu obtinet in caſu eodem (§. 586.). Quamobrem ſi eædem privatis conceduntur autoritate publica, bellum privatum, cujus jus naturaliter unicuique competit, privatis permiſſum intelligitur. Quamvis vero etiam contingat, ut repreſſaliis

pressaliis utatur Rector civitatis, seu Gens ipsa in causa publica, jure tamen hoc non aliter utitur, quam quatenus singulis hominibus in statu naturali competit, ut in ejus executione nihil mutetur.

§. 604.

Repressaliæ & androlepsia non dant parti adversæ justam causam belli. Etenim quia repressaliæ & androlepsia, quæ earum species quædam est (§. 592.), licitæ sunt (§. 589. 592.); qui ad repressalias vel androlepsiam devenit, jure suo utitur consequenter alteri, adversus quem remedio hoc violento utitur, injuriam minime facit (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum justa belli causa non sit, nisi injuria facta, vel facienda (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*); repressaliæ & androlepsia non dant parti adversæ justam causam belli.

An repressaliæ & androlepsia sint justa belli causa.

§. 605.

Quoniam repressaliæ & androlepsia non dant parti adversæ justam causam belli (§. 604.), bellum autem injustum est, cujus causa justa non est (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*); *si qua Gens ob repressalias ab altera factas, vel androlepsiam bellum alteri infert, bellum manifesto injustum est*, consequenter *illicitum* (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*).

Injusta esse arma, quibus repressaliæ & androlepsia vindicantur.

Ut arma sint injusta, quæ sumuntur in eum, qui jure repressaliarum, aut androlepsiæ utitur, necesse est ut eædem fiant justa de causa, quod utique hic supponitur. Alias enim illicitæ sunt, & qui iis utitur, injuriam facit parti adversæ. Quamobrem cum injuria justa belli causa sit (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*); repressaliæ & androlepsia nullo jure factæ justam quoque belli causam parti adversæ dant, &, ubi consultum videtur ad arma devenire, bellum justum est (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 606.

Quando causa repressaliarum & androlepsiæ sit justa belli causa.

Si repressaliæ & androlepsia locum habere nequeant, quæ easdem licitas faciunt, justa belli causa sunt: quamdiu autem per illas injuria reparari, aut ob irreparabilem satisfactio obtineri potest, bellum parti adversæ indicere naturaliter non licet. Etenim repressaliæ, quarum species quædam est androlepsia (§. 592.), non alio fine fiunt, quam ut jus tuum, quod pars adversa tibi tribuere non vult, consequaris (§. 586.), consequenter violatio juris tui, adeoque injuria (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), earundem causa est. Quamobrem cum injuria justa belli causa sit (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*), repressaliæ autem & androlepsia tanquam remedium minus violentum locum habere nequeant *per hypothesin*; si repressaliæ & androlepsia locum habere nequeunt, quæ easdem licitas faciunt justa omnino belli causa sunt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam mediis durioribus non utendum, quamdiu leniora defensioni sufficiunt (§. 982. *part. 1. Jur. nat.*), medium vero utique lenius sunt repressaliæ & androlepsia (§. 981. *part. 1. Jur. nat.* & §. 586. 592. *h.*), quam si bellum inferatur populo universo; quamdiu per repressalias injuria reparari, aut ob irreparabilem satisfactio obtineri potest, bellum parti adversæ indicere naturaliter illicitum. *Quod erat alterum.*

Duplici modo contingit, ut quis per repressalias & androlepsiam jus suum consequi non possit, vel quia deficit occasio capiendi res aut personas Gentis alterius, vel quia id, quod repetitur, aut quod debetur, multo pluris est, quam sunt res, ad quas capiendas idonea opportunitas haberi potest. Referri huc porro poterat, si repressaliis justis pars adversa oppo-

nat

nat repressalias: quod cum fieri non debeat (§. 596.), nova committitur injuria (§ 859. *part. 1. Jur. nat.*), justa belli causa (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*). Veniendum nimirum ad arma, cum per repressalias utrinque continuatas negotium exitum habere nequeat, cum veteres injuriæ novis continuo augerentur.

CAPUT VI.

De Jure belli Gentium.

§. 607.

Bellum publicum quid sit.

Bellum publicum dicitur, quod geritur inter Gentes, seu auctoribus iis, qui summum imperium habent. Quoniam Gentes sunt multitudo hominum in civitatem consociatorum (§. 5. *part. 8. Jur. nat.*); *in bello publico vi unita multorum Gens adoritur Gentem, cui bellum infert.*

Inde est, ut bellum publicum externa specie prorsus abeat ab eo, quod inter singulos obtinet in statu naturali & civitatibus introductis in communi sermone pugna potius, vel duellum dici solet (§. 1088. 1090. *part. 5. Jur. nat.*), vel certatio violenta. Idem vero bellum publicum in causa est, ut vocabulum hoc de statu potius, quam de actione sumatur (*not.* §. 1102. *part. 1. Jur. nat.*), cum bellum demum actione magis, quam statum denotare videatur, si unus cum altero per vim certet, vel pauci quidem certent cum paucis.

§. 608.

Bellum privatum quid sit.

Bellum privatum dicitur, quod privatus cum privato propria autoritate gerit, vel quod a privatis pluribus propria autoritate cum privatis pluribus geritur.

Bellum privatum in civitate non esse tolerandum, nisi quando copia judicis haberi nequit, alibi jam demonstravimus (§. 560. 562. *part. 8. Jur. nat.*). Quamvis vero bellum publicum externa specie plurimum differat a privato (*not.* §. 607.); jura tamen in se spectata utrobique eadem sunt & de bello publico statuendum ex privato, quemadmodum ex sequentibus elucescet. Quamobrem in Jure naturæ & Gentium bellum quoque ita definiendum, ut publico & privato ex æquo competat definitio, & ex hac deduci debet jus belli & in bello. Quemadmodum enim jus Gentium necessarium seu naturale non consistit nisi in applicatione juris naturalis singulorum ad Gentes (§. 4.); ita quoque jus belli publici & in bello publico non consistit nisi in applicatione juris belli privati & in privato bello, quod naturaliter homini cuicunque competit, ad Gentes. Ac ea quoque de causa de jure belli & in bello egimus in Jure naturæ, ubi jura hominibus singulis natura competentia demonstravimus, ut certa haberemus principia, ex quibus jus belli publici & in bello publico demonstrari posset. Nisi enim hoc observetur, non modo verendum, ne erronea admittantur pro veris, verum etiam jus belli publici & in publico bello intime perspici, nec quid verum sit absque omni hæsitatione agnosci potest.

§. 609.

Bellum mixtum quid sit. *Bellum mixtum* est, quod una ex parte est publicum, ex altera privatum.

Exemplum belli mixti est, si Rector civitatis bellum gerit cum subditis rebellibus. Ex parte enim Rectoris civitatis bellum publicum est (§. 607.); ex parte subditorum rebellium privatum (§. 608.). Ex bello mixto apparet, bellum non minus privatum, quam publicum externa specie prorsus abire posse ab eo, quod singuli cum singulis gerunt in statu naturali. Atque hinc magis intelligitur, cur in definiendo bello nulla habenda

habenda sit ratio speciei externæ, quam bellum publicum invexit.

§. 610.

Milites dicuntur personæ, per quas autor belli vim infert parti alteri, cum quo bellum gerit. *Milites quid sint.*

Sunt milites causa belli instrumentalis, sicuti autor belli causa principalis. Notio nimirum causæ efficientis principalis & instrumentalis, quam alibi explicavimus (§. 890. *Ontol.*), ita attemperanda, quemadmodum exigit differentia inter causam physicam & moralem. Nimirum causa moralis vi destituta intelligitur, si desit jus agendi proprium: quando vero agit jure alterius, vi aliunde accepta agere concipitur, & tunc se habet per modum instrumenti (§. 891. *Ontol.*). Hinc *Grotius* milites instrumenta belli vocat & in genere ad instrumenta refert homines, qui ita agunt voluntate sua, ut ea voluntas ab altera pendeat, de J. B. & P. lib. 1. c. 5. §. 3. ibidemque subditos instrumentum imperantis appellat.

§. 611.

Arma dicuntur res omnes, quibus ad vim alteri inferendam aut eandem a se avertendam, vel adversus eam nos tuendum utimur. *Armorum nomine quid veniat.*

Gajus l. 24. de V. S. armorum, inquit, appellatio non utique scuta & gladios, & galeas significat; sed fustes & lapides. Hodie igitur, postquam pulvere pyrio invento modus bellandi aliam prorsus formam induit, armorum nomine non modo gladii & sclopeta, verum etiam tormenta bellica, globi plumbei, ferrei, lapidei, bombæ, ipse pulvis pyrius, scalæ moeniis admovendæ, omniaque instrumenta, quorum in obsidione urbium indispensabilis usus est, recte comprehenduntur. Minime autem hac appellatione continentur ea, quæ ad necessarium

rium vitæ conservandæ usum requiruntur, veluti annona, vestes militum, tentoria & quæ sunt his gemina. Vocabuli autem significatus magis determinandus ex mente artis peritorum, quam ut attendatur inconstantia loquendi, quæ apud imperitos potissimum regnat.

§. 612.

De præfectis militum & ducibus.

Præfecti militum dicuntur personæ, quibus a potestate summa certum imperium in milites tributum & certæ functiones bellicæ demandatæ sunt. *Duces* excellenter dicuntur illi, quibus imperium in integrum exercitum tributum & summa belli commissa est. *Sunt* igitur *præfecti militum potestates minores* (§. 368.), *quorum alii aliis subjecti & a potestate summa longius remoti, alii vero eidem propiores pro diversitate juris, quo pollent: duces autem excellenter dicti summis potestatibus proximi.*

Nostrum non est explicare eorum differentiam omnem & singulorum describere functiones. Jura enim cum tantummodo demonstremus, generalia sufficiunt. Pendent autem jura a voluntate potestatis summæ, quæ iis in bello utitur tanquam causis instrumentalibus.

§. 613.

An Gentibus competat jus belli.

Gentibus jus belli competit. Etenim natura homini unicuique competit jus belli in eum, qui jus perfectum suum ipsi tribuere non vult (§. 1104. *part. 1. Jur. nat.*), competit etiam jus se defendendi (§. 973. *part. 8. Jur. nat.*) & jus eum puniendi, qui ipsum lædit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), quod utrumque jus belli est (§. 1114. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes inter se spectentur tanquam personæ singulares liberæ in statu naturali viventes, nec cædem alio jure

jure inter ſe utantur niſi naturali, ſeu natura unicuique homini competente (§. 2. 3.); Gentibus jus belli competit.

Quando homines in civitatem coëunt, cum inter ſe conveniant, ut conjunctim curent, ut quisque jure ſuo quiete fruatur & tuto ab alio id conſequatur, & ut conjunctim ſe ſuaque adverſus vim quamlibet externam defendant (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*); jura ſua non amittunt, nec iisdem renunciant, ſed conjunctim eadem exercere conſtituunt, conſequenter jura ſingulis natura propria in jus commune coaleſcunt. Cumque civitates legi naturæ convenienter fuerint conſtitutæ (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*); gemina jura, qualia ſingulis natura competunt quoad res ac perſonas ſuas reſpectu perſonarum aliarum, Genti quoque qua Genti competunt quoad eas res, quæ Gentis ſunt, & quoad Gentem univerſam reſpectu Gentium exterarum. Ac ideo non minus Gentibus jus quoque belli competit in omni caſu, in quo ſingulis natura jus belli eſt. Atque inde eſt, quod de bello publico ſtatuendum ſit ex bello privato. Convenit quoque jus belli maxime fini civitatis, cujus quædam pars eſt ſecuritas (§. 13. *part. 8. Jur. nat.*), vacuitas nimirum a metu vis inprimis externæ (§. 12. *part. 8. Jur. nat.*). Ex fine autem æſtimandum eſt, cum civitates legi naturæ convenienter ſint conſtitutæ (§. 26. *part. 8. Jur. nat.*), etiam jus Gentis in Gentem (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc probe notanda ſunt, cum non modo faciant ad jus belli Gentium, ſed jura etiam cetera Genti in Gentem competentia intimius inſpiciendum, ut earum veritas in clariſſimam lucem proferatur.

§. 614.

Quoniam Gentibus jus belli competit (§. 613.), idque ad jura majeſtatica pertinet (§. 943. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter ſub imperio civili continetur (§. 810. *part. 8. Jur. nat.*), imperium autem civile in Rectorem civitatis trans- latum,

Quatenus jus belli competat Rectoribus civitatis.

latum, ut id exerceat (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*); *Rectori* quoque *civitatis jus belli competit.* Enimvero cum a populi voluntate dependeat, utrum imperium indivisum transferre, an partem quandam divisam vel sibi retinere, vel certa lege in alium vel alios transferre velit (§. 64. *part. 8. Jur. nat.*), & jus Rectoris civitatis metiendum sit ex voluntate, quæ populo fuit, cum transferret (§. 43. *part. 8. Jur. nat.*); *quatenus Rectori civitatis jus belli competat & quomodo idem exercere debeat, ex voluntate populi imperium transferentis*, consequenter *ex legibus, si quæ de jure belli dantur, fundamentalibus dijudicandum.*

In monarchia (§. 133. *part. 8. Jur. nat.*) & in aristocratia jus belli unice subest arbitrio Rectorum civitatis (§. 135. *part. 8. Jur. nat.*): ast in Rebuspublicis mixtis idem vel pendere potest ab arbitrio Rectoris civitatis, vel a voluntate populi, aut optimatum, vel Rector civitatis ad bellum inchoandum & finiendum requirere saltem tenetur sive populi, sive optimatum consensum. In democratia vero seu statu populari cum imperium sit penes totum populum (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*); jus quoque belli penes eundem est.

§. 615.

Belli defensivi & offensivi differentia.

Bellum defensivum dicitur, quo quis se defendit adversus eum, qui ipsi bellum infert. *Bellum* autem *offensivum* vocatur, quod infertur alteri, qui de bello inferendo non cogitabat, seu si quis armis alterum adoritur.

Bellum defensivum & offensivum non minus obtinet inter privatos, quam inter Gentes, ut ideo hæc divisio bello publico & privato communis sit (§. 607. 608.). Ita bellum defensivum est, si quis se contra aggressorem, vel res suas contra prædonem, vel possessionem contra invasorem defendit: ast offensivum est bellum, si quis vi alterum compellere conatur

natur vel ad restituendum, quod suum est, vel præstandum, quod sibi debetur, aut adigere ad transactionem in re controversa.

§. 616.

Bellum punitivum dicitur, quo poena sumitur ab altero. *Est* igitur *bellum punitivum species belli offensivi* (§. 615.). *Bellum punitivum quid sit.*

Ita bellum punitivum infert, qui violationem legatorum armis vindicat. Ad bellum punitivum quoque referendum, quod ob idololatriam Genti cuidam infertur: neque enim hoc bello repetitur quod nostrum est, aut petitur quod nobis debetur, id tantum id agitur, ut ab idololatria Gens desistat, aut ut funditus extirpetur, si desistere nolit.

§. 617.

Justa inter Gentes belli causa non est nisi injuria facta, vel facienda. Etenim naturali jure causa belli justa alia non est nisi injuria facta, vel facienda (§. 1109. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum inter Gentes non obtineat jus aliud originarie, quam naturale (§. 3.); nec inter eas justa belli causa alia esse potest, quam injuria facta, vel facienda. *Quænam sit justa belli causa inter Gentes.*

Ostendi etiam poterat hoc modo. Bellum, quod inter Gentes geritur, publicum est (§. 607.). Ast bellum omne justam causam minime habet nisi injuriam factam, vel faciendam (§. 1109. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem etiam belli publici justa causa esse nequit, nisi injuria facta, vel facienda, consequenter nec belli inter Gentes justa causa alia esse potest, quam injuria vel facta, vel facienda.

Hinc patet, undenam statuendum sit de justitia belli. Nimirum si quis alteri bellum infert, inquirendum est in injuriam, quam hic illi fecit: quodsi enim injuria fuerit nulla, bellum

justum non est, si vero adsit injuria, justum quoque erit bellum. Unde porro liquet, de justitia belli inter Gentes statui minime posse, nisi constet, quaenam sint jura Gentium perfecta & quomodo ea violari possint (§. 859 *part. 1. Jur. nat.*). De justitia igitur belli exactum judicium in dato quolibet casu ferre nequit, nisi qui Juris Gentium & Juris publici universalis, ac per consequens Juris omnis naturalis apprime fuerit gnarus, atque notitiam factorum, ad quae jus applicandum, notitia sufficiente instructus. Factorum cognitio ex historia petenda sive scripta, sive non scripta. Per historiam nimirum non scriptam intelligimus narrationem factorum ab iis factam, qui eorundem notitiam habent. De factis quamdiu nondum certo constat, judicium de justitia belli cespitabit, etiamsi perfecta fuerit & exasciata juris theoria. Sicuti ex adverso judicium fallit, si theoria juris fuerit erronea, si vel maxime in factorum certitudine nihil prorsus desideretur. Absit autem ut tibi persuadeas, quasi Rectoribus civitatis, quia altiori loco positi supra ceteros homines, sive privatos eminent, plus liceat, quam privatis: neque enim privatos antecellunt, nisi quatenus integram Gentem repraesentant (§. 39.), ac per consequens jus Gentis habent. Jus vero Gentis non est, nisi jus privatorum conjunctim sumtum, quando sermo est de jure natura competente. Genti nimirum non competit tale jus, nisi quia singulis, qui de Gente sunt, natura ipsis tale jus tribuit. Civitatibus ergo introductis non alia sunt jura Rectorum civitatis, vel plenissimo jure talium, quam singulorum in statu naturali viventium. Ab his omne jus, etiam jus belli in eos derivatur.

§. 618.

Quando bellum sine justitia inferatur.

Quoniam justa belli causa non est nisi injuria facta, vel facienda (§. 617.); *bellum, quod infertur, nulla praecedente, aut imminente injuria, justum non est*, consequenter *injustum, nec*

jus

jus belli habet nisi is, cui vel injuria facta est, vel offertur, aut intentatur.

Hinc facile discernitur jus belli a bellandi licentia, cum qua illud facile confunditur, qui simpliciter sumunt Gentibus competere jus belli, ac inde inferunt, a voluntate ipsarum pendere, num & quando eodem uti velint: neque enim jus belli competit, nisi adsit justa belli causa, quæ vel injuria facta, vel facienda est (§. 617.).

§. 619.

Similiter quia justa belli causa non nisi injuria facta, vel facienda (§. 617.); *bellum omne tendere debet vel ad injuriam reparandam, si reparari possit, vel ut de injuria facta læso satisfiat, si ea reparari nequeat, vel ut facienda avertatur.* *Quo tendere debeat bellum omne.*

Triplex itaque belli finis est, scilicet 1. ut quod nostrum est, vel quod nobis debetur, consequamur, 2. ut lædentem puniendo securitati futuræ consulamus, 3. ut vi injustæ resistendo nos defendentes injuriam a nobis avertamus. Fines duo priores intenduntur in bello offensivo; tertius in defensivo (§. 615.) & alter illorum in bello punitivo (§. 616.).

§. 620.

Bellum vindicativum dici potest, quo id quod nostrum est, vel nobis debetur, consequi studemus. *Bellum vindicativum quodnam dicatur.*

Cum nonnisi tres dentur belli justi causæ, nimirum injuria facta 1. reparabilis, & 2. irreparabilis, atque 3. injuria facienda, quæ triplicem finem pariunt, qui in bello licite intenditur, scilicet 1. consecutionem sui vel ejus, quod suum fieri debet, 2. securitatis firmamentum, 3. periculi imminentis aversionem, seu injuriæ propulsationem; tres omnino sunt belli justi species, quæ per fines diversos distinguuntur. Quamobrem cum

 bellum

bellum defensivum fit, quo finis tertius intenditur (§. 615.), punitivum, quo secundus (§. 616.); restat ut bello quoque imponatur nomen, quo primus intenditur, & hoc bellum vindicativum appellare libuit ad imitationem vindicationis rei suæ (§. 543. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 621.

De differentia rationum justificarum & suasoriarum.

Rationes belli justificæ dicuntur, quæ desumuntur a jure ad bellum in dato casu competente, seu quibus evincitur, jus ad bellum in dato casu nobis competere: *Rationes* vero *suasoriæ* sunt, quæ desumuntur ab utilitate, seu quibus evincitur, e re nostra esse; ut bellum suscipiatur.

In deliberatione de bello duplex inspectio est, scilicet 1. num adsit justa belli causa, sine qua bellum nullo jure geritur (§. 618.), & tanquam injustum (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*) illicitum est (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*), 2. si jus ad bellum adsit, num e re civitatis sit bellum suscipere atque jure suo uti. Rationes igitur attendendæ sunt tam justificæ, quam suasoriæ, antequam bellum decernatur. Illæ sunt juris naturæ & Gentium; hæ ad prudentiam civilem, sive Politicam spectant, & illæ faciunt ut juste agas, hæ vero, ut prudenter. Qui rationes & causas non distinguunt causas justificas & suasorias vocant, quas nos rationes diximus.

§. 622.

De bello ob rationes suasorias solas suscepto.

Si ei qui bellum suscipit, rationes aliæ non sint, quam suasoriæ, bellum injustum est. Etenim si rationes belli suscipiendi nullæ sunt, quam suasoriæ, cum eædem ab utilitate desumantur (§. 621.), sola utilitas belli causa est, consequenter nec injuria ulla facta, nec facienda. Enimvero bellum, quod infertur absque prævia injuria justum non est (§. 618.), consequenter

ſequenter injuſtum. Quamobrem ſi ei, qui bellum ſuſcipit, rationes non ſint aliæ, quam ſuaſoriæ, bellum injuſtum eſt.

Hoc adeo evidens eſt, ut rationes juſtificas prætexere ſoleant, qui nonniſi ſuaſoriis ad bellum ſuſcipiendum impelluntur. Nemo enim videri vult injuſtus, quamvis ſit, niſi omnem pudorem exuerit, aut vana gloria occoecatam poſſideat mentem, quæ pudori locum non relinquit. Si rationes juſtificæ adſint, ſuaſoriæ hunc habere debent uſum, ut conſtet, utrum conſultius ſit jure tuo uti, quam non uti, ne bellum ſuſcipias, cujus poſtea poeniteat, eventu votis non reſpondente. Quamvis enim eventus vix unquam certus eſſe poſſit, eum tamen habere debet probabilitatis gradum, ut cum excuſatione errare poſſis. Sed de his agendum in philoſophia morali & civili.

§. 623.

De bello, propter rationes ſuaſorias, etiamſi non deſint juſtificæ.

Si rationes equidem juſtificæ non deſunt, bellum tamen magis ſuſcipitur propter ſuaſorias, quam juſtificas; id quidem injuſtum in ſe quod geritur non eſt, qui tamen bellum gerit peccat. Quoniam enim rationes juſtificæ deſumuntur a jure ad bellum in dato caſu nobis competente (§. 621.); ſi rationes juſtificæ non deſunt, belli cauſam juſtam habemus, conſequenter id in ſe non injuſtum eſt (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.). Quod erat unum.*

Enimvero ſi qui bellum gerit, id magis ſuſcipit propter rationes ſuaſorias, quam juſtificas; bellum ſuſcipere religioni ſibi minime duceret, etiamſi aliæ, quam ſuaſoriæ non adeſſent, conſequenter habet animum ſuſcipiendi bellum propter ſolas rationes ſuaſorias. Quoniam itaque bellum injuſtum eſt, quod propter rationes ſuaſorias ſolas ſuſcipitur (§. 622.); ſi rationes juſtificæ equidem non deſunt, bellum tamen magis ſuſcipitur propter ſuaſorias, quam juſtificas, qui hoc facit habet animum bellum injuſtum gerendi: quod cum

cum ſit contra jus naturæ (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.)*, utique peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.). Quod erat alterum.*

Bellum non modo jure, ſed pura etiam mente gerendum: id quod maxime convenit actionum rectitudini, ad quam nos obligat lex naturæ (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Si quis propter rationes ſuaſorias bellum ſuſcipit, etiamſi non deſint juſtificæ; juſtificis non utitur niſi tanquam prætextu, quia non vult videri injuſtus, etiamſi religioni ſibi minime ducat eſſe injuſtum. Quamobrem ſi animum ſpectes, nulla inter ipſum & eum, qui ſub prætextu cauſæ juſtæ belli propter rationes ſaltem ſuaſorias bellum gerit. Atque hinc facile prævidere datur, qua religione bellum ſit geſturus, nimirum quicquid facturus, non aliunde, quam ex utilitate ſua determinaturus. Vitium, quo bellum inchoatur, durat etiam in effectu. Quid enim juſti ſperandum ab eo, qui cum juſtitiam ſaltem ſimulet revera eandem contemnit?

§. 624.

Rationes quaſi juſtificæ quænam ſint.

Rationes quaſi juſtificæ dicuntur, quæ ſi rite expendantur a jure alienæ deprehenduntur.

Nimirum quod pro juſta cauſa belli venditatur, minime juſta eſt, ſed potius injuſta. Quamobrem cum conſtet, quænam ſit juſta belli cauſa inter Gentes (§. 617.); haud difficulter patet, quomodo rationes quaſi juſtificæ ſint expendendæ, ne ſpecies imponat incautis.

§. 625.

Quis ſit uſus rationum quaſi juſtificarum &

Quoniam rationes quaſi juſtificæ a jure ad bellum procul remotæ ſunt (§. 624.), qui tales allegat, rationes juſtificas revera nullas habet, & per conſequens *rationes quaſi juſtificæ tantummodo prætextus ſunt*, cumque ideo bellum tantummo-

tummodo ſuſcipiatur ob rationes ſuaſorias, *bellum, quod ob rationes quaſi juſtificas infertur, injuſtum eſt*, immo *etſi quaſi juſtificæ per errorem habeantur pro juſtificis*, cum tamen juſta belli cauſa deſit, *bellum adhuc injuſtum erit.*

qua bellum ob eas ſuſceptum.

Equidem haud raro cauſæ quaſi juſtificæ a bellantibus afferuntur, non tamen alio fine id fieri ſolet, quam ut jure arma ſumere videantur, cum jus parum curent. Quamobrem *Plutarchus:* pleroſque Reges, ait, duobus nominibus pacis & & belli tanquam nummis uti, non ad id, quod juſtum eſt, ſed ad id, quod expedit. Qui rationibus quaſi juſtificis utuntur, juſtificas revera plane non curant, ſed ſuaſorias, quibus unice ad bellum ſuſcipiendum impelluntur, quaſi juſtificis ſaltem occultare ſolent. Id in ſumma fortuna æquius exiſtiſtimant, quod validius, cum *Spinoſa* ſentientes, jus naturæ non eſſe aliud quam potentiam naturæ, ita ut tantundem liceat, quantum quis poteſt.

§. 626.

Qui nec rationibus juſtificis, nec ſuaſoriis moti in bella feruntur; eorum bellum non modo injuſtum eſt, verum etiam humanum modum excedit. Cum enim rationes juſtificæ deſumantur ex jure ad bellum (§. 621.); iis deficientibus, nulla adeſt juſta belli cauſa, quæ bellum faciat licitum (§. 1110. 1111. *part. 1. Jur. nat.*), ut jure geri poſſet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuſtum ſit bellum, cujus nulla cauſa juſta eſt (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*). Qui nullis rationibus juſtificis motus in bellum feruntur, eorum bellum injuſtum eſt. *Quod erat unum.*

De iis qui nec juſtificis, nec ſuaſoriis rationibus ad bella moventur.

Enimvero ſi nec rationes ſuaſoriæ adſint, nec bellum infertur, quod utile videatur arma ſumi (§. 621.). Quoniam tamen id, quod appetimus, nobis repræſentare

 debemus

debemus tanquam bonum (§. 892. 893. *Psych. Empir.*); qui nec justificis, nec suasoriis rationibus moti in bellum feruntur, bellum in se spectatum sibi tanquam bonum repræsentare debent, consequenter notione boni erronea imbuti ex eo voluptatem percipere (§. 561. *Psych. empir.*), ac per consequens cædes hominum atque laniationes & vastationes rerum, quæ sunt hominum innocentium, eosdem delectant. Quoniam igitur nihil magis adversatur amori universali hominum erga homines (§. 633. *Psych. empir.*), quam lex naturæ urget (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), quam istiusmodi delectatio, cumque charitas omnia officia hominis erga alios complectatur (§. 654. *part. 1. Jur. nat.*), cujus fons amor est (§. 617. 620. *part. 1. Jur. nat.*), ea nulli officio erga humanum genus locum relinquit; bellum utique eorum, qui nec rationibus justificis, nec suasoriis moti, consequenter belli per se avidi in bella feruntur, humanum modum excedit. *Quod erat alterum.*

Nocere alteri commodi sui causa naturæ hominis repugnat. Nocere igitur multis innocentibus absque ulla commodi sui causa, quod nocumentum per se delectat, tantæ omnino immanitatis est, quæ humanitatem omnem repellit. Hominem prorsus exuit, qui animi causa malus est, nec in latrone major concipi potest malitia, quam si ex sævitia in innocentes, a quo nihil lucri sperare potest, voluptatem percipit.

§. 627.

De jure belli in eos, qui nullis rationibus justificis & suasoriis in bella feruntur.

Quoniam eorum bellum, qui nec rationibus justificis, nec suasoriis moti in bella feruntur, humanum modum excedit (§. 626.), consequenter istiusmodi belligeratores, quos bellum per se delectat, Gentes quascunque lædere animi saltem gratia nulli dubitant, obligationem naturalem, qua

qua aliis Gentibus tenentur (§. 173.), plane contemnentes, universis autem Gentibus jus cogendi singulas competit, si obligationi suæ satisfacere nolint (§. 13.); *Qui nec rationibus justificis, nec suasoriis in bella feruntur, bellorum per se avidi, in eos Gentibus omnibus promiscue jus belli competit* (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 1103. *part. 1. Jur. nat.*).

Gentes omnes in civitatem maximam coëgit ipsa natura (§. 8. 9.), non alio fine, quam quo civitates particulares constitutæ (§. 8.). Quamobrem civitatis quoque hujus maximæ finis quidam est securitas Gentium universarum. Qui bellorum per se avidi sunt, securitatem hanc tollunt (§. 12. *part. 8. Jur. nat.*), quam tueri cum Gentium omnium intersit, atque omnibus liceat (§. 273.), justa quoque sunt arma, quæ in istiusmodi monstrum humani generis sumuntur a Gentibus quibuscunque. Cum bellum proprie loquendo non geratur nisi ab iis, qui jus suum vi persequuntur adversus alterum (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*); qui bellum per se appetunt, illi bellum gerere dicendi non sunt, sed latrocinia exercent, latronibus comparandi, quorum malitia ad summum gradum pertingit. Quamobrem universis quoque Gentibus competit jus puniendi & hoc jure e medio tollendi fera ista generis humani monstra, consequenter iis jus est ad bellum punitivum (§. 616.). Nihil a nobis dicitur, quod non antiquissimis temporibus agnitum atque dictum fuerit ab aliis. Sed repetere nolumus, quæ apud *Grotium* l. 3. c. 22. §. 2. & *seqq.* & commentatores ejus legi possunt. Et sane nihil tam duriter dictum in illos videri potest, quod non ex vero dicatur, qui totius generis humani hostes manifesto se produnt.

§. 628.

Rationes suasoriæ belli æquæ sunt, quæ a fine civitatis desumuntur, seu communi civium bono, si justificis accedunt: iniquæ autem, quæ aliunde petuntur. Etenim Gentes se statumque suum per- *De rationibus suasoriis æquis & iniquis.*

 ficere

ficere debent (§. 35.), consequenter operam dare, ut finem civitatis consequantur (§. 29.). Quoniam tamen finis liciti consequendi causa non utendum est mediis illicitis (§. 154. *part. 7. Jur. nat.*), quando autem rationes justificæ adsunt, bellum licitum est (§. 621.), consequenter bellum sit medium licitum consequendi id, quod rationes suasoriæ insinuant, si rationes suasoriæ, quæ justificis accedunt, a fine civitatis, seu communi civium bonum (§. 9. 13. *part. 8. Jur. nat.*), desumuntur; æquæ sunt (§. 240. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quodsi vero rationes suasoriæ nullum respectum habent ad finem civitatis, ex quo metiendum est omne jus Gentis & per consequens Rectoris civitatis (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*), veluti ab ostentatione virium, divitiis acquirendis, imperii limitibus propagandis, vindicta & quæ sunt plura hujusmodi, quæ officiis lege naturali præscriptis parum conveniunt; quin eædem vitiosæ sint dubitandum non est (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Supponitur hic, bellum suscipi propter rationes justificas & suasorias conjunctim, ita ut propter neutras solas susciperetur. Rationes suasoriæ insinuare debent, num e re civitatis sit bellum suscipere (§. 621.), ac ideo ad rationem status referendæ, minime autem attendendæ sunt, quas affectus exorbitantes suggerunt. Hisce enim si moveatur voluntas, actus in se justus labe quadam contaminatur, minime autem belli justitia corrigit vitium, quod in se vitiosis inhæret. Monuimus jam superius (*not.* §. 623.), bellum ut geratur non sine justitia minime sufficere, sed gerendum quoque esse mente pura. Quamobrem cavendum etiam est, ne in expendendis rationibus suasoriis quicquam admittatur vitiosi. Prudentiæ est ad rationes suasorias animum attendere (§. 257 *part. 1. Jur. nat.*, ab

ab ea autem alienum esse debet, quicquid vitiosum est. Nemo reprehendat nimiam scrupulositatem, quæ parum conveniat Rectoribus civitatis: observavimus enim jam ante (*not.* §. 623.), sine ista mentis puritate non posse concipi rectitudinem actionum, ad quam Rectores civitatis perinde obligantur ac homines privati.

§. 629.

Quando bellum defensivum sit justum, quando injustum.

Bellum defensivum justum est, quo quis se defendit adversus eum, qui bellum injustum infert: injustum vero est defensivum si offensivum fuerit justum. Qui enim bellum injustum infert, ei justa belli causa nulla est (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter cum per bellum vis inferatur alteri (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*), vi injusta alterum adoritur & res ipsius impetit, consequenter lædere (§. 669. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo ipsi injuriam facere conatur (§. 919. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum injuria facienda sit justa belli causa (§. 617.), & bellum defensivum sit, quo quis se defendit adversus eum, qui ipsi bellum infert (§. 615.); bellum defensivum justum est, quo quis se defendit adversus eum, qui bellum injustum infert. *Quod erat unum.*

Enimvero qui bellum justum infert, is alterum adigere vult, ut vel injuriam factam sibi reparet, quod suum est, aut quod sibi debetur redditurus, aut de injuria irreparabili satisfaciat (§. 619.), consequenter ut jus suum sibi tribuat (§. 921. *part. 1. Jur. nat.*), vel ut poenam det. Quamobrem cum is, cui bellum infertur, alteri jus suum tribuere debeat (§. 264.) & ad poenam patiendam obligetur (§. 1071. *part. 1. Jur. nat.*), nulla ipsi fit injuria (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque bellum justum non est, cujus causa injuria non est (§. 617.); bellum quoque defensi-

fensivum justum non est, si bellum offensivum fuerit justum. *Quod erat alterum.*

Defensio revera non est, si quis sese opponit vi justæ, cum qui vim justam infert alterum minime lædat (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui bello justo sese opponit, ejus bellum revera defensivum non est. Cujus arma justa sunt, is jure suo utitur, nec alteri injuriam facit (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*); ast qui in eum vicissim movet arma, is hoc facit contra jus alterius, ac per consequens eidem injuriam facit, ut bellum, quod initio erat offensivum, revera abeat in defensivum (§. 615.). Nemo defensionem dicet, si quis se opponit executioni sententiæ judicis, cujus vis justa est, nec qui vim adhibet ad avertendam poenam. Non magis igitur defensio dici potest, quando quis resistit bellum justum inferenti. Quoniam tamen in notione belli plerumque non spectatur moralitas, nec de ea semper in vulgus constat; ideo bellum defensivum dicitur promiscue, quo quis resistit bellum sibi inferenti, sive is hoc jure faciat, sive injuria (§. 615.), & propterea quoque se defendere dicitur, qui bellum justum inferenti resistit. Nimirum qui injuriam alteri fecit, eam reparare aut de irreparabili satisfacere debet, ut is vi jus suum persequi non habeat opus. Ubi vero bello causam dedit, antequam aperto Marte congrediatur, æquas offerre debet conditiones, ut pax conservetur. Nihil a nobis dici, quod sit a veritate alienum, nemo in dubium vocabit, cui Jus naturæ fuerit perspectum, consequenter nec negare poterit, ad ea obligari Gentes & qui earum jus habent Rectores civitatis: alia vero quæstio est, num hoc ipsis persuaseris, & ex animo eorum eradicaveris præjudicia, quibus occoecati de jure suo aliter statuunt, quam debebant. Certum tamen est, genus humanum tum demum fore felix, si Rectores civitatis ea, ad quæ obligantur, intimius perspicerent, ac obligationi suæ ex asse satisfacerent, nec de jure suo per errorem statuerent.

§. 630.

§. 630.

Bellum offensivum licitum est, si jus tuum fuerit certum, nec aliter nisi vi armorum id consequi possis, aut si de injuria irreparabili manifesta alter satisfacere nolit, nec satisfactionem aliter, quam vi armorum obtinere possis. Etenim Genti unicuique competit jus adversus alteram jus suum vi persequendi, si id tribuere non vult (§. 271.), & jus puniendi alteram, quæ ipsam læsit (§. 272.). Quoniam tamen a bello abstinendum, si alio modo alterum permovere possis, ut jus tuum tibi tribuat (§. 1117. *part. 1. Jur. nat.*), & justa belli causa demum adest, si repressaliæ & androlepsia locum non habeant (§. 606.); aut si de poena præstanda conveniri aut ea alio modo capi non possit (§. 582.); jure isto non ante uti licet, quam si non aliter, quam vi armorum consequi possis, ut tibi jus tuum tribuatur, vel de injuria irreparabili satisfiat. Quoniam vero bellum offensivum est, quod infertur alteri de eo non cogitanti, seu quo quis vi armorum adoritur alterum (§. 615.); bellum offensivum licitum est, si jus tuum fuerit certum, nec aliter nisi vi armorum id consequi possis, aut si de injuria irreparabili manifesta alter satisfacere nolit, nec tu satisfactionem aliter quam vi armorum obtinere possis.

Quando bellum offensivum licitum in causa manifesta.

Duo sunt, quæ ad justitiam belli offensivi requiruntur, nimirum ut tibi jus sit ad quidpiam, quod ab altero præstari debet, & ut id aliter quam vi armorum obtinere non possis. Primum parit jus belli, alterum vero licitum efficit, ut jure summo utaris. Sane qui nondum tentatis mediis lenioribus in arma ruunt, rationibus suasoriis ad bellum suscipiendum magis impelluntur, quam ut jus suum consequi studeant, & rationes justificas sakem prætexunt: in eo autem peccari, supra jam demonstravimus (§. 623.). Qui rationibus suasoriis ad bellum suscipiendum impelluntur, avidi arripiunt occasionem,

qua

qua jure suo alteri bellum inferre possunt, quamvis si rigorose dicendum, quod verum est, jus demum bellandi competat, ubi aliter consequi id non potes, ad quod jus belli dat lex naturæ. Cum bello nihil sit magis infestum generi humano; non existimandum est, in elargiendo jure belli naturam esse prodigam. Violento huic remedio locum non facit nisi extrema necessitas. Qui aliter sentiunt, jus in licentiam vertunt, quasi de usu mediorum coactivorum pro lubitu suo statuere liceat, nec lex naturæ etiam eundem regat, sicuti ceteras actiones hominum omnes. Jus belli ob injuriam factam tribuit lex naturæ, sed ita, ut eodem non utaris, nisi ubi aliter ea reparari, aut de irreparabili aliter satisfieri nequit. Atque ita demum sibimetipsi constat, ne, dum officia & singulis hominibus & universis Gentibus præscribit, ea permittat, quæ cum istis consistere minime possunt. In Jure naturæ una datur consonantia, nec eidem conveniunt, quæ sibi mutuo contrariantur. Lex naturæ intendit felicitatem uti singulorum hominum (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita etiam Gentium (§. 4. 5. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem permittere nequit, quod felicitati humani generis maxime adversatur, ac ideo tum demum permittit bellum, ubi sua culpa homines sese infelices reddunt. Arctissimos itaque belli constituit limites.

§. 631.

Quando in causa dubia. *Bellum offensivum licitum est, si in causa dubia Gens altera aliter quam vi armorum ad transactionem permoveri nequit.* Etenim si in causa dubia Gens una acceptare nolit colloquium amicabilis compositionis, vel transactionis causa, nec compromissum in arbitros, consequenter etiam si æquas conditiones sibi oblatas acceptare recuset; jus belli in acceptare nolentem eidem competit, quo ea ad transactionem vi armorum adigatur (§. 572.). Bellum igitur, cum tunc jure inferatur, sit autem offensivum (§. 615.); bellum offensivum

vum licitum eſt, ſi in cauſa dubia Gens altera aliter quam vi armorum ad transactionem permoveri nequit.

Relegenda hic ſunt, tum quæ ſuperius (§. 572. *& ſeqq.*) demonſtravimus, tum quæ ibidem annotavimus: inprimis autem ea probe perpendenda ſunt, quæ de jure Gentium voluntario dicta ſunt (§. 574.), quatenus inter Gentes permittendum, ut a rigore Juris naturæ tantiſper recedatur, ne contradictionem fingant qui de re nondum ſatis inſpecta judicium deproperare ſolent, ubi nulla adeſt. Equidem fieri poteſt ac forte plerumque contingit, ut neutra pars de cauſa dubia transigere velit; non tamen propterea recte facit is, penes quem jus eſt, cum ſaltem deſit ea mentis puritas, qua etiam bellum geri debet (*not.* §. 623.).

§. 632.

An vi armorum decidere liceat cauſam controverſam.

Cauſam controverſam vi armorum decidere velle naturaliter non licet, ſeu bellum naturaliter illicitum eſt, quod juris controverſi decidendi cauſa ſuſcipitur. Etenim cum Gentes ſpectandæ ſint tanquam perſonæ ſingulares (§. 2.); ſi vero duo inter ſe conveniunt, ut per victoriam res controverſa decidatur, duellum ſit (§. 1090. *part. 5. Jur. nat.*); ſi Gentes cauſam controverſam vi armorum decidere volunt, ſeu juris controverſi decidendi cauſa bellum ſuſpiciunt, bellum duello æquiparatur. Quoniam itaque duellum naturaliter illicitum (§. 1091. *part. 5. Jur. nat.*); bellum quoque naturaliter illicitum eſt, quod juris controverſi decidendi cauſa ſuſcipitur, adeoque cauſam contraverſam vi armorum decidere velle naturaliter illicitum.

Ex jure belli privati ſtatuendum eſſe de jure belli publici, jam ſupra inculcavimus (*not.* §. 608.). Duellum omnino bellum eſt (*not.* §. 1090. *part. 5. Jur. nat.*), idque privatum (§. 608.). Quamobrem in quo caſu duellum illicitum, in eo

quoque bellum publicum illicitum. Quemadmodum duellum non eſt modus aptus ad controverſiam privatorum decidendam (§. 1092. *part. 5. Jur. nat.*); ita nec bellum modus aptus eſt ad decidendam controverſiam Gentium. Cum prius nemo facile in dubium hodie revocet (*not.* §. *cit.*); mirum videri poterat, a pleriſque bellum haberi pro modo decidendi controverſias inter Gentes, cum tamen nemini in cauſa dubia jus belli per ſe competat (§. 1100. *part. 5. Jur. nat.*), & bello laceſſere alterum illicitum ſit, ut vi armorum extorqueas, quod prætendis (§. 1101. *part. 5. Jur. nat.*). Ex eo, quod Gentes non habeant judicem, minime ſequitur, per ultimam demum victoriam decidi, quis nocens ſit. Ex eo enim, quod Gentes judicem non habeant, ſaltem ſequitur, permittendum eſſe, ut quilibet ſit judex in propria cauſa. Uterque igitur belligerantium ſumit, jus ſibi competere, ab altero autem negari. Quamobrem quando in arma venitur, uterque belligerantium vi adigere intendit partem ſibi adverſam ad jus ſuum tribuendum, aut, ſi id obtinere non poſſit, ſaltem in conſentiendum in conditiones, in quas in anguſtias minime redactus non conſentiret. Atque ea de cauſa victoria ultima, qua finis bello imponitur, nondum pro deciſa habetur controverſia, quæ bello cauſam dedit, ſed tranſigendo demum eadem finitur, dum pax pangitur. Vix igitur continget, ut bellum Gentium duello æquiparetur, quod ex compacto decidendi juris controverſi cauſa ſuſcipitur (§. 1090. *part. 5. Jur. nat.*). Quodſi Gentes omnes erroneam hanc foverent opinionem, quod controverſiæ ſuæ vi armorum ſint decidendæ; jus hoc non foret naturale, quo Gentes inter ſe uti debent, ſed voluntarium, quale *Grotius* tacito quodam Gentium conſenſu introductum ſumit, & rectius ad conſuetudinarium referretur (§. 24.). Tunc vero victoris foret res controverſa, nec demum de pacis conditionibus pactio fieret. Contrarium cum obtineat, abunde patet, bellum non haberi pro medio decidendi, ſed finiendi controverſiam, nec a victore jus in eo, de quo

quo conveniitur, acquiri vi armorum, sed ex pactione pacis. Periculosa est ac Gentibus infesta hæc sententia, judicem communem non habentibus competere jus vi armorum controversiam decidendi, quæ bellandi licentiam parit, & animos Rectorum civitatis ab eo avertit, quod immutabilis illa naturæ lex, quæ saluti Gentium consulit, præscribit, quemadmodum ex anterioribus patet. Error autem inde manere videtur, quod judicia præponantur bello, atque hinc porro inferatur, ubi judicia cessant, ibi bello locum esse, ac ideo victoria sententiæ judicis perperam æquiparetur, quasi status naturalis non sit prior civili, nec in naturali dentur modi componendi controversias a bello diversi, quos lex naturæ Gentibus quoque præscribit (§. 4.), ita ut bellum saltem sit medium adigendi partem refractariam ad consentiendum in unum istorum, præcipue in transactionem, quemadmodum satis superque apparet ex iis, quæ a nobis demonstrata sunt. Ceterum cum in istiusmodi errores facile incidamus, nisi jus naturæ in systema veri nominis redactum animo comprehenderimus; hinc elucescit necessitas id faciendi, atque ea causa nos impulit, ut systema istiusmodi conderemus. Neque ulli dubitamus fore, ut hisce perspicillis adjuti veritatem intime perspiciant.

§. 633.

An bellum ex utraque parte justum esse possit.

Bellum ex utraque parte justum esse nequit. Etenim justa belli causa non est nisi injuria facta, vel facienda (§. 617.). Quamobrem justa belli causa nonnisi huic est, cui ab altera parte injuria facta, vel cui pars altera injuriam facere intendit. Quoniam itaque bellum justum non est, nisi cujus causa justa est (§. 1109. *part. 1. Jur. nat.*); bellum justum non est nisi ex parte ejus, cui altera vel injuriam fecit, vel facere conatur, consequenter ex utraque parte justum esse nequit.

Quemadmodum inter eos, qui disputant de veritate propositionis, veritas stare nequit nisi ex parte una, cum fieri mi-

nime possit, ut sententiæ contrariæ, vel contradictoriæ sint simul veræ, vel falsæ; ita quoque fieri nequit, ut, si duo de jure vel injuria contendunt, vera sit utriusque sententia, uno affirmante, quod negat alter. Justitia igitur belli nonnisi penes eum est, cujus vera est sententia.

§. 634.

Quod ex parte una semper sit injustum.

Quoniam bellum ex utraque parte justum esse nequit (§. 633.); *quacunque demum de causa bellum geratur, nonnisi partis unius arma justa sunt, alterius vero injusta, etiamsi contingat, utrumque belligerantium putare, se justam fovere causam.*

Quamvis uterque belligerantium putet, se justam fovere causam, non tamen propterea utriusque judicium verum est; sed verum non est nisi unius, ac ideo alterius necessario falsum. Id ubi contingit, uterque bona quidem fide agit; non tamen juste, cum juste agere nequeat nisi is, qui jure agit. Ac ideo in causa dubia jus ad bellum inferendum non nasci ostendimus ex injuria partis alterius, quoniam hæc manifesta non est, sed ex rejectione modorum, quos ad componendum controversias præscribit lex naturæ, nec tum belli jus dari ad obtinendum id, de quo controvertitur, sed transactionem, ut per eam controversia componatur (§. 572.). Monuimus jam ante, victoriam perperam æquiparari sententiæ judicis, quæ victum nocentem declaret (*not.* §. 632.). Quod enim fallat opinio eorum, qui existimant, victum judicio Dei per ultimam victoriam reum fieri, alias jam docuimus (*not.* §. 1091. *part. 5. Jur. nat.*). Quodsi ergo via demonstrationis detegi minime possit, ex qua parte bellum sit justum, sive ob ignorantiam juris naturæ, seu certæ scientiæ defectum, sive ob factorum insufficientem notitiam, aut falsam interpretationem; suspensum de justitia belli manet judicium etiam post ultimam victoriam, nec eventus belli effectum alium habet, quam ut transigendo per pactionem pacis controversiæ indecisæ finis

nis imponatur, ex qua jus acquiritur ad id, de quo conventum est, si vel maxime antea nullum jus ad idem victori competebat. *Grotius* l. 2. c. 22. §. 13. definiturus hanc quæstionem, an bellum utrinque justum esse possit, varias acceptiones vocis justi distinguit; sed distinctiones istæ ad Jus naturæ & Gentium minime pertinent, cum in eo fixæ retinendæ sint terminorum significationes, quas in definitionibus iisdem vindicavimus, & secundum easdem enuncianda sint judicia.

§. 635.

An ignorantia vel error invincibilis de justitia belli imputari possit.

Qui ob ignorantiam vel errorem invincibilem putat, se justam belli causam habere, cum non habet; ei injustitia belli imputari nequit. Patet hoc ex eo per consequentiam immediatam, quod in genere ignorantia (§. 550. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & error invincibilis imputari nequeat (§. 552. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 636.

Quando bellum punitivum sit licitum.

Bellum punitivum licitum non est nisi ei, qui injuriam irreparabilem accepit, nec ut sibi de eadem satisfiat alio modo obtinere potest. Jus enim belli non habet nisi is, cui injuria facta est (§. 617.). Quamobrem cum bello punitivo poena sumatur ab altero (§. 616.), ad poenam autem exigendam nobis jus sit, ut lædentem adigamus, ne in posterum denuo lædat, & præcaveamus, ne exemplum ejus secuti nos, vel ipse etiam alios lædere audeat (§. 1058. 1062. *part. 1. Jur. nat.*); bellum punitivum licitum esse nequit nisi ei, qui injuriam irreparabilem accepit. Enimvero bellum punitivum est bellum offensivum (§. 616.). Quamobrem cum bellum offensivum ob injuriam irreparabilem tum demum licitum sit, si de ea satisfactio non aliter quam vi armorum obtineri possit (§. 630.); bellum punitivum licitum non est,

nisi ei, qui injuriam irreparabilem accepit, nec ut sibi de eadem satisfiat, aliter obtinere potest.

Ut bellum punitivum sit licitum, necesse est, ut injuria tibi facta fuerit ab eo, cui infertur. Eodem enim consulitur securitati in posterum, ut sis tutus ab injuria aliorum: id quod maxime convenit fini civitatis (§. 12. 13. *part. 8. Jur. nat.*), ut dubitari nequeat, Genti quoque competere jus puniendi Gentem, ut tam propriæ, quam communi Gentium securitati consulatur. Frustra lex naturæ læsionem Gentibus prohiberet, (§. 173.), si Genti impune Gentem lædere liceret. Ex obligatione igitur Gentis non lædendi nascitur læsæ jus puniendi. Satisfactio de injuria irreparabili poena est, & de ea tibi satisfactum, si satis prospectum sit securitati futuræ. Quamobrem cum poena gravior illicita sit, ubi levior sufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*); nec bellum publicum licitum est, nisi ubi aliter de injuria irreparabili satisfactio obtineri nequit. Duplex est belli punitivi finis, unus punientem, alter reliquas Gentes respicit. Neque enim eodem saltem intenditur, ne in posterum denuo injuriam tibi faciat, qui punitur, verum etiam ne aliis injuriam facere audeat. Ex poena enim, quam patitur, discere debet, quod alteri injuriam faciens sibi male consulat. Nihil hic de Gentibus dicitur, quod non valeat de singulis in statu naturali, & in civitate de judiciis, prouti manifestum est iis, qui omnem Juris naturæ doctrinam justo ordine, quem in systemate nostro observavimus, animo comprehenderunt. Quodsi ergo quis in hisce adhuc hæsitet, is ea inprimis relegat, quæ de jure puniendi in parte prima Juris naturæ demonstravimus & in parte octava de jure puniendi in civitate inde deduximus. Ita nimirum clarissime perspiciet, de statu naturali non esse statuendum ex civili, sed vice versa de civili ex naturali, ac per consequens jus belli Gentium independenter a statu civili esse dijudicandum, prouti jam antea docuimus (*not.* §. 632.).

§. 637.

§. 637.

Quoniam bellum punitivum licitum non est nisi ei, qui injuriam irreparabilem ab alio accepit (§. 636.); *bellum punitivum licitum non est in Gentem, propterea quod sceleratissima est, seu jus naturæ immaniter violat, aut in Deum delinquit.*

An Gens ab alia puniri possit ob scelera & delictum in Deum.

Contrariam sententiam defendit *Grotius* l. 2. c. 20. §. 40. *& seqq.* Error autem inde fluxit, quod sibi persuadeat, malum in se tale esse, ut puniri saltem possit, jus vero puniendi competere ei, qui non æque nocens est. Vide l. c. §. 3. Ast cum rationem naturalem hujus juris ipse reperire nullam potuerit, quæ satisfaceret; fateri cogitur, per naturam determinatum non esse, cui jus hoc debeatur, nisi quod satis indicet natura convenientissimum esse, ut id fiat ab eo, qui superior est, non tamen ut omnino hoc demonstret esse necessarium, nisi vox superioris eo sumatur sensu, ut is, qui male egit, eo ipso quovis alio inferiorem censeatur se fecisse. Ecquis non videt errorem de malo in se punibili in eas angustias redegisse *Grotium*, ut quomodo se extricare debeat reperire nequeat. Jus puniendi in civitate etsi competat superiori, non tamen ex superioritate originem suam deducit; sed non aliam ob rationem eidem competit, quam quia jus puniendi privatorum in ipsum translatum & potestas legislatoria effectum habere nequit sine jure puniendi, cum civilis obligatio metu poenarum introducatur. Justum bellum in eos esse *Grotius* pronunciat §. 40. n. 2. qui in parentes impii sunt, qui humanam carnem epulantur, qui piraticam exercent. Sed miscet ea, quæ cum injuria in alios conjuncta sunt cum hisce, quibus injuria nulla aliis infertur. Nobis hic de his sermo est, non de illis: videbimus enim postea, quantum liceat Genti ob injuriam tertio factam Gentem punire, a qua ipsamet læsa minime fuit. Missa vero erronea ista sententia de bello punitivo licito in Gentem sceleratam & in Deum impiam; cautionibus istis opus non habemus, quas *Grotius* §. 41. *& seqq.* dare coactus fuit,

fuit, ut absurdas consequentias declinaret, nec bellum punitivum in bellandi licentiam converteret. Equidem negari non potest, in historia antiqua occurrere exempla belli punitivi in Gentes, quæ Gentes alias minime læserant, sed vel jus naturæ in se violabant, vel moribus utebantur ab aliis Gentibus parum probatis, veluti carne canina vescentes & mortuos cremantes, non humantes, qualia recensent *Grotius* & commentatores a nobis non repetenda; non tamen ex factis Gentium statuendum de jure, sed de factis potius illarum ex jure. Non ignotum est, apud vetustissimas Gentes, etsi non essent incultæ, multos in Jure naturæ obtinuisse errores, inter quos etiam referendus est in jure puniendi admissus. Præterea vix est, quod dubitemus prætextum a jure puniendi sumsisse eos, quibus justa causa belli non erat. Quod vero delicta in Deum commissa attinet, nulla datur ratio naturalis, per quam appareat, jus injuriam in Deum a Gente commissam vindicandi competere Genti. Et si tale jus admittatur, inde non aliud sequetur quam mutua bellorum licentia. Deus sibimetipse sufficit ad vindicandam injuriam sibi factam, nec in eo indiget auxilio humano. Conferenda hic sunt, quæ supra de jure Gentium circa religionem ostendimus & annotavimus (§. 259. *& seqq.*). Ceterum cum nullum jus puniendi delicta in Deum Gentibus competat, nec opus est, ut cum *Grotio* loc. cit. §. 45. anxie disquiramus, quinam errores de Deo & quænam facta hominum pro injuriis in Deum habenda sint.

§. 638.

An atheismus, Deismus, idololatria sit belli punitivi justa causa.

Similiter quia bellum punitivum licitum non est nisi ei, qui injuriam irreparabilem accepit (§. 636.); *nulli* quoque *Genti bellum punitivum licitum est in aliam, quia atheismum, vel Deismum profitetur, aut idololatrica est.*

Ob atheismum & deismum nemo puniri potest in Rep. (§. 645.

(§. 645. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem ſi vel maxime concedas, Genti competere jus puniendi alteram ob facta, ex quibus nulla in ipſam injuria redundat; atheismus & Deismus non foret cauſa juſta belli punitivi. Et quoniam cultus idololatricus ab erroribus, quæ de Deo foventur, derivatur, ob errores autem nemo puniri poteſt (§. 644. *part. 8. Jur. nat.*); de idololatria idem prorſus tenendum. Poena in Gentem a vera religione alienam non aliud intendi poterat, quam ut Gens religionem punientis in Rep. ſua introduceret. Id vero illicitum eſſe, ut Gens una alteram vi adigat ad religionem ſuam in Rep. ſua introducendam, ſupra jam demonſtravimus (§. 259.). Vide, quæ ſuperius annotavimus (*not.* §. 261.). Gentibus non aliud competit jus, quam quod vel ſingulis natura tributum, vel quod ſub imperio civili, quod ex conſociatione originem ducit & ex fine civitatis metiendum (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*), tanquam pars potentialis continetur. Cumque Rectores civitatis non habeant jus aliud, niſi quod originarie populi eſt (§. 34. 42. *part. 8. Jur. nat.*); nec Rectoribus civitatis aliud præterea jus competere poteſt. Ex neutro autem jure deduci poteſt jus puniendi Gentem ob atheismum, Deismum vel idololatriam.

§. 639.

Quando bellum ſit ſimul vindicativum & punitivum.

Si quis vi armorum repetit, quod vi injuſta ſibi ablatum fuit, bellum offenſivum ſimul & vindicativum, & punitivum eſt. Idem dicendum de bello, quod infertur, ut damnum per injuriam datum reſarciatur. Etenim ſi cui vi injuſta quod ſuum eſt fuerit ablatum, qui injuriam fecit prædo eſt (§. 505. 506. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero domino non modo competit jus prædonem vi adigendi, ut rem ſibi ablatam reſtituat (§. 542. *part. 2. Jur. nat.*), verum etiam puniendi (§. 551. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem ſi eidem bellum infert vi armorum ſuum recuperaturus, cum bellum vindicativum ſit, quo id

quod nostrum est consequi studemus (§. 620.), punitivum autem, quo poena sumitur ab eo, cui infertur (§. 616.); bellum, quod offensivum esse constat (§. 615.), simul & vindicativum, & punitivum est. *Quod erat unum.*

Quodsi bellum inferatur eo fine, ut damnum datum resarciatur; inferens id agit, ut id consequatur, quod sibi debetur (§. 572. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum bellum vindicativum sit, quo id, quod nobis debetur, consequi studemus (§. 620.); bellum offensivum hoc respectu vindicativum est. Enimvero quoniam damnum per injuriam datum, *per hypoth.* homini autem, consequenter etiam Genti (§. 3.), natura competit jus puniendi eum, qui ipsi injuriam fecit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*), & bellum punitivum est, quo poena sumitur ab altero (§. 616.); hoc respectu bellum, quod infertur eo fine, ut damnum datum per injuriam resarciatur, punitivum est. Patet itaque, si bellum infertur eo fine, ut damnum per injuriam datum resarciatur, id simul & vindicativum, & punitivum esse. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum uno actu & domino res sua rapta fuit, & injuria irreparabilis facta, quatenus factum infectum fieri nequit; ita etiam uno actu belli & res sua repetitur, & qui injuriam fecit punitur. Interest autem, ut bellum offensivum, in quo simul insunt vindicativum & punitivum, ab eo distinguatur, qui unius saltem est speciei. Plus enim in illo, quam in hoc licet, prouti ex sequentibus elucescet. Idem valet in casu altero quo damnum per injuriam datum.

§. 640.

An metus ex vicina potentia

Potentia crescens vicinæ Gentis & metus ex vicina potentia non est justa belli causa. Etenim Gentes pro virili studere debent,

bent, ut sint potentes (§. 70.), modo non utantur mediis illicitis (§. 72.). Quamobrem si licitis mediis potentiam suam augeant, cum jure suo utantur (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nullam tibi injuriam faciunt (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque justa belli causa non est nisi injuria (§. 617.); potentia crescens Gentis vicinæ justa belli causa non est. *Quod erat unum.* *tentia sit justa belli causa.*

Equidem qui potens est damnum dare aut alio modo lædere potest, ac fieri potest, ut potentia sua confisus damnum aliquando dare vel alio modo lædere velit: quamdiu tamen nec actu damnum dat, aut alio modo lædit, nec animum alterutrum faciendi actu quodam externo declarat, injuria ulla nec facta, nec facienda adest (§. 532. *part. 2.* & §. §. 919. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum justa causa belli non sit, nisi injuria facta vel facienda (§. 617.); solus metus ex vicina potentia justa causa belli non est. *Quod erat alterum.*

Sunt qui defendunt, metum ex vicina potentia justam esse belli causam, propterea quod Genti unicuique competit jus ad ea, quibus periculum interitus avertere & ea vitare potest, quæ interitum afferre possunt (§. 34.), aut ipsam statumque ejus imperfectiorem reddere (§. 37.). Atat ad consequendum finem licitum non uti licet mediis illicitis (§. 71.): bellum autem justum non est, consequenter illicitum (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*), cujus causa alia est, quam injuria facta, vel facienda (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.* & §. 617. *h.*). Non est quod excipias, si ob metum ex vicina potentia inferatur bellum, ejus causam esse injuriam faciendam, cum potens injuriam facere possit. Etenim injuria nondum spectari potest ut facienda, quia non impossibilis, seu alteri non desunt vires, ut lædere possit: ex hoc nimirum solo nondum sequitur,

quod tibi injuriam ſit facturus, immo ſola poſſibilitas intrinſeca nullam probabilitatem parit, etſi ſufficiens ratio ſit, ut omni circumſpectione utaris, ne quicquam a te committatur, quod in poſſibilitatem extrinſecam influere poſſit, prouti Logica probabilium inſinuat. Ecquis in ſtatu naturali juſtum pronunciet, ut, ſi quis alios viribus longe ſuperet, hi eum vel e medio tollant, vel crura & brachia rumpant? Metus maxime incertus eſt, ita ut pro nullo habendus, qui ſola poſſibilitate intrinſeca nititur. Eventus autem dubius cum providentiæ divinæ totus ſit committendus (§. 1192. *part. 1. Jur. nat.*); adverſus incertos metus ab ea ſola præſidium petendum.

§. 641.

An cauſa belli juſta ſit, ſi munimenta excitentur & de bello cogitetur tempore pacis.

Quoniam metus ex vicina potentia juſta belli cauſa non eſt (§. 640.); *nec juſta belli cauſa eſt, ſi vicinus nulla pactione impeditus in ſuo munitionem faciat, quæ damnum aliquando dare poſſit, vel tempore pacis de bello cogitet, veluti milites conſcribendo, claſſem colligendo, apparatum bellicum comparando.* Conveniunt hæc fini civitatis, ad quem ſecuritas ſpectat (§. 12, 13. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter hæc omnia facit Gens jure ſuo (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*), nec dum facit Genti alteri injuriam facit (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*), quæ juſtam belli cauſam eidem præbere poſſit (§. 617.).

Securitati ſuæ proſpicere injuſtum non eſt: homines enim potiſſimum eo fine in civitatem coiverunt, ut conjunctis viribus ſibi invicem ſecuritatem præſtent (§. 4. 12. *part. 8. Jur. nat.*). Licita igitur ſunt media ad finem hunc obtinendum neceſſaria. Quodſi iisdem tempeſtive utaris, nil habet Gens vicina, quod jure de te conqueratur: neque enim eidem prohibitum eſt ſimilia facere. Si non poſſit, impotentia alterius tibi imputanda non eſt, nec in gratiam alterius tu negligens eſſe debes in iis, quæ ad ſtatum Gentis tuæ perficiendum

requirun-

requiruntur. Nemo adeo absurdus est, ut sibi persuadeat, alterum statum suum perficere non debere, propterea quod ipse paria cum eodem præstare minime potest. Quod vero in singulis hominibus absurdum habetur, id non minus in Gentibus absurdum existimari debet (§. 2.). Ceterum hæc sunt licita media adversus metum ex vicina potentia, quibus futuræ securitati prospicitur, siquidem verendum, ne vicinus potentia sua confisus tibi injuriam faciendi animum induat. Licita dico hæc esse media, non tamen unica, cum hisce plura dentur, in Politica enumeranda.

§. 642.

Æquilibrium inter Gentes dicitur Gentium plurium secundum potentiam ad se invicem relatarum talis status, quo potentiæ unius præpotentis vel quarundam conjunctæ potentia conjuncta aliarum æqualis est. Idiomate patrio dicitur das Gleichgewichte der Völcker. *Æquilibrium inter Gentes quid sit.*

Appellatio desumta est a libra, in qua æquiponderatio ab utraque parte æquilibrium facit. Quodsi ergo inter Gentes æquilibrium esse debet, necesse est ut potentiæ unius vel quarundam conjunctæ semper æqualis potentia aliarum opponi possit, quatenus scilicet hæ foedera ineuntes potentiam suam conjungere valent.

§. 643.

Quoniam æquilibrium inter Gentes consistit in eo statu, quo potentiæ unius præpotentis, vel quarundam conjunctæ potentia conjuncta aliarum æqualis est (§. 642.); *si æquilibrium inter Gentes subsistit, fieri potest, ut exorto bello vi inferenti æqualis vis opponatur*, consequenter *necesse non sit, ut Gens una alterius armis succumbat*, adeoque *communi Gentium securitati eodem prospicitur* (§. 12. *part. 8. Jur. nat.*). *Effectus æquilibrii & finis.*

Si Gentes ea morum probitate uterentur, ut sibi invicem præstarent officia, quæ naturaliter debent, nec utilitatis suæ causa aliæ alias læderent; æquilibrium inter Gentes nullius foret usus, sicuti nec bella metuenda forent. Contrarium cum obtineat, æquilibrium ad communem securitatem tuendam maxime conducit. Sublato hoc æquilibrio, facile contingit, ut Gens, quæ sibi persuadet se alias impune lædere posse, lædere non vereatur, præsertim ubi haud exiguam sibimet spondet utilitatem. Quodsi contingat, bellum oriri, eadem viribus cum sit multo superior, partem adversam si non prorsus sub jugum mittat, eam tamen ad iniquas pacis conditiones amplectendum coget. Hæc sane, non alia causa est, cur de æquilibrio inter Gentes cogitari coeptum. Sane apud nos Europæos semper allegari audias æquilibrium, præsertim ubi de auxiliis belli & pactione pacis agitur.

§. 644.

De æquilibrio inter Gentes sublato.

Quoniam *æquilibrium inter Gentes* in eo consistit, ut potentia unius præpotentis vel plurium conjuncta æqualis sit potentiæ ceterarum conjunctæ (§. 643.); idem *tollitur, si potentia unius præpotentis, vel quarundam conjuncta superet potentiam ceterarum conjunctam*, consequenter *sublato æquilibrio inter Gentes fieri nequit, ut exorto bello vi injustæ vis æqualis opponatur, atque ideo Gens una facile alterius armis succumbit.*

Æquilibrium inter Gentes earum libertati maxime favet, sublatio autem ejusdem eidem valde inimica. Neque alia ratio est, cur Gentes Europeæ tantopere contendant, conservandum esse æquilibrium, ne scilicet libertas earum, quæ minus potentes sunt, periclitetur.

§. 645.

An utilitas sit justa belli causa.

Sola utilitas non est justa causa belli. Rationes enim belli

li, quæ desumuntur a sola utilitate, nonnisi suasoriæ sunt (§. 621.). Enimvero bellum ejus injustum est, cui non aliæ sunt rationes, quam suasoriæ (§. 622.). Quamobrem ejus quoque bellum injustum est, qui non alia de causa bellum suscipit, quam quod utilitatem inde sperat. Quoniam itaque belli injusti causa justa non est (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*); utilitas sola belli justa esse causa nequit.

Poterat eodem modo demonstrari, quo supra evicimus, bellum ob solas rationes suasorias susceptum esse injustum (§. 622.), argumento scilicet desumto a defectu injuriæ, sine qua bellum justum concipi non potest (§. 618.). Notandum vero est, utilitatem hic, quemadmodum etiam superius cum de rationibus suasoriis ageremus (§. 621.), hic sumi in latissimo significatu, quem vocabulo tribuimus (§. 262. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Unde ad utilitatem referuntur non modo incrementum potentiæ, verum etiam studium gloriæ, cupido vindictæ, ostentatio virium & quæ sunt his gemina: pro diversitate enim inclinationum naturalium ac inde dependentium affectuum atque vitiorum, diversa quoque sunt hominum de eo, quod sibi utile est, judicia. Quamobrem præsens propositio multo latius patet, quam videri poterat, præsertim iis, qui notionibus juris civilis imbutum possident animum: dantur enim notiones complures, quas ratio hujus juris restrictiores efficit, quam sunt atque esse debebant. Exemplum aliud habemus in læsione, quæ naturaliter multo latius patet, quam intra angustos juris civilis terminos continetur (§. 669. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque ipsimet non semel inculcaverimus, in Jure naturæ retinendos esse terminos in civili receptos, nec eorum significatum temere esse immutandum; id tamen non extendendum est in præjudicium veritatis. Minima non curat prætor, curat tamen Jus naturæ, nec quæ in Rep. tolerantur & toleranda sunt, ut impune fiant, Jure naturæ permittuntur, ut licite fiant. Jus naturæ

ræ non fert ullum rectitudinis defectum, quamvis non imputet agenti nisi vincibilem, & omnem respuit facultatum abusum atque non usum. Neque etiam idem distinguit inter ea, quæ eadem sunt, ac ideo in gratiam extensionis notionum admittit quoque aliquid fictitii, utut id rationi Juris civilis, cui limites præfigit finis civitatis, non satis conveniat. Ea si observentur, tum demum consensum & dissensum, qui recte se habet, Juris naturæ & Juris civilis perspicere datur, nec quod mere civile est cum eo, quod naturale est, confunditur, non sine veritatis detrimento. Jus naturæ non æquandum est juri civili in gratiam eorum, qui huic operam navant. Quodsi enim veri justitiæ sacerdotes fieri debeant, necesse est, ut quid sit juris naturæ recte perspiciant, & quomodo ex eo addendo, vel demendo factum sit civile agnoscant secundum theoriam naturalem legum civilium, quam in parte octava demonstratam dedimus.

§. 646.

An conservatio æquilibrii inter Gentes sit causa justa belli.

Conservatio æquilibrii inter Gentes non est justa causa belli. Etenim æquilibrium inter Gentes non conservatur alio fine, nisi ut exorto bello vi injustæ æqualis vis opponi possit, & ut communi Gentium securitati prospiciatur (§. 643.), consequenter utilitatis Gentium causa (§. 262. *part. 1. Jur. nat.*). Quod si ergo conservandi æquilibrii inter Gentes causa bellum inferatur; causa alia non est, quam metus ex vicina potentia & utilitas propria ex ejusdem imminutione, aut incrementi illius impeditione speranda. Quamobrem cum nec metus ex potentia vicina (§. 640.), nec sola utilitas justa belli causa sit (§. 645.); conservatio æquilibrii inter Gentes justa belli causa esse nequit.

Utilitas nimium obsedit animos eorum, qui negotia publica administrant, ut, si justitiam non prorsus contemnant, saltem

rem animum ab ea avertant, aut ex utilitate eandem metiantur. Inprimis autem conſervatio æquilibrii, quæ tantopere facit ad præſtandam ſecuritatem Gentibus & tuendam earundem libertatem (§. 643.), tenebras offundit juſtitiæ, ut vix juſtius quicquam putetur vi armorum conſervationi æquilibrii inter Gentes adhibita, propterea quod non attenditur, ad conſequendum finem licitum non utendum eſſe mediis illicitis (§. 71.), conſequenter non perſpicitur, belli juſtitiam demum locum facere conſervationi æquilibrii inter rationes ſuaſorias (*not.* §. 621.).

§. 647.

An æquilibrii cauſa jus alicujus tolli poſſit.

Quoniam conſervatio æquilibrii inter Gentes non eſt juſta cauſa belli (§. 646.); *vi armorum nemo impediendus, quo minus conſequatur id, quod ipſi debetur, nec ut quod ſuum eſt, vel ſuum fieri debet, alii relinquere cogatur compellendus, ſiquidem alias æquilibrium inter Gentes tollitur.*

Juſtitia unicuique jus ſuum tribui jubet (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), & hæc obligatio tenet etiam Gentes (§. 264. 265.). Utilitas ſicuti in privatis, ita etiam in Gentibus nullam facit exceptionem. Quibus contrarium placet, metu ex potentia vicina in eam ducuntur ſententiam, quod tempeſtive caveri debeat, ne creſcens potentia ſibi aliquando evadat nocua: metum autem iſtum non eſſe juſtam belli cauſam ſupra demonſtravimus (§. 640.). Violatio juris alterius injuria manifeſta eſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo bellum inferatur non alia de cauſa, quam ne alter jus ſuum conſequi poſſit, injuriæ faciendæ cauſa bellum infertur, ac ideo bellum maxime injuſtum eſt. Si ſumatur, quod ſine manifeſta injuſtitia ſumi nequit, licitum eſſe quovis modo impedire, ne alter jus ſuum conſequatur, ac omni virium contentione id agere, ut idem alteri tribuatur, propterea quod tua intereſt, ne

ille consequatur; injustitiæ latæ fores panduntur ac omni juris reverentiæ valedicitur.

§. 648.

Idem specialius expenditur.

Cum vi armorum nemo impediendus, quo minus consequatur id, quod ipsi debetur, nec compellendus, ut quod suum est, vel suum fieri debet, alii relinquere cogatur, siquidem alias æquilibrium inter Gentes tollitur (§. 647.); *nemini jus succedendi in regno aliquo auferri, aut ne legitimo modo quis novis terrarum accessionibus territoria sua, vel quocunque modo alio potentiam suam augeat impediri potest, hac sola de causa, quod sic æquilibrium inter Gentes tollatur.*

Ita e. gr. impedire non licet, ne Rex quidam potens succedere possit in regno, in quo successio per legem successionis ibidem introducta ad eum devolvitur, aut si ab alia Gente eligitur, cui liberum est imperium transferre, in quem libuerit. Similiter si per commercia Gens quædam præpotens fiat, nullum tibi jus est commercia ejus turbandi, aut Gentem, cum qua eadem exercet, vi adigendi, ne amplius ea cum ipsa misceat. Ita nec injuriam interpretari potes, si Gentes præpotentes conjunctæ æquilibrium, quod aderat, tollant, modo id non fiat tibi nocendi causa, cum quælibet Gens securitati suæ prospicere & ut potentia sua augeatur curare possit quovis licito modo. Conservatio sui & perfectio sui ad officia Gentis erga seipsam pertinent (§. 31. 35.). Quamobrem lex naturæ quoque iisdem jus dat ad ea media, sine quibus se conservare & perficere nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), modo non sint illicita (§. 71.), seu cum violatione juris tui conjuncta (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Quando igitur Gens jure suo utitur, nullam tibi injuriam facit (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Quamdiu igitur Gens aliqua non agit nisi id, quod jure suo agere potest; utrum idem alteri utile sit, necne, attendere non tenetur.

§. 649.

§. 649.

De Jure Gentium ad conservandum aequilibrium.

Gentes ad aequilibrium inter se conservandum non obligantur: ad idem tamen conservandum jus habent, quatenus sine violatione juris Gentis cujusdam fieri potest. Gentes enim pro virili studere debent, ut sint potentes (§. 70.), consequenter ut ipsæmet, quantum datur, vi injustæ aliarum Gentium resistere possint (§. 69.), nec ideo alieno auxilio habeant opus, ad quod ipsis jus non facit nisi impotentia propria (§. 156.), & quod ubi negatur ferendum (§. 157.). Gentis igitur unius impotentia nullos potentiæ alterius limites præscribere potest, ultra quos ea potentiam suam augere minime debeat. Quamobrem cum Gens obligationi suæ satisfacere non posset, & jus ceterarum Gentium contra eandem extenderetur, si æquilibrium conservare obligarentur, quod exigit, ut potentiæ unius, vel quarundam conjunctæ potentia conjuncta æqualis aliarum opponi possit (§. 642.); Gentes ad æquilibrium inter se conservandum non obligantur. *Quod erat primum.*

Enimvero æquilibrium Gentium medium est, quo communi earundem securitati prospicitur (§. 643. *h.* & §. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum Gens una ad alterius conservationem & perfectionem conferre debeat, quod potest, in eo, quo sibimetipsi non sufficit (§. 166.), & quatenus Gentes in civitatem maximam coivisse intelliguntur (§. 9. 10.), conjunctim quoque securitati communi prospicere obligentur (§. 13. *part. 8. Jur. nat.* & §. 12. *h.*); ipsa quoque lex naturæ ipsis jus suadet ad æquilibrium inter se conservandum (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen contra jus alterius nemo quicquam facere, seu id violare debet (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*); ad

æquilibrium conſervandum Gentibus jus eſt, quatenus ſine violatione juris Gentis cujusdam fieri poteſt. *Quod erat tertium.*

Multa ſunt præjudicia, quæ plerisque mentem faſcinant, ne verum cernere poſſint. Hinc enata eſt opinio, quaſi Gentes æquilibrium inter ſe conſervare obligentur. Sunt etiam aſſentatores, qui ut placeant iis, quorum intereſt æquilibrium conſervari, vel qui invidiæ potentiæ alienæ idem prætexunt, ſumunt Gentes obligari ad æquilibrium inter ſe conſervandum, & poſtea demum rationes ſtudioſe conquirunt, quibus ſumtionem precariam ad veritatis ſpeciem accommodent. Maximam ſpeciem inde habet prætenſa ad æquilibrium obligatio, quod ſic communi Gentium ſecuritati proſpiciatur. Aſt jus naturæ eidem conſulit per officia, quæ Gentibus erga ſe invicem præſcribit. Quodſi ea omni animi contentione obſervarent, minus potenti nihil metuendum foret a præpotente. Immutabile autem hoc jus non permittit media iisdem contraria, etſi concedat media duriora tuendi ſecuritatem contra manifeſtos ejus violatores. Obligatio naturalis minime fluit ex morum pravitate, ad quam affectus inordinati alliciunt male ſanos. Sed jus ſaltem conceditur ſe tuendi adverſus injurias aliorum, illæſis officiis, ut nemo damnum ſentiat niſi ſua culpa. Puritas mentis, quæ in uſu omnium facultatum officiis congruente conſiſtit, ſancte cuſtodienda, atque ita demum in puriſſimo hoc Jure nulla prorſus datur antinomia, a qua jura humana vix eſt ut libera ſint. Equidem negari non poteſt, in Jure quoque naturæ rationem haberi infirmitatis humanæ, ſecundum quam feruntur leges poſitivæ, aſt nonniſi in imputatione, ne obligatio extendatur ad id, quod impoſſibile, & æſtimanda gravitate peccati, quatenus unus excuſatius peccat altero ob non uſum, aut abuſum unius vel alterius facultatis non imputandum. Ipſa vero lex, quæ ad agendum, vel non agendum obligat, ſummum exigit rigorem, qui a conſentiente omnium facultatum uſu venit, dum actionum quarumvis re-

ctitudi-

ſtitudinem urget. Rectores civitatis, qui populos repræſentant, quemadmodum ſupra omnes evehuntur, ita quoque omnes quovis virtutum intellectualium atque moralium genere anteire debent, ut in iis virtutes omnes quaſi concentratæ appareant. Et in eo gloria eorum conſiſtit, quæ eosdem omnibus Gentibus venerabiles efficit. Abſit vero, ut tibi perſuadeas, qui altiori loco poſiti ſunt, iis plus licere, quam privatis, & laudem in ipſis mereri, quæ in privatis reprehenduntur. Sicuti inter privatos uno in loco cohabitantes in ſtatu naturali non ſine abſurditate fingeretur obligatio conſervandi æquilibrium virium; ita non minore abſurditate laborat obligatio, quam nonnulli comminiſcuntur, æquilibrium inter Gentes vicinas conſervandi.

§. 650.

Unde naſcatur jus potentiam creſcentem labefactandi.

Si qua Gens manifeſta conſilia agitet de aliis Gentibus ſibi ſubjiciendis, hæ confoederationibus ſecuritati communi conſulere debent, & leviſſima injuria ipſis dat jus vi armata potentiam creſcentem labefactandi. Si qua enim Gens manifeſta conſilia agitet de Gentibus aliis ſibi ſubjiciendis, cum Gens quælibet ſe conſervare (§. 31.) & pro virili ſtudere debeat, ut ſit potens (§. 70.), conſequenter ut ſibi ſint vires ſufficientes ad reſiſtendum vi externæ (§. 69.); quin Gentes, quibus periculum imminere videtur, vires ſuas conjungere, & ſic confoederationibus ſecuritati communi conſulere debeant, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam injuria tam facta, quam facienda juſta cauſa belli eſt (§. 617.), injuria vero etiam leviſſima injuria facta eſt, quod per ſe patet, cumque ſolius potentiæ ſuæ augendæ cauſa Gentes alias poteſtati ſuæ ſubjicere non liceat vi armorum (§. 72.), ſi Gens manifeſta conſilia agitet de aliis Gentibus ſibi ſubjiciendis, Genti in-

primis, cui injuria quædam etsi levissima facta est, non vanus metus est de injuria facienda (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si qua Gens consilia manifesta agitet de aliis Gentibus sibi subjiciendis, levissima injuria jus dat vi armata potentiam crescentem labefactandi. *Quod erat alterum.*

Videmus itaque, nihil periculi imminere Gentibus ab iis, quæ potentia sua abuntur, si ipsæmet in officiis, quæ aliis præstanda, rigorose observandis diligentiam suam desiderari minime patiantur, & ab injuria aliis facienda sibi omni animi sollicitudine caveant, pura mente etiam de bello cogitantes & commoda sua promoventes. Injuriæ levioris causa vix consultum est, ut sumantur arma, propterea quod bellum post se trahit ingentem cumulum malorum: sed ubi metus minime vanus de injuria gravi, immo gravissima facienda accedit, qualis est invita subjectio, ab interitu non multum differens, quem a se avertere Gens quælibet debet (§. 33.), jus ad bellum summum competit (§. 34.), tum ut de facta satisfiat, tum ut facienda avertatur. Potentia igitur crescens in hoc casu non modo inter rationes suasorias locum obtinet, sed in ipsas quoque justificas influit, quatenus abusus potentiæ non amplius dubius.

§. 651.

Quando æquilibrium inter Gentes vi conservare licitum.

Quoniam Gentes securitati communi confoederationibus consulere debent, si qua Gens manifesta consilia de aliis Gentibus sibi subjiciendis agitet, & levissima injuria ipsis jus dat vi armata potentiam crescentem labefactandi (§. 650.), Gentes vero commune bonum conjunctis viribus promovere (§. 12.), consequenter etiam securitati communi consulere debent, modo quovis licito (§. 71.); *si qua Gens manifesta consilia de aliis Gentibus sibi subjiciendis agitet, & vel levissimam injuriam uni cuidam inferat; Gentibus ceteris jus est conservandi æquilibrii causa potentiam crescentem vi armata labefactandi.*

Qui

Qui animum injuriam afferendi aliis prodit, ubi vel levissimam facere non veretur, idem recte majorem facturus praesumitur. Injuria facienda aliter averti nequit, quam si nocendi potentia labefactetur: quodsi enim hoc non fiat, nunquam securus esse poteris de non facienda. Confoederationibus recte praecavetur periculum adhuc dubium; quodsi vero idem ulterius jam serpat, ut extiturum praevideatur, ecquis expectandum esse dixerit, donec ignis gliscens in apertam flammam erumpat, nonnisi difficillime restinguendam. Lex naturae etiam prudentiam urget (§. 256. *part. 1. Jur. nat.*), prudentiae vero est praeoccupare facinus, ne mora sit damnosa. Atque ex iis, quae jam demonstravimus, abunde patet, quid de aequilibrio inter Gentes conservando sit statuendum.

§. 652.

De turbatore securitatis publicae.

Si quis potentia confisus injustis armis securitatem communem Gentium turbare non veretur; Gentibus ceteris promiscue jus est potentia eum diminuendi. Etenim cum Gentes in civitatem maximam coivisse intelligantur (§. 9.); conjunctis viribus securitatem communem tueri tenentur (§. 4. 13. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum universis Gentibus in civitate maxima competat jus cogendi singulas, si obligationi suae satisfacere nolint (§. 13.); si quis potentia confisus armis injustis securitatem communem Gentium turbare non veretur, Gentibus ceteris promiscue jus est potentia eam diminuendi.

Magis nocet turbator securitatis Gentium communis civitate maxima, quam qui tranquillitatem publicam in Rep. turbat. Quemadmodum itaque in Rep. populo, consequenter Rectori civitatis, qui populi jus habet, competit jus puniendi eum, qui tranquillitatem publicam turbat; ita quoque in civitate maxima universis Gentibus competit jus puniendi turbatorem communis securitatis Gentium. Quoniam vero necesse non est, ut Gentes omnes ad bellum punitivum concurrant,

quod

quod nec fieri poteſt; jus hoc promiſcue exerceri poteſt ab iis, immo ut exerceatur maxime convenit, quarum potiſſimum intereſt, ut potentia nimia turbatoris diminuatur. Hoſtem Gentium omnium ſe declarat, qui pro lubitu quamlibet aliam injuria laceſſere & vi injuſta damna dare audet. Omnibus igitur Gentibus jus eſt vim injuſtam vi repellendi, ut ſecuritas communis defendatur ac conſervetur.

§. 653.

Auxilia ſeu auxiliares quid ſint.

Auxilia, vel etiam *Copiæ auxiliares*, item abſolute *auxiliares* dicuntur copiæ tam pedeſtres, quam equeſtres, quas Genti bellum gerenti mittit Gens alia, cujus bellum non eſt. Idiomate patrio dicuntur Hülfs-Völcker.

Proprie vocabulum militare eſt, quod deinde translatum ad ſignificandum adjumentum, quod in quacunque cauſa alteri affertur.

§. 654.

Subſidia quid ſint.

Subſidia hodie dicuntur pecuniæ, quæ Genti bellum gerenti ſolvuntur a Gente alia, cujus bellum non eſt, ut illa ſumtum in rem militarem facere poſſit. Idiomate patrio dicuntur Subſidien-Gelder, item ſimpliciter Subſidien. Veniunt tamen etiam apud nos hoc nomine pecuniæ, quæ a Gente bellum gerente ſolvuntur alteri pro auxiliis. Poſſes quoque appellare *Pecunias ſubſidiarias*.

Apud Romanos ſubſidia dicebantur triarii milites, qui tertio ordine in acie conſtituebantur, ut, ſi forte prima acies vinceretur, ab iis, veluti de integro reparato certamine, victoria ſperaretur. Unde ſubſidium quoque mitti dicebatur, ſi auxilia mittebantur ad extremum caſum. Hodie Succurs dicere ſolemus.

§. 655.

§. 655.

Foedera belli dicuntur, quæ belli causa ineuntur, veluti de auxiliis & subsidiis, aliisque quibuscunque, quæ respectum ad bellum habent. Cum a voluntate Gentium dependeat, qua lege foedus aliquod inire velint (§. 382. *part. 3. Jur. nat.); foedera belli vel ad omne bellum pertinent, tam offensivum, quam defensivum, vel ad defensivum tantummodo, immo auxilia & subsidia promittuntur vel promiscue adversus omnes, vel saltem adversus certas Gentes, aut certæ Gentes excipiuntur.* Hinc *foedera belli* dividuntur in *foedera offensiva & defensiva*, ac *quædam sunt offensiva & defensiva simul.* *Foedera belli quænam sint.*

Differentiam foederum quoad ea, de quibus convenitur, omnem exponi opus non est, cum de his pro lubitu conveniri possit prouti scilicet commodum visum fuerit paciscentibus, & eo, de quo conventum est, sit standum (§. 546. 547.).

§. 656.

Genti bellum justum gerenti auxilia & subsidia mittere & quocunque modo eam in bello adjuvare licet, immo naturaliter ad eadem Gens Genti, si potest, obligatur: ast in gratiam belli injusti nihil eorum facere licet. Etenim naturaliter bellum justum gerenti opem ferre licet, immo qui potest, ad ferendam opem eadem indigenti obligatur (§. 1116. *part. 1. Jur. nat.*): quicquid vero alius facit in gratiam ejus, qui bellum injustum gerit, id licitum non est (§. 1115. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes non alio inter se utantur jure, quam naturali, quo homines singuli in statu naturali inter se utuntur (§. 3.); Genti bellum justum gerenti auxilia & subsidia mittere licet & quocunque modo eam in bello adjuvare, si fieri potest: in gratiam vero belli injusti nihil eorum facere licet. *De auxiliis, subsidiis & adjumentis in bello.*

Facile patet, naturalem illam obligationem saltem spectare ad officia, quæ Gentes Gentibus debent, cum non habeat locum, nisi ubi in potestate Gentis fuerit, cujus auxilium imploratur, de eo autem judicium sit penes hanc ipsam Gentem.

§. 657.

De injuria per illa facta bellum justum gerenti.

Quoniam bellum injustum gerenti auxilia & subsidia mittere non licet, nec quicquam facere, quod eidem quocunque modo adjumento esse possit (§. 656.); qui quicquam horum facit, jus ejus violat, cujus arma sunt justa, consequenter *si bellum injustum gerenti mittantur auxilia vel subsidia, aut is quomodocunque in bello adjuvetur, qui horum quid facit injuriam facit parti alteri, penes quem est justitia belli* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Plurimum adeo interest inter eum, qui progressum armorum justorum promovet, & eum, qui bello injusto sese immiscet: sed hoc discrimen cum manifestum sit, de eo disertius dicendum non est.

§. 658.

Foedera belli quando licita.

Foedera belli pangere non licet cum iis, qui bellum injustum gerunt; licet vero cum iis facere, quorum bellum justum est. Qui enim bellum injustum gerit, ei nec auxilia mittere, nec subsidia dare, nec quocunque modo alio eum adjuvare in bello licet (§. 656.). Enimvero qui foedus belli cum altero pangit, cum eo de auxiliis mittendis, vel de subsidiis dandis, aut de adjumento alio quodam in bello cum eo convenit (§. 655.), consequenter ad ea, de quo conventum, præstanda se obligat (§. 377.). Quamobrem cum nemo sese alteri obligare possit ad id, quod illicitum est (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); foedera quoque belli pangere non licet cum iis, quorum bellum injustum est. *Quod erat unum.*

Ast

Aſt ex adverſo bellum juſtum gerenti & auxilia mittere, & ſubſidia dare, & quocunque modo alio in bello adjumento eſſe licet, immo ſi quis hæc præſtare poteſt, is præſtare obligatur (§. 656). Quamobrem cum in foedere belli de his conveniatur (§. 655.) & qui promittit, ad faciendum ſe obligat (§. 377.); foedera belli pangere licet cum iis, qui bellum juſtum gerunt. *Quod erat alterum.*

Quoniam bello nihil magis infeſtum Gentibus, bello alieno ſe immiſcere maxime arduum eſt. Quamobrem in pangendis foederibus belli apprime attendendæ ſunt rationes ſuaſoriæ utrum ſcilicet e re civitatis ſit bellum ſuſcipi, nec ne (§. 621.): id quod etiam valet, etiamſi foedus ineundum cum eo, cujus juſta ſunt arma. Quoniam enim facere non licet, quod fini civitatis adverſatur (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*); qui non ſine detrimento ſubditorum ſuorum bello ſeſe immiſcere nequit, in ejus poteſtate non eſt in gratiam alterius arma ſumere (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec ſumere tenetur (§. 160.). Quodſi ergo foedus inire nolit, nihil facit, quod officiis erga Gentes alias adverſatur.

§. 659.

De tacita clauſula, quæ omni foederi belli per ſe ineſt.

Quoniam foedera belli pangere non licet niſi cum iis, qui bellum juſtum gerunt (§. 658.); *ſi foedus belli initur tempore pacis, quando de certo quodam bello nondum cogitatur, id factum intelligitur ſub tacita hac clauſula, ſi bellum fuerit juſtum.*

Tacita hæc clauſula omni foederi belli per ſe naturaliter ineſt, cum foedus belli injuſti cauſa initum naturaliter ſit invalidum, cujus turpitudo naturalis clarius eluceſcet ex iis, quæ inferius de jure in bello demonſtraturi ſumus. Naturaliter foedus non aliter inire licet pacis tempore, quando de certo bello nondum cogitatur, niſi ſub hac clauſula. Quamvis itaque expreſſe non adjiciatur, nec eam adjici per ea, quæ diximus,

mus, opus sit; adjecta tamen semper intelligitur, aut intelligi debet. Convenit eadem justitiæ (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), quam Gentes summa cum sollicitudine inter se colere debent (§. 265.). Ecquis est, qui probare ausit pactum, cujus non alius quam hic tenor est: Adjuvabo te injuriam facientem, ut mihi facienti adsis?

§. 660.

Quando in foedere promissa præstanda non sunt.

Quia foedus belli tempore pacis, quo de certo bello nondum cogitatur, initur sub tacita hac clausula, si bellum fuerit justum (§. 659.); *Qui bellum injustum gerenti non præstat, quæ in foedere promissa sunt, nihil facit quod est contra foedus.*

Ad servandum foedus non aliud requiritur, quam ut foederatus præstet, ad quæ confoederato se obligavit (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum in foedere belli nemo sese obligare possit ad juvandum foederatum in bello injusto (§. 658.); ideo ad foedus belli adimplendum minime requiritur, ut arma injusta foederati promoveat. Sane hoc in foedere minime continetur, consequenter si denegatur, nihil committitur, quod sit contra foedus.

§. 661.

Casus foederis quid sit.

Casus foederis dicitur concursus circumstantiarum, sub quibus foedus initum, sive expresse fuerint dictæ, sive tacite suppositæ.

Casus in moralibus dicitur concursus omnium circumstantiarum ad actionem quandam, ac ideo per circumstantias determinatur (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo in pactione foederis circumstantiæ certæ dicantur expresse, vel etiam ex natura ejus tacite supponi intelligantur, per eas casus foederis determinatur, ac per consequens foedus nonnisi in hunc casum factum intelligitur.

§. 662.

§. 662.

Quando casus foederis existat.

Quoniam *casus foederis* determinatur per circumstantias, sub quibus foedus initum, sive expresse fuerint dictæ, sive tacite suppositæ (§. 661.); idem *existit, si circumstantiæ existunt, quæ vel expresse dictæ sunt, vel tacite suppositæ.* Quamobrem cum in omni foedere supponatur tacita hæc clausula: si bellum fuerit justum (§. 659.); *casus foederis non existit, si foederati manifesto injusta sunt arma.*

Patet hinc, quomodo definienda sit controversia, si qua oritur, de casu foederis, quales subinde oriri circa foedera belli nemo est, qui nesciat. Nimirum non modo inquirendum est in circumstantias, de quibus expresse dictum, verum etiam in eas, quæ tacite suppositæ recte intelliguntur. Et quoad has recurrendum est ad interpretationem foederum, atque hic usui sunt, quæ de interpretatione demonstravimus integro capite tertio partis sextæ Juris naturæ. Cum bello alieno sese immiscere non modo res maxime ardua sit, verum etiam casus emergant, in quibus foedus nemo sanus initurus fuisset, si eos prævidere potuisset, nullibi magis casus foederis attendendus, quam in foederibus belli. Quamobrem etsi idem non minus in aliis, quam in hisce locum habeat; vix tamen audias de casu foederis controverti, quam si adimpletio foederis belli a foederato urgetur.

§. 663.

De jure casu foederis existente.

Casu foederis existente, quæ in foedere promissa sunt, præstanda; non existente, præstari non debent. Etenim si casus foederis existit, circumstantiæ existunt, sub quibus foedus initum (§. 662.), consequenter sub quibus foederatus unus se alteri obligavit ad præstanda ea, de quibus in foedere conventum (§. 377.). Quamobrem cum Gentes, sibi invicem ea præstare debeant, de quibus in foedere conventum

 (§. 380.);

(§. 380.); casu foederis existente, quæ in foedere promissa sunt, præstanda. *Quod erat unum.*

Enimvero si casus foederis non existit, circumstantiæ non existunt, sub quibus foedus initum (§. 662.), consequenter sub quibus foederatus unus se alteri obligavit ad præstandum ea, de quibus in foedere conventum (§. 377.). Quamobrem cum nemo alterum sibi obligare possit ultra voluntatem suam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); nec foederatus unus obligatus est alteri ad præstandum ea, de quo in foedere conventum, casu foederis non existente, consequenter eodem non existente, præstari non debent ea, quæ in foedere promissa sunt. *Quod erat alterum.*

Exemplum, quo propositio præsens illustrari potest, habemus in eo, quod de tacita clausula omni foederi belli per se inexistente modo dicta sunt (§. 659.). Me autem non monente patet, ad circumstantias, per quas casus foederis determinatur, referendas quoque esse conditiones, sub quibus foedus pangitur, ut adeo casus foederis non existat, conditione deficiente.

§. 664.

De modo adimplendi foedus belli casu foederis existente. Quoniam casu foederis existente, foederatus unus alteri præstare tenetur, quæ in foedere promissa sunt (§. 663.), in foedere autem belli promittuntur auxilia, subsidia & alia, quæ in bello adjumento sunt, veluti arma, naves, annona, equi (§. 655.); *casu foederis existente auxilia promissa sunt mittenda, pecunia subsidiaria solvenda, arma, naves, annona, equi &c. suppeditanda.*

Adimpletur nimirum foedus, si præstentur ea, de quibus in eodem fuit conventum, ac ideo casu foederis existente præstanda sunt ea, de quibus in foedere expresse dictum (§. 428. *part.*

part. 3. Jur. nat.) & quæ recta interpretatio suggerit (§. 466. *part. 6. Jur. nat.*) expresse dictis omnino æquiparanda (*not.* §. *cit.*). Quoniam tam quoad ea, quæ præstanda casu foederis existente, quam quoad determinandas circumstantias, quibus existentibus casus foederis existit, recta interpretatio admittenda (*not.* §. 466.), ideo non minus de casus foederis existentia, quam de iis, quæ vi foederis præstanda sunt, controversiæ oriri solent, quas evitatum iri equidem palam est, si omnia expresse dicerentur & absque omni ambiguitate, non tamen adeo facile evitare datur, prouti satis superque patet ex iis, quæ de interpretatione prolixe demonstrata sunt. Nimia scientia, sapientia & prudentia requireretur in eo, qui foederi pangendo par esse deberet, quod nulli dubitationi unquam obnoxia futura & nonnisi expresse dicta continere deberet: quidni etiam major sinceritas, quam plerumque sperare non datur? Utinam sufficeret semper hoc saltem dicere: foedera pangunt homines, a quibus quod humanum est non abest.

§. 665.

De foederato bello implicito.

Si foederatus ipse bello implicitus iis indiget, quæ vi foederis præstanda forent foederato; ad ea præstanda non obligatur: quodsi bello proprio obstante præstare possit, præstare adhuc tenetur, & de eo standum est ipsius judicio. Etenim si foedus belli initur, cum in eo conveniatur de auxiliis, subsidiis & aliis, quæ in bello adjumento esse possunt (§. 655.), foederatus unus se alteri perfecte obligat (§. 377.) ad ea, quæ naturaliter ipsi jam debebat (§. 656.). Quamobrem cum Gens nulla alteri præstare teneatur, quod in potestate sua non habet (§. 160.), in eadem vero non habeat, quod alteri præstare nequit nisi cum neglectu officii erga seipsam (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*); si foedus belli pangitur, illud factum intelligitur sub tacita hac exceptione, nisi quod promittitur qui promittit, eodem ipsemet indigeat, tunc temporis, quo præstanda forent.

Quo-

Quoniam itaque nemo alterum ſibi obligare poteſt ultra voluntatem ſuam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); ſi foederatus ipſe bello implicitus iis indiget, quæ vi foederis præſtanda forent foederato, ad ea præſtanda non obligatur. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi bello proprio non obſtante ea præſtare poſſit, de quibus in foedere conventum, ratio ceſſat, cur bello ipſemet implicitus præſtare non tenetur, quod foederato promiſit, vi demonſtrationis primi. Juſta igitur cum deſit excuſatio, obligatione ex foedere contracta (§. 377.) ſubſiſtente (§. 170. *Ontol.*); quamvis bello implicitus ſit, attamen adhuc præſtare tenetur, quod in foedere promiſſum. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero qui bellum gerit, & Remp. adminiſtrat, omnium optime novit, quantum ferant humeri ſui, quid ferre recuſent; ideo utrum bello proprio non obſtante præſtare poſſit foederato, quod in foedere promiſſum eſt, nec ne, ipſius judicio relinquendum, præſertim cum alter, qui ipſius ope indiget, non facile præſumatur contra ſe ſententiam laturus, utut ferre deberet. Quamobrem in eo ſtandum eſt judicio ejus, a quo adimpletio foederis petitur. *Quod erat tertium.*

Belli fortuna nimis fallax eſt, & eventus admodum dubius eſt, nec pericula inde oritura certo prævideri poſſunt, immo citra omnem expectationem haud raro emergunt. Quamobrem prudentiæ eſt non nimis confidere viribus ſuis, ſed potius minus de iis ſperare, quam in ipſis eſt. Difficillimum itaque cum ſit judicium, quid bello proprio non obſtante præſtari poſſit foederato; tanto omnino æquius eſt, ut judicium de eo relinquatur ei, qui præſtare debet, ne, ſi contingat eundem ſibimetipſi defuiſſe, dum profuit alteri, juſtas habeat contra alterum conquerendi cauſas.

§. 666.

§. 666.

Si in foedere belli promissa annona, promissor autem ejus penuria laboret; foederato annona non suppeditanda. Qui enim in foedere penuria laborat, is vix habet, quod necesse est. Quamobrem cum impossibile sit, ut annonam alteri suppeditet, qui vix habet, quanta ipsemet indiget, nulla autem detur obligatio ad id quod impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si in foedere belli promissa annona, promissor autem ejus penuria laboret, foederato annona non suppeditanda.

De annona in foedere belli promissa.

Nemo non videt, foederi inesse tacitam hanc exceptionem, nisi penuria obstet; id quod justæ interpretationi convenit (§. 537. 538. *part. 6. Jur. nat.*). Pactum in casu emergente invalidum efficitur (§. 633. *part. 3. Jur. nat.*). In moralibus nimirum pro impossibili habetur, quod illæso officio erga seipsum indispensabili, quale est conservatio sui ipsius, præstari nequit. Ceterum casus præsentis expressam mentionem ideo fecimus, ut appareat, etiamsi ipsemet bello implicitus non sis, emergere tamen posse casus adhuc alios, in quibus foederato recte denegatur, quod in foedere belli promissum. Casus illi facile dignoscuntur, modo intelligas, quorumnam exceptio omni foederi per justam interpretationem insit (§. 536. & *seqq. part. 6. Jur. nat.*).

§. 667.

Si foederati duo bellum gerant, & utrique in foedere promissa præstari possint, præstanda sunt; sin minus, præferendus, cum quo foedus antiquius est. Foedera enim sancta Gentibus habenda (§. 547.), consequenter ut sint ab omni violatione immunia (§. 546.), ad amussim adimplenda. Quodsi ergo foederati duo bellum gerant & utrique in foedere promissa præstari possint, cum nihil obstet, quo minus foedus cum utroque factum adimpleas, præstanda omnino sunt. *Quod erat unum.*

De Duobus foederatis bellum gerentibus.

Enimvero si casus emergat, in quo utrique foederatorum simul præstari nequit, quod promissum; foederatus prior præfertur posteriori (§. 386.). Quodsi ergo duo foederati bellum gerant & utrique in foedere promissa præstari nequeunt, præferendus omnino est, cum quo foedus antiquius est. *Quod erat alterum.*

Vide, quæ supra eam in rem annotavimus (*not.* §. 386.). Quoniam vero a voluntate tua minime dependet, quemnam foederatorum alteri præferre volueris; nihil hic valent rationes suasoriæ. E. gr. ponamus in foedere priori promissa esse auxilia gratis, in posteriori autem pro certa pecuniæ summa. Etsi foedus prius tibi sit onerosum, posterius autem magis favorabile; non tamen propterea foederatum posteriorem priori præferre licet. Cessant hic etiam rationes aliæ, ob quas alias unus alteri præferendus, ubi tibi adhuc liberum est facere quod lubet. Ceterum cum in bello injusto non præstanda sint, quæ in foedere belli promissa (§. 659. 660.); superfluum foret addere, quod foederatus posterior præferendus priori, si hic bellum injustum gerat, illius autem justa sint arma: cum enim in hoc casu foedus nullum intelligatur cum priori, dici revera non potest, quod posterior priori præferatur, quin potius huic præstatur, quod promissum, quia foedus servandum, illi autem non præstatur, quia nihil debetur. Nulla igitur hic datur foederum collisio, ut exceptionem fieri necesse sit. Sane si uterque foederatus bellum injustum gerat, neutri debentur, quæ in foedere promissa sunt, sed utrique eadem deneganda (§. 659.).

§. 668.

De foederatis inter se commissis.

Si foederatus contra foederatum bellum gerat, etiam foederato priori contra posteriorem præstanda sunt in foedere belli promissa, nisi pactio prior expresse aliter facta, aut prioris foederati bellum sit manife-

manifesto injustum, quo in casu posterior præferendus priori. Etenim si in foedere priori simpliciter conventum, ut unus alteri in bello hoc vel istud præstet; tunc id præstandum esse contra omnes patet, consequenter per hoc, quod postea foedus cum aliquo initum, jus ex priori foedere quæsitum diminui ac tolli quoad novum foederatum minime potuit. Quamobrem cum nulla ratio sit, cur foederatus posterior excipiatur, utrique autem foederato in foedere promissa præstari minime posse per se pateat; foederatus utique antiquior præferendus (§. 667.), consequenter si foederatus contra foederatum bellum gerat, foederato priori contra posteriorem præstanda sunt in foedere belli promissa. *Quod erat primum.*

Enimvero si in foedere priori expresse fuerit dictum, ne ea, de quibus conventum, præstanda sint contra hunc, cum quo postea demum foedus initur; cum nemo obligetur ultra id, de quo conventum est (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), nec contra eum, cum quo foedus recentius est, præstanda sunt in foedere promissa illi, cum quo antiquius est. *Quod erat secundum.*

Quodsi denique arma foederati antiquioris manifesto sint injusta, cum obligatio ex foedere extendi nequeat ad arma injusta, (§. 659.), foederato priori nihil debetur. Quamobrem cum nihil obstet, quo minus posteriori præstentur in foedere cum ipso inito promissa; præstanda erunt adversus foederatum priorem. *Quod erat tertium.*

Foederatum priorem semper præferendum esse posteriori nulla habita ratione justitiæ belli, sunt qui contendunt, propterea quod judicium de justitia belli sit penes promissarium, non penes promissorem. Enimvero hoc perinde erit, ac de-

fendere, in pangendo foedere belli nullam rationem habendam esse justitiæ belli: quod quomodo admitti possit, non apparet. Cum enim concedendum sit, bellum injustum non esse gerendum; nec admitti potest, auxilia, subsidia & alia adjumenta ad bellum injustum esse promittenda. Quodsi vero promittere non debes opem in bello injusto ferendam; tuum quoque esse debet judicium de justitia belli, in quo alterum adjuvare debes, nec alteri jus in conscientiam tuam conferre potes: id quod plusquam servile foret, cum ne servus quidem domino imperante injusta facere debeat, nemine dissentiente. Ponamus me tibi promisisse, quod nummos tibi mutuos dare velim, quandocunque iisdem opus habueris, te vero nummos petere scortandi causa: ecquis dixerit, meum non esse judicium de eo, quomodo nummis sis usurus, ac ideo dandos esse, etiamsi noverim, te eos in mercedem meretriciam impensurum? Gentibus vero earumque Rectoribus non aliud jus est, quam quo utuntur inter se privati in statu naturali (§. 3.). Promissio de re illicita cum sit nulla; nec foedera belli ad ea extendenda, quæ illicita sunt. Qui bellum injustum gerit, monendus potius, ut arma injusta deponat, quam ut eadem promovere studeamus. Vide, quæ supra jam annotavimus (*not.* §. 659. 660.).

§. 669.

Si ejusdem foederis socii inter se committantur.

Si foederati ejusdem foederis fuerint socii, qui inter se committuntur; neutri præstanda sunt, quæ in foedere promissa. Si foederati ejusdem foederis fuerint socii, sine manifesta absurditate promitti nequeunt auxilia utrique contra utrumque. Quamobrem cum pacta ita sint interpretanda, ut absurdum evitetur (§. 529. *part.6. Jur. nat.*); evidens omnino est, opem ferendam non esse promissam nisi contra extraneum. Quodsi ergo socii inter se committantur, neutri præstanda sunt, quæ in foedere promissa.

In

In præsenti nimirum casu neutri sociorum ex foedere obligaris, atque neutri ex eo jus quoddam quæsitum (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Cessat igitur hic quæstio, quinam alteri sit præferendus.

§. 670.

Si foedus belli initum fuerit contra omnes, exceptis sociis; socii tantum intelliguntur, qui nunc sunt, non vero futuri, nisi expresse dicatur, & qui nunc sunt, & qui futuri sunt. Interpretatio enim pactorum facienda de eo, de quo verisimiliter fuit cogitatum (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Quodsi vero in foedere belli nominentur socii, de iis cogitatio animum paciscentium subit, qui nunc socii sunt, non vero de iis cogitare videntur, qui posthac futuri sunt, cum alias non simpliciter socios dixissent, sed eos, qui nunc sunt, & posthac futuri sunt, expresse a se invicem distinxissent. Quamobrem si foedus belli initum fuerit contra omnes, exceptis sociis, socii tantummodo intelliguntur, quos nunc una, vel pars altera contrahentium habet, non vero qui forsitan posthac futuri sunt. *Quod erat unum.*

De sociis in foedere belli exceptis.

Enimvero si expresse excipiantur socii & qui nunc sunt, & qui futuri sunt, cum nemo alteri obligari possit ultra voluntatem suam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), nullum est dubium, quin opem ferre non teneatur foederatus foederato contra eos, quos socios ipse habiturus est, quando is opem ejus implorat. *Quod erat alterum.*

In fraudem foederis prioris contraheretur foedus cum eo, qui in eo est, ut bello cum priore foederato implicetur. Quamobrem cum fraus omnis ab omni pacto abesse debeat (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*); istiusmodi foedus sanctitati foederum e diametro adversatur (§. 546. 547.).

§. 671.

De foedere belli sine justa excusationis causa non servato.

Si quis socio bellum gerenti non præstat ea, quæ in foedere promissa sunt, cum non habeat justam excusationis causam; eidem injuriam facit, & damnum, quod inde sentit socius, naturaliter resarcire tenetur. Etenim si quis justam habeat excusationis causam, cur in foedere promissa præstare nequeat, præstare non tenetur (§. 665. & *seqq.*). *Quod erat primum.*

Enimvero cum foedera sancta sint habenda Gentibus (§. 547.), adeoque præcise adimplenda (§. 546.); si nulla causa justa excusationis adsit *per demonstr. n. 1.* foedus utique violatur, non præstitis iis, quæ vi foederis præstanda sunt. Quamobrem cum ex foedere socio acquisitum sit jus perfectum ad ea, de quibus in eodem conventum (§ 377.), in violatione autem juris perfecti injuria consistat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); si quis socio bellum gerenti non præstat, quæ in foedere promissa sunt, cum non habeat justam excusationis causam, eidem injuriam facit. *Quod erat secundum.*

Damnum itaque, quod sentit socius sibi denegata ope vi foederis ferenda, cum per injuriam denegantis detur, *per demonstr. n. 2.* consequenter culpa ejusdem, damnum vero omne resarcire teneatur, qui idem culpa sua vel dolo dedit (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); si quis socio bellum gerenti non præstat ea, quæ in foedere promissa sunt, cum nullam habeat justam excusationis causam, damnum, quod is inde sentit, naturaliter resarcire tenetur. *Quod erat tertium.*

Non est, quod dicas, foedere non servante socio, nec alterum amplius obligari ad ferendam opem, si ipsum bello implicari contingat (§. 430.): non tamen in præsenti casu hoc sufficit, quia foedere confisus damnum incurrit ob foedus violatum, quod hic sumitur: id quod non semper necessaria fieri

satis

ſatis patet. Injuria in omni caſu foederis violati fit, aſt non ſemper conjunctum eſt cum damno, vel quod fortuna armis favet, vel quod defectus auxilii promiſſi aliunde ſuppletur, ſicuti & contingere poteſt, ut idem ſit damnum, ſive auxilium promiſſum mittatur, ſive minus.

§. 672.

In bello Medii dicuntur, qui neutri belligerantium parti adhærent, conſequenter bello ſeſe non immiſcent. Dicuntur vulgo *Neutrales*, quia neutri parti belli cauſa favent, & ſtatus Gentium, quæ nullam belligerantium partem in bello ſequuntur, vocatur *Neutralitas* & earum terræ appellantur *Terræ neutræ.* *Medii bello quinam ſint.*

Neutralitas potiſſimum reſpicit Gentes belligerantibus vicinas, ſeu quarum terræ vicinæ ſunt terris, in quibus bellum geritur, quamvis etiam extendatur ad eas, quæ cum non nimis remotæ ſint, uni parti opem in bello ferre poſſunt.

§. 673.

Foedus neutralitatis dicitur, quod cum Gente quadam pangitur eo fine, ut ſit media. *Foedus neutralitatis quid ſit.*

Equidem Gens aliqua etiam ſine foedere ipſo facto media eſſe poteſt, quatenus neutri belligerantium parti petenti ea præſtat, quæ in bello ipſi adjumento eſſe poſſunt & a ſociis præſtari ſolent, vel utrique ea præſtat, quæ Gens Genti naturaliter debet extra bellum; cum tamen interſit ſubinde unius belligerantium partis, ne forſan foedus ineat belli cum parte adverſa, aut etiam absque foedere opem in caſu emergente eidem ferat, conſequenter ne media maneat (§. 672.), foedus neutralitatis pangi ſolet (§. 377.), contra quod absque injuria nihil fieri poteſt (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 673.

§. 674.

An neutralitas naturaliter licita.

Genti unicuique naturaliter licitum est, ut sit in bello media, si e re civitatis fuerit bello potius abstinere, quam eidem sese immiscere, vel belli etiam causa dubia sit. Etenim cum jus omne populi naturaliter e fine civitatis sit metiendum (§. 30. *part. 8. Jur. nat.*), si e re civitatis fuerit bello potius abstinere, quam eidem sese immiscere, in potestate ipsius non esse patet, ut bellum etiam justum gerenti opem ferat (§. 610. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nec opem ferre naturaliter obligatur (§. 160.). Quamobrem cum naturaliter prorsus illicitum sit bellum injustum gerenti opem ferre (§. 656.); naturaliter utique licitum est, ut Gens in bello media sit, si e re civitatis fuerit bello potius abstinere, quam eidem sese immiscere (§. 672.). *Quod erat unum.*

Quodsi causa belli fuerit dubia, cum non constet, penes quamnam partem sit justitia belli (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*), in bello autem injusto opem ferre belligeranti non liceat (§. 656.), & qui conscientia dubia agit peccet (§. 448. *part. 1. Phil. pract. univ.*); neutri belligerantium parti adhærendum. Quamobrem cum Gens media sit, quæ neutri belligerantium parti adhæret (§. 172.); in causa dubia ut media sit licitum esse evidens est. *Quod erat alterum.*

Jus Gentium necessarium, quod *internum* vocat *Grotius*, & cujus ratio habenda est non modo in foro conscientiæ, sed etiam in gloria Gentis recte definienda, utique requirit, ut justitiæ causa attendatur in deliberando, utrum bello alieno te immiscere debeas, an vero ab eodem abstinere, nec sufficit, ut saltem saluti Reip. quid consentaneum sit spectetur. Non igitur opus est, ut Gentes mediæ judicium de belli justitia suspendant, etsi consultum sit ne id publice declarent, immo salus Reip. haud raro, si non plerumque silentium imponat. Quam-

Quamvis vero necesse non sit, ut judicium suum belligerantibus declarent; hoc tamen minime obstat, quo minus in decernendo eo, quod facturæ sunt belli præsentis causa, animum ad justitiam belli attendant, quemadmodum attendere debent, nisi Jus naturæ transgredi voluerint.

§. 675.

De neutralitate permittenda.

Genti unicuique ab utraque belligerantium parte permittendum, ut sit media, nisi foedere alteri obstricta sit. Etenim Genti unicuique permittendum, ut num alteri quid præstare possit citra officii erga seipsam neglectum suo stet judicio, & si quod petitur denegatur, id ferendum (§. 157.), consequenter etiam ferendum, ut, si e re sua minime esse ducat opem alterutri belligerantium parti ferre, neutri adhæreat, & vi libertatis naturalis eidem competentis (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*) conscientiæ ejus relinquendum, quid facere velit (§. 157. *part. 1. Jur. nat.* & §. 3. *h.*) nec ulli rationem reddere tenetur, cur hoc potius facere malit, quam aliud (§. 158. *part. 1. Jur. nat.* & §. 3. *h.*). Quamobrem cum Gens media sit, quæ neutri belligerantium parti adhæret (§. 672.); Genti unicuique ab utraque belligerantium parte permittendum, ut sit media. *Quod erat unum.*

Enimvero si alteri belligerantium parti foedere Gens obstricta sit, cum Gentes foederatæ sibi invicem ea prompte præstare debeant, de quibus in foedere conventum (§. 380.), & foedera sancta esse debeant (§. 547.), consequenter ab omni violatione immunia (§. 546.), ea parti foederatæ præstare in bello debet, de quibus in belli foedere conventum. Quoniam itaque Gens neutra non est, quæ parti belligerantium uni opem in bello fert, ac ideo eidem adhæret (§. 672.);

672.); Gens, quæ uni belligerantium parti foedere obstricta est, media esse nequit. *Quod erat alterum.*

Quoniam foedus ineundo ad opem in bello ferendum Gens una alteri se perfecte obligat (§. 377.); eo ipso quoque sese declarat, quod media esse nolit, & sese obligat, ut mediam esse non liceat, atque hoc modo foedere neutralitas efficitur illicita. Per se autem patet, si in casu emergente cesset obligatio foedere contracta, id quod fieri posse ex superioribus patet (§. 660. 665. *& seqq.*), neutralitatem non amplius esse illicitam, consequenter licitam. Atque ideo notanter diximus, nisi foedere Gens alteri obstricta sit, non vero si cum altera parte belligerantium foedus, ante bellum scilicet, quod per se intelligitur, initum fuerit. Neque enim hic quæritur, num foedus fuerit initum, sed num obligatio foedere contracta in casu emergente subsistat.

§. 676.

De jure pangendi foedera neutralitatis.

Foedus neutralitatis naturaliter licitum est, si Genti, cum qua pangitur, naturaliter licitum, ut sit media, & eidem permittendum, ut cum una belligerantium parte pangat foedus neutralitatis, nisi alteri foedere belli obstricta sit. Genti enim unicuique naturaliter licitum est, ut sit in bello media, si e re civitatis fuerit a bello potius abstinere, quam eidem sese immiscere, vel etiamsi belli causa dubia sit (§. 674.). Quamobrem cum ea, quæ licita sunt, facere non prohibearis (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); a voluntate quoque Gentis uniuscujusque dependet, utrum sese alteri obligare ad hoc velit, ut sit media, nec ne. Quoniam itaque foedus pangendo sese perfecte obligat alteri & foedus neutralitatis est, quo se ad hoc obligat, ut sit media (§. 673.); ideo patet, foedus neutralitatis licitum esse, si Genti, cum qua pangitur, licitum, ut sit media. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero Genti unicuique permittendum ab utraque belligerantium parte, ut sit media, nisi foedere alterutri fuerit obstricta (§ 675.). Ergo etiam ipsi permittendum est ab una belligerantium parte, ut foedus neutralitatis pangat cum parte altera, si illi nullo foedere belli obstricta fuerit. *Quod erat alterum.*

Foedere hoc neutralitatis ex naturaliter licito fit debitum: id quod nihil iniqui habet, de quo pars altera belligerantium conqueri possit, quippe quæ ad foedus belli ineundum secum eam compellere nequit.

§. 677.

Qui foedus neutralitatis init, eidem, cum quo id pangitur, se obligat, quod nolit partem ipsi adversam in bello juvare, ipsiusmet autem motus nullo modo impedire. Cum enim ex foedere nascatur perfecta obligatio (§. 377.), qui foedus neutralitatis init cum altero, eidem se obligat ad ea, de quibus in foedere isto conventum. Quamobrem cum in eo conveniatur, quod, qui medius esse debet, seu neutrarum partium, bello sese nullo modo immiscere debeat (§. 67[illegible]); qui medius esse debet, obligatur nullo modo sese bello immiscere. Quoniam itaque bello se immiscet in præjudicium ejus, qui securitatis sua causa foedus pangit, si parti adversæ opem quomodocunque ferat in bello, aut ipsius motus impediat; qui foedus neutralitatis pangit ei, cum quo fit foedus, sese obligat, quod nolit partem ipsi adversam in bello juvare, nec ipsiusmet motus ullo modo impedire.

De obligatione ex foedere neutralitatis.

Qui foedus neutralitatis pangit cum belligerante, aut id facit commodi sui causa, aut in gratiam belligerantis. In casu priori consensum belligerantis requirit, ut sibi liceat esse

neutrarum partium; in posteriori belligerans petit, ut sit neutrarum partium. In casu priori primario respicitur securitas ejus, qui neutrarum partium est, ne quod damnum occasione belli patiatur; in posteriori autem securitas belligerantis, ne motus ipsius ullo modo impediantur, vel partis adversæ potentia efficiatur validior. In casu priori neutralitas conceditur ei, qui neutrarum partium esse vult; in posteriori a belligerante impetratur. Quamvis itaque foedus neutralitatis utrique contrahentium parti sancta esse debeat (§. 547.); in casu tamen priori magis is, qui neutrarum partium esse vult, in posteriori belligerans sibi cavere debet, ne quid contra foedus committat.

§. 678.

Obligatio specialis respectu partis adversæ ei, cum quo foedus initum.

Quoniam *qui foedus neutralitatis init*, belligeranti sese obligat, quod partem ipsi adversam in bello juvare nolit (§. 677.); *parti belligerantium alteri nec auxilia mittere, nec subsidia præstare, nec annonam, nec arma, nec alia, quæ in bello usum saltem habent, aut quocunque modo adjumento esse possunt, suppeditare debet.*

Qui neutrarum partium esse vult, a bello ita abstinere debet, ut in gratiam belligerantium nihil prorsus faciat, quod parti uni prodesse possit. Et ad hoc sese obligavit ei, cum quo foedus pepigit, respectu partis eidem adversæ (§. 677.). Ita si annona, vel tormenta deficiant, ea suppeditare indigenti nequit, nec potest permittere ut pars adversa foederato suo militem in territorio suo conscribat, cum hoc perinde sit ac mittere auxilia. Similiter subditis suis permittere nequit, ut mutuo dent pecunias, cum hoc perinde esse videatur ac dare subsidia.

§. 679.

Obligatio directe respiciens foederatum.

Cum *qui foedus neutralitatis init*, belligeranti sese obligat, quod ipsius motus nullo modo impedire velit (§. 677.); ideo *nec quicquam facere debet, quod quocunque modo obesse possit foederato suo, etsi eodem opem directe non ferat parti eidem adversæ, qua vel inscia facit quod facit, & cui nihil præstatur, veluti si auxilia suppetias ventura, dum per territorium suum transeunt, studio moratur, ne in tempore adveniant, vel si fruges coëmit ab iis, a quibus eas petit foederatus, eo fine, ne is sufficientem copiam habere possit. Idem intelligitur de apparatu quocunque bellico.*

Exemplum simile est, si instigetur populus pacatus, ne permittat, ut militem in territorio suo conscribat, quod antea concedebat, aut ne vendat, quæ in bello usui sunt. Nimirum actus, quibus quis sese bello immiscet, duplices sunt, quorum alii alteram belligerantium partem directe respiciunt, & quibus eidem subvenitur; alii vero non nisi indirecte respiciunt, & quibus eidem nocetur. De his intelligenda est propositio præsens; de ista præcedens (§. 678.).

§. 680.

De obligatione belligerantium ex foedere neutralitatis.

Belligerantes foedus ineuntes neutralitatis se obligant ei, qui neutrarum partium est, quod ipsis & rebus ipsius vim hostilem inferre nolint. Etenim cum in foedere neutralitatis conveniatur, ut neutri belligerantium parti adhæreat, qui in bello medius esse vult (§. 672.); cum eo animo neutrarum partium quis esse velit, ut malorum, quæ bellum post se trahit, sit immunis, belligerantes utique ad præstandam immunitatem istam sese obligant, & per consequens ab omni hostili vi contra eam abstinere debent. Quamobrem patet eas vi foederis perfecte obligari, ut ipsi ac rebus ipsius vim hostilem nullam inferre velint (§. 377.).

In eos, qui in bello medii ſunt, nullum jus belli competit belligerantibus cum nullam ipſis injuriam fecerint, quæ ſola jus ad bellum dat (§. 617.). Immo cum ipſis permittendum ſit naturaliter, etiam ſine foedere, ut neutrarum partium ſint (§. 675.), ac ideo jure ſuo utantur, dum eſſe volunt; quando ſunt, nullam belligerantibus injuriam faciunt (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Quod igitur in hoſtem licet, non licet in eos, qui in bello medii ſunt. Enimvero quod naturaliter jam debetur, ad id vi foederis ſe obligant belligerantes foedus neutralitatis pangentes. Dum igitur in neutralitatem conſentiunt, in immunitatem malorum, quæ bellum poſt ſe trahit, conſentiunt, & ſic ad eam præſtandam, conſequenter ab omni vi hoſtili contra ipſos abſtinendum ſeſe obligant. Abſurdum foret, belligerantibus liberum eſſe, ut damna dent iis, qui in bello medii ſunt, cum hi ſibi cavere debeant, ne noceant ullo modo belligerantium parti alteri.

§. 681.

Quale foedus contineat foedus neutralitatis. Quoniam belligerantes foedus neutralitatis ineuntes ſe obligant ei, qui neutrarum partium eſt, quod ipſi ac rebus ipſius vim hoſtilem inferre nolint (§. 680.), ſicuti etiam hic ſe iſtis obligat, quod nil in favorem unius facere velit, quod noceat alteri, vel quo motus ejus impediantur (§. 677.); *foedus neutralitatis ſimul continet foedus ſi non de non lædendo, ſaltem de non nocendo & ſpecies quædam foederis amicitiæ eſt* (§. 394.).

Superius (§. 293.) diximus foedera inire de non lædendo neceſſe non eſſe, quia ſcilicet jus perfectum ad læſionem non ferendam naturaliter jam competit (§. 913. *part. 1. Jur. nat.*), nec demum opus eſſe ut ex pacto acquiratur (§. 377.). Quemadmodum vero ibidem excepimus caſum ſi Gentis cujusdam ea ſit opinio, quaſi Gentes exteras pro lubitu lædere liceat; ita nec in præſenti caſu ſuperfluum & pangere foedus de

de non lædendo, aut ſaltem de non committendo, ex quo nocumentum quoddam reſultare poteſt. Si enim arma juſta ejus ſunt, cui quis ſe ſociat; nocumentum, quod affert alteri, læſio proprie non eſt, ſit ita quod per inconſtantiam loquendi talis haud raro dicatur. Ceterum nemo eſt, qui neſciat, belligerantes, etſi non debeant, naturali tamen obligatione non obſtante multa committere, quibus injuria affertur Gentibus vicinis. Quamobrem ſuperfluum non eſt, ut foedera neutralitatis pangantur, cum pudoris major efficacia eſſe ſoleat, quam obligationis naturalis: unde pudorem omnem exuiſſe dicuntur, quibus nec ſanctam pactorum fidem violare religioni eſt. Et revera ineſt violationi huic major turpitudo, quam actui legi prohibitivæ in præſenti caſu contrario, & pudor vincit affectus pravos alios, quibus belligerantes incitantur ad lædendum Gentes vicinas, quæ a bello abſque foedere abſtinent. Sed de his diſertius dicere non eſt hujus loci. Sufficit excitaſſe attentionem eorum, qui ſatis perſpicaciæ habent ad talia profundius rimanda. Pertinet autem uberior horum tractatio ad Ethicam, ſeu Philoſophiam moralem Gentium.

§. 682.

Quando foedera neutralitatis cum utraque belligerantium parte pangendum.

Foedera neutralitatis pangenda ſunt cum utraque belligerantium parte ab ea Gente, cujus territorium vicinum eſt terris, in quibus bellum geritur. Etenim ſi Gentis cujusdam territorium terris, in quibus bellum geritur, vicinum eſt; facile contingit, ut tam ab una, quam ab altera belligerantium parte damna dentur & injuriæ eidem afferantur. Quamobrem cum per foedus neutralitatis id præcaveatur (§. 680.); ab ea Gente, cujus territorium vicinum eſt terris, in quibus bellum geritur, foedera neutralitatis pangenda ſunt cum utraque belligerantium parte.

Si Gentis territorium ſit procul remotum a terris, in quibus bellum

bellum geritur, intereſt ſaltem partis unius belligerantium, ne opem ea ferat alteri, veluti auxilia mittendo, aut ſubſidia præſtando. Et tunc per foedus neutralitatis ſaltem cavetur, ne hoc fiat. Plerumque tamen Gentes theatro belli vicinæ in eodem mediæ eſſe ſolent, atque tunc foedus cum utraque belligerantium parte pangendum, modo pars utraque conſentire velit in neutralitatem. Quamvis enim conſentire debeat (§. 675.); non tamen Gentes earumque Rectores ſemper faciunt, quod facere lege naturali obligantur. Sane ſi huic legi in præſenti caſu obtemperarent, foedere neutralitatis prorſus non foret opus (§. *cit.*).

§. 683.

De iis, quæ a Gentibus mediis utrique belligerantium parti præſtanda.

Qui neutrarum partium ſunt, ea præſtare utrique belligerantium parti debent, quæ jure Gentium debentur extra bellum, niſi expreſſe de quibusdam aliter conventum, quæ reſpectum ad bellum habere poſſunt. Etenim in foedere neutralitatis ſaltem convenitur, ne Gens, quæ media eſſe vult, parti neutri belligerantium opem ferat, vel motus belli ex parte una impediat (§. 677. 639.), conſequenter ut ita ſe gerat, ac ſi bellum non eſſet. Patet itaque foedere iſto minime contineri, ut non præſtentur ea, quæ Jure Gentium extra bellum debentur. Quamobrem cum qui neutrarum partium eſt, parti uni non magis favere debeat, quam alteri; utrique belligerantium parti præſtare debet ea, quæ jure Gentium extra bellum debentur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi de quibusdam, quæ reſpectum quendam ad bellum habent, aliter fuerit conventum, cum foedera ſancte ſint ſervanda (§. 380. 547.); per ſe patet, ſtandum eſſe eo, de quo conventum fuit. *Quod erat alterum.*

Qui neutrarum partium ſunt, eorum reſpectu bellum non

est, ipsi vero utrique belligerantium amici sunt. Quæ igitur extra bellum, seu pacis tempore, Gentibus præstantur a Gente, ea etiam præstanda sunt utrique belligerantium parti. Quod uni præstatur, id præstandum quoque alteri est, si eodem indiget. Potest autem conveniri, ut etiam quædam præstentur, quæ respectum quendam ad bellum habent, vel ut non præstentur, quæ quidem per se ad bellum minime faciunt, propter casum vero emergentem respectum quendam ad idem habere possunt, & tunc illa utrique præstanda, hæc utrique deneganda sunt. Foedera neutralitatis non semper omni vacant injuria; sed ut malum minus præferatur majori, toleranda sunt, quæ mutari non possunt.

§. 684.

Quænam a Gentibus mediis utrique belligerantium parti præstanda.

Quoniam qui neutrarum partium est, parti utrique belligerantium præstare debet ea, quæ jure Gentium debentur extra bellum (§. 683.), exteris vero permittendum est, ut in territorium nostrum accedant & res æquo pretio sibi comparent (§. 58. *h.* & §. 694. *part. 6. Jur. nat.)*, ut ob justas causas in eodem commorentur (§. 692. *part. 6. Jur. nat.)*, & per terras nostras transeant (§. 689. *part. 6. Jur. nat.)*, & ut commodæ quietis causa in domus recipiantur, ubi cum rebus suis commode ac secure pernoctare, ciboque ac potu salubri frui possunt, & equis pabulum suppeditatur, atque operæ, quibus indigent, pro æquo pretio præstantur (§. 350.), immo erga peregrinos apud nos commorantes, vel transeuntes officiosi esse debemus (§. 351.), nisi aditus in terras nostras peregrinis ob rationes singulares fuerit prohibitus (§. 295.); *Qui neutrarum partium sunt, utriusque belligerantium partis militibus ac subditis aditum in territorium suum & transitum per terras suas tutum concedere ac permittere tenentur, ut*

justi negotii causa in illo commorentur & res, quibus indigent, æquo pretio sibi comparent, ac utrisque æque officiosos sese præbere debent.

Nimirum quæ a Gente neutrarum partium peregrinis præstantur, si nullum est bellum, ea etiam præstanda sunt tempore belli utrique belligerantium parti. Aque adeo nihil difficultatis esse potest in determinandis iis, quæ a Gente media recte fiunt, aut fieri non debent, in casu quolibet dato. Ea enim fieri debent, quæ facienda sunt, si bellum non est, ut diximus: cavendum saltem est, ne quid fiat, quod prodit majorem favorem erga partem unam, quam alteram, ne iusta detur parti uni de neutralitate non exacte servata querela, tanto magis vitanda, quanto facilius malorum fomes existit.

§. 685.

Exempla eorum, quæ vi foederis a Gente neutra præstantur, & denegantur.

Quia neútri belligerantium parti præstanda, vel præstanda utrique sunt ea, de quibus specialiter conventum fuit (§. 683.); *si conventum fuerit, ne Gens neutrarum partium aditum concedat in territorium suum, nec permittat transitum, aut ut annonam in eo sibi comparare liceat, utriusque belligerantium partis militibus aditus in terras neutras non concedendus, nec transitus per eas permittendus in casu priori, ast in posteriori parti utrique concedendum, ut annonam ex terris neutris petat.*

Exempli quasi loco casus hosce particulares in medium afferre libuit, ut appareat, quomodo propositio generalis in casibus particularibus applicanda, & ne quid obscuritatis remaneat, quo minus recte intelligatur.

§. 686.

De jure transitus innoxii copia-

Gens una copiis militaribus Gentis alterius transitum innoxium permittere debet. Etenim transitus ad justas causas per terras dominio subjectas denegari nemini potest, nisi adsit metus

rum per territorium alienum.

metus justus damni (§. 689. *part. 6. Jur. nat.*), consequenter permittendus, si fuerit innoxius. Quoniam itaque Gentes eodem jure inter se utuntur (§. 3.), cumque iisdem jus belli competat (§. 613.), nec alteri Genti competit judicium de eo, quomodo jure suo utantur, utrum recte; an minus recte (§. 156. *part. 1.* & §. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter transitus copiarum militarium belli causa spectandus est tanquam transitus ad justam causam; si is fuerit innoxius, permittendus.

Recte jam monuit *Grotius* l. 2. c. 2. §. 13. n. 4. excipi non posse, quod transitum permissurus metuat multitudinem transeuntium: cum enim non desint rationes cavendi, quas idem recenset, scilicet ut divisis manibus transmittantur copiae, aut inermes, vel ut petantur obsides (§. 497.), metus justus non est, injustum autem metum non tollere jus alterius, in casu simili jam supra annotavimus (*not.* §. 640.). Occurrunt quoque hinc inde in iis, quae de aequilibrio inter Gentes supra demonstravimus & annotavimus (§. 646. & *seqq.*), quae lucem aliquam affundere possunt.

§. 687.

Quid transeuntibus observandum.

Quoniam copiis militaribus jure Gentium non permittendus nisi transitus innoxius (§. 648.); *copiae militares per alienum territorium transeuntes via regia ire, nec ad possessiones privatas deflectere, si qua re indigent, pro ea justum pretium solvere, non vero res alienas rapere, & ab omni quacunque laesione, vel injuria abstinere debent.*

Jus enim transitus innoxii, quod natura competit, ac ideo citra injuriam auferri cuidam nequit (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*), non convertendum est in licentiam, ut extendatur ultra limites, intra quos continetur, ac ideo conjunctus esse nequit ejus usus vel cum minimo damno permittentis, seu sub-

ditorum ejusdem. Ceterum adhuc dubium quoddam removendum eſt, quod uni vel alteri ſubnaſci poterat. Diximus in ſuperioribus, falſam eſſe eorum ſententiam, qui contendunt, judicium de juſtitia belli non eſſe penes eum, qui bello ſe immiſcent, ſed penes eos, qui bellum gerunt (*not.* §. 668.), nec foedus belli pangi poſſe cum eo, qui bellum injuſtum gerit (§. 658.); modo autem aſſeruimus, foedera neutralitatis pangenda eſſe cum utroque belligerantium parte (§. 682.), cum tamen bellum ex utraque parte juſtum eſſe nequeat (§. 633.). Similiter in præcedente propoſitione affirmamus, tranſitum copiarum per terras ſuas a Gente una alteri permittendum ſine exceptione (§. 686.), conſequenter nulla habita ratione juſtitiæ belli: id quod perinde eſſe videtur ac defendere, aut ſaltem ſupponere, quod Gens nulla judicium ſibi ſumere poſſit de jure, quo altera quædam Gens bellum gerit. Enimvero quando foedus neutralitatis cum belligerantibus pangitur, id agitur, ut belligerantes ſe obligent ad permittendum, ne nos bello immiſceamus neutram partem in eo ſequentes (§. 672. 673.): id quod nulla ex parte adverſatur iis, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt. Cum enim bellum ex una belligerantium parte ſemper injuſtum ſit (§. 634.); qui neutri parti adhæret, is nec bello injuſto ſe immiſcet, quod illicitum (§. 656.), nec juſto, quia hoc in poteſtate ſua non eſſe judicat, conſequenter hoc facere non tenetur (§. 160.). Et quoniam Genti unicuique naturaliter jus belli competit (§. 613.), jure ſuo abutitur, qui bellum injuſtum gerit. Quamobrem cum naturaliter unicuique permittendus ſit juris ſui abuſus (§. 156. 157. *part. 1. Jur. nat.*), & Gens una quæque periculum interitus (§. 33.), & ea, quæ perfectionem ipſius quomodocunque impediunt, aut ſtatum ejusdem imperfectiorem reddunt, vitare atque a ſe avertere debeat (§. 36.); tranſitum copiarum innoxium per terras ſuas permittere poteſt etiam ad bellum injuſtum, ſi eum prohibere nequeat. Aliud nimirum eſt, non impedire, ne alter peccet, cum ad impedien-

dum

dum non sis obligatus; aliud vero adjuvare alterum, ut peccare possit. Quodsi vero vel maxime dicas, non minus ab alia Gente, quam a te damna & pericula esse avertenda (§. 156.); idem tamen non intelligitur nisi in eo casu, in quo id fieri potest citra neglectum officii erga teipsum (§. *cit.*) & in casu collisionis officium erga seipsum vincit officium erga alios (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ. &* §. 206. *h.*). Non igitur obstat, quod alibi monuimus (*not.* §. 689. *part. 6. Jur. nat.*), in concedendo transitu per terras considerandum esse, num petatur ob justas causas, ne tibi factum alienum imputari possit, quod cum impedire posses, impedire noluisti: etenim in casu præsenti supponitur, te transitum impedire non posse, nisi officio erga teipsum deesse velis, in moralibus autem physice impossibili æquiparatur, quod moraliter tale est. Ecquis vero est, qui nesciat, neganti transitum sæpe parari bellum, aut etiam armis peti, quod precibus non potest obtineri, ac per consequens transitum innoxium in noxium abire?

§. 688.

Qui cum exercitu per terras alterius Gentis iter facere vult; transitum petere debet. Transitus enim innoxius esse debet (§. 686. 687.). Quamobrem cum vi libertatis naturalis Genti unicuique competentis (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*) penes ipsam sit judicium de eo, utrum transitus sit innoxius, nec ne (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), & ut innoxius sit, de uno, vel altero conveniri sæpe necesse sit, immo haud raro etiam quædam eo fine ordinanda, veluti ut transeuntes absque illorum incommodo, per quorum fines transeunt, habere possint ea, quibus opus habent; qui cum exercitu per terras alterius Gentis iter facere vult, transitum petere debet. *De transitu petendo.*

Non est, quod excipias, transitum per terras occupatas esse jus innoxiæ utilitatis, quod ex communione primæva resi-

duum (§. 687. *part. 6. Jur. nat.*), consequenter jus, quod natura habes, non demum precibus ab altero impetrandum esse. Etenim id demum locum haberet, nisi justæ darentur causæ denegandi transitum, quæ obstant, quo minus is ad usum rei alienæ innoxium referatur. Sane quamvis naturaliter etiam alteri concedere debeamus innoxium rei nostræ usum, & inde veniat contractus commodati, quo alteri usum rei nostræ gratis concedimus (§. 418. *part. 4. Jur. nat.*); non tamen propterea usum rei alienæ sibi arrogare potest invito domino, ac ideo contractu eum demum acquirere tenetur. Idem itaque etiam observandum est in usu innoxio earum rerum, quæ sunt in dominio Gentium (§. 3.), & qui singula accurate perpendere voluerit, quæ de commodato demonstrata sunt, & ingenium acumine stipatum possidet; is in hisce non unum reperiet, quod argumento de transitu innoxio per terras occupatas lucem affundere potest, atque ad præsentem inprimis casum itineris cum exercitu per terras Gentis alterius faciendi utiliter applicabit. Accedit in casu præsente, ut ei, per cujus terras cum exercitu iter quis facere vult, constare debeat, quo animo is veniat.

§. 689.

An concessione transitus injuria committatur in eum, contra quem conceditur.

Qui transitum cum exercitu per terras suas concedit petenti, ei, contra quem eodem opus habet, injuriam minime facit. Etenim transitus innoxius per terras suas Genti a Gente permittendus (§. 686.). Quamobrem cum nemini competat jus prohibendi, ne alter faciat, ad quod faciendum obligatur (§. 170. *part. 1. Jur. nat.*); si petenti conceditur transitus cum exercitu per terras suas, nihil fit, quod est contra jus ejus, contra quem eodem opus habet. Quoniam itaque injuria non committitur, si nihil committatur, quod est contra jus alterius (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); qui transitum cum exercitu

citu per terras ſuas concedit petenti, ei, contra quem eodem opus habet, injuriam minime facit.

Quod incommodum ſentiat ex tranſitu pars belligerantium altera, id ei jus non dat ad jus tranſeunti adimendum, aut jus ad tranſitum minime ferendum. Quod enim huic incommodum, id tranſeunti commodum. Unde contradictorium foret, ſi quis utilitate ſua jus ſuum metiri vellet: nulla ſcilicet foret ratio, cur non uni perinde ac alteri ex utilitate jus naſceretur, niſi tandem admittere velis jus eſſe validioris, prouti piſcis major devorat minorem. Et tunc æquilibrii conſervandi cauſa inter Gentes potentiam prævalentis vi armata diminuere liceret, etiamſi nulla alia belli cauſa proſtaret: id quod Juri naturæ adverſari ſupra oſtendimus (§. 646.). Non negamus perverſa iſta opinione regi eos, qui, cum præpotentes ſint, potentia ſua confidunt: aſt hic non quæſtio eſt de facto, ſed de jure.

§. 690.

An is, contra quem conceditur transitus, eum prohibere poſſit.

Quoniam tranſitum per terras ſuas cum exercitu concedens petenti, injuriam minime facit ei, contra quem exercitus proficiſcitur (§. 689.); *ſi quis copiis alterius tranſitum concedit per terras ſuas, ei, contra quem conceditur, hoc ferendum, nec eidem competit jus id prohibendi.*

Qui tranſitum petit & qui concedit jure ſuo utuntur (§. 343. 686.). Nemini autem competere poteſt jus prohibendi, ne quis jure ſuo utatur, quod per ſe patet. Vide, quæ modo annotavimus (*not.* §. 689.). Quamdiu nulla tibi fit injuria, quid alter faciat ferendum. Abſurditas vero prohibendi, ne tranſitus permittatur, vel ex eo manifeſta eſt, quod, ſi tu eodem opus haberes, ægre laturus ſis, ſi alius prohibere vellet, ne tibi concederetur. Quod vero jure connato, ſeu natura competente, tibi fieri non vis, id nec alteri feceris (§. 101. *part. 1. Jur. nat.*). Quod natura Genti uni licitum, id etiam

etiam licitum est alteri & quod uni non licet, idem nec licet alteri (§. 18.): æqualitas naturalis minime tollitur, quod Gens una potentior altera, cum jura Gentium non ex potentia deriventur.

§. 691.

Si is petat, ne transitus concedatur; si minas addat.

Si quis petit, ne copiis militaribus contra se transitus permittatur; id quod petitur jure denegatur: quodsi tamen non vanus sit metus, ne is concedenti bellum inferat, aut alio modo noceat, transitus denegari potest. Etenim Gens una copiis militaribus alterius transitum innoxium permittere debet (§. 686.). Quamobrem cum ex hac obligatione nascatur jus precibus ejus non dandi locum, qui petit, ne transitus permittatur (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), nec petenti competat jus id prohibendi (§. 690.), quod absque injuria ipsi facta fieri potest (§. 689.); si quis petit, ne copiis militaribus contra se transitus permittatur, id quod petitur jure denegatur. *Quod erat unum.*

Enimvero si non vanus sit metus, ne is, contra quem transitus conceditur, concedenti bellum inferat, aut alio modo noceat, cum transitus non sit innoxius, sive ex ipso damnum detur, sive ex eodem sequatur, seu is causam damni det, transitus non amplius innoxius est. Quamobrem cum Gens Genti non ad transitum sibi noxium, sed ad innoxium concedendum obligetur (§. 686.); si non vanus sit metus, ne is, contra quem transitus conceditur, concedenti bellum inferat, aut alio modo noceat, transitus denegari potest. *Quod erat alterum.*

Metus vanus non est, si justas habuerit causas, aut, si mavis, rationes sufficientes. Ponamus prohibentem, ne transitus concedatur, addere minas belli inferendi: ubi is satis potens fuerit

rit ut verbis factum addere valeat, metus sufficientem habet rationem (§. 822. *Psych. empir.*), nec injustus est metus, cum periculum omne a te avertere tenearis (§. 33.) ac inde tibi nascatur jus ad ea, sine quibus id averti nequeat (§. 34. 37.). Quamvis vero mediis illicitis non uti liceat ad consequendum finem licitum (§. 71.); hoc tamen minime obstat, quo minus minis non vanis te abduci patiaris a transitu concedendo, cum denegatio transitus illicita dici nequeat, in casu collisionis officio erga teipsum vincente officium erga alium (§. 206.), & damno quod ex denegato transitu, petenti, vel tertio, cujus causa transire vult, subnascente pro casuali habendo (§. 630. *part. 2. Jur. nat.*). Et licet negari non possit, prohibentem ne transitus concedatur, nullo jure agere (§. 690.), quin potius jus tuum violare (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter injuriam facere tibi (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), dum te in juris tui usu impedire conatur (§. 686. *h.* & §. 158. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec hoc obstat, quo minus te a concedendo transitu abduci patiaris. Etenim tibi competit jus ad ea, sine quibus damnum averti nequit (§. 493. *part. 2. Jur. nat.* & §. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque hoc modo denegatio transitus induit naturam defensionis adversus injurias (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo jure tuo transitum tibi ex injuria tertii noxium futurum denegas (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*). Vides quam pulchre omnia in Jure naturæ ac Gentium inter se conspirent, modo omnem obligationum ac jurium inde descendentium nexum intime perspectum habueris: id quod aliter obtineri nequit nisi ope systematis veri nominis, quale condere placuit.

§. 692.

Quoniam transitus petenti jure denegatur, *si non vanus sit metus, ne is, contra quem conceditur, bellum tibi inferat, aut invito alio modo noceat* (§. 691.); *te invito transituro vi resistere licet.* *De eo, qui te invito transire vult.*

Nimirum alteri nullum competit jus ad transitum tibi noxium (§. 686.), ac ideo eundem petere tenetur (§. 688.), ut ſcilicet judices, utrum tibi innoxius futurus, nec ne. Quamobrem cum denegando transitum nullam ipſi injuriam facias (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), ſed jure tuo eundem prohibeas (§. 691.); te invito transitum parans tibi injuriam facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum tibi competat jus te defendendi (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*), vi eidem reſiſtere licet (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 693.

De transitu innoxio gratis concedendo.

Transitus innoxius concedendus eſt gratis. Etenim qui transitum permittere vult, ſed non gratis; is non habet juſtam cauſam prohibendi. Quodſi enim ſibi metuat, ne transeuntes dent damnum, conſequenter eum innoxium non futurum; transiturus ſaltem cavere ſufficienter tenetur, veluti per obſides, de transitu innoxio, ut ſi præter expectationem damnum detur, id reſarciturus ſit. Quamobrem cum transituro competat jus transeundi (§. 686.), nemo autem jus ſuum ab altero emere obligetur, quod ipſi natura competit; transitus innoxius concedendus eſt gratis.

Equidem in Annalibus veterum proſtant exempla eorum, qui transitum pretio impetrare habuerunt, qualia recenſentur a Commentatoribus in *Grotium*; ſed emtio iſta facti eſt, non juris, nec ulla ratio, quæ ſpeciem juris habet, eidem prætexi poteſt, prouti vel ex demonſtratione intelligitur. Iuſtitiæ omnino adverſatur alteri jus ſuum tribuere nolle niſi pro certo pretio (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*). Prudentiæ tamen eſt pro natis circumſtantiis dare malle pecuniam injuſte accipienti, quam vi jus ſuum defendere.

§. 694.

§. 694.

De subministratione in transitu necessariorum.

Si transitus conceditur, non deneganda sunt ea, sine quibus fieri nequit; pro iis tamen, quibus transiturus indiget, justum pretium solvere tenetur. Ponamus enim te alteri concedere transitum, sed denegare ea, quibus ad transitum opus habet. Cum sine his ut transeat fieri minime possit, perinde omnino est, ac si transitus denegetur. Quamobrem cum absurdum sit transitum directe concedere, indirecte autem eundem denegare; si transitus conceditur, non deneganda sunt ea, sine quibus is fieri nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum per se pateat, transitum non fore innoxium, si ea gratis præstanda, quibus transiturus indiget, transitum autem non noxium sibi, sed innoxium Gens una alteri concedere teneatur (§. 686.); transiturus utique justum pretium solvere tenetur pro iis, quibus in transitu indiget. *Quod erat alterum.*

Posterius jam innuimus supra (§. 687.), non tamen inconsultum fuit idem denuo urgeri, ubi de obligatione subministrandi transituris necessaria agitur, cum ibidem saltem ostenderimus nullum competere jus transeuntibus in res subditorum, ubi iter faciunt, sed eas æquo pretio esse comparandas. Ibidem evicimus, æquum pretium a transeuntibus esse solvendum; hic vero inprimis ostendimus, pretium non iniquum ab iis esse exigendum. Æquum autem, seu justum pretium intelligitur id, quod tunc temporis ab indigenis pro rebus istiusmodi solvitur aut, si annona ob transitum ingravescere possit, quantum posthac solvendum. Quamobrem patet, non nudam esse repetitionem jam antea demonstratorum, quæ merito superflua dici possit. Quod obligatio subministrandi in transitu necessaria concessioni transitus insit, facile intelligitur. Indigent enim homines cibo ac potu, equi pabulo & stramine, & quando

necesse est transeuntes alicubi morari, necesse est ut ab incolis regionis in domus recipiantur. Et hinc quoque elucet necessitas petendi transitum, ut & sufficiens rerum necessariarum copia ubivis haberi, & sine onere atque damno subditorum haberi possit. Nisi enim de eo provideretur transeuntibus, transitus concedentis culpa noxius foret.

§. 695.

De metu, ne transitu concesso sedes belli figatur in terra pacata.

Si metuendum sit, ne transitu uni belligerantium parti concesso, eundem quoque petat pars altera, & sic sedes belli in terra pacata figatur; transitum concedere non tenetur is, a quo petitur. Etenim cum nemo non videat, in hypothesi propositionis præsentis transitum non fore innoxium, Gens autem Genti transitum saltem innoxium concedere obligetur (§. 686.); in hypothesi propositionis præsentis transitum is concedere non tenetur, a quo petitur.

§. 696.

Quodsi invito domino territorii transitus paretur.

Quoniam si metuendum sit, ne transitu uni belligerantium parti concesso eundem quoque petat pars altera, & sic sedes belli in terra pacata figatur, transitum concedere non tenetur is, a quo petitur (§. 695.); *si invito domino territorii transire velit, vi resistere, &, si opus videatur, partem potentioris sequi licet, ut caveatur, ne belli in sua regione figatur sedes.*

In hypothesi propositionis præcedentis non vanum esse metum, ne sedes belli figatur in territorio ejus, a quo utraque belligerantium pars transitum petit, facile intelligitur, quia transeuntes intra territorium sibi mutuo occurrere possunt. Quanta vero emergant damna, si theatrum belli fuerit in aliquo territorio, nemo est, qui non intelligat, modo non ignoret cumulum malorum, quæ bellum post se trahit. Ad damna vero avertenda jus esse Genti, sæpius jam diximus atque

que evicimus. Atat si damna avertere velis, quantum datur, necesse omnino est, ut partem potentioris sequaris, & transitus maturetur. Sed num id semper liceat, forsan dubitatur, quia contingere potest, ut potentioris bellum injustum sit, injustum autem bellum gerenti opem ferre non licet (§. 656.). Enimvero tu justam defensionem moliris & auxiliis alterius uteris ejus causa: id quod licitum esse constat (§. 990. *part. 1. Jur. nat.*). Minime autem opem fers bellum injustum gerenti. Quamvis itaque bellum injustum sit, quatenus ob causam suam bellum gerit, non tamen injusta sunt ejus arma, quatenus causa justa tua iisdem defenditur. Contradictorium autem non est, ut ejusdem arma alio respectu sint justa, alio vero injusta.

§. 697.

De damno a transeuntibus dato.

Si transeuntes incolis damna dederint, is, cui transitus concessus, ea resarcire tenetur, & Rector civitatis curare debet, ut resarciantur iis, quibus data sunt. Quoniam enim transitus, qui concedendus, innoxius esse debet (§. 686.); transeuntes sibi cavere debent, ne incolis regionis, per quam transeunt, vel minimum dent damnum. Quamobrem cum damnum omne sive culpa, sive dolo datum sit resarciendum (§. 580 *part. 2. Jur. nat.*); si transeuntes incolis damna dederint, is, cui transitus concessus, ea resarcire tenetur. *Quod erat unum.*

Quoniam vero damnum resarciendum iis, quibus datum, per se autem patet, nisi id extemplo fiat, quando datum fuit, hoc minime fieri posse ab eo, cui transitus concessus; ideo Rectori civitatis, qui populum suum repræsentat (§. 93.), consequenter causam populi agit, æstimatio damni præstanda, & is deinde curare debet, ut iis, quibus datum est, resarciatur. *Quod erat alterum.*

Rectores civitatum jure petunt ab eo, cujus copiæ transierunt per territorium suum, ut omne damnum, quod hæ dederunt, resarciant. Hic enim suis severe prohibere debet, ne quid damni dent, & præfectis militum præcipere, ne hisce permittant, ut quicquam, quod non licet, facere audeant. Quodsi hoc non fecerit, manifesta culpa ipsius damnum fuit datum, consequenter ipse ob culpam propriam tenetur. Enimvero si vel maxime sive milites, sive ipsi præfecti eorundem voluntati ejus contrarium fecerint; adhuc tamen ex facto eorundem tenetur, quia transitum petens vel expresse, vel saltem tacite promisit, eum innoxium futurum, consequenter se ad resarciendum damnum obligavit (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), ut adeo ex promisso factum suorum pro facto suo agnoscere teneatur. Quodsi vero damnum permittenti non fuerit datum, sed subditis ipsius, nihil quoque est, quod ipsi resarciendum sed quod resarciendum id omne subditis ejus debetur. Quamobrem nullo quoque jure id sibi arrogare potest, cum hic cesset dominium eminens (§. 111. *part. 8. Jur. nat.*). Ejus est jus subditorum tueri, ac ideo in præsenti casu curare, ut damnum, quod ipsis datum, ipsis quoque resarciatur, non vero eidem damnum subditorum in lucro esse debet.

§. 698.

De cautione, transitum fore innoxium.

Quoniam damnum datum a transeuntibus resarciendum (§. 697.); *is, qui transitum concedit, jus habet ab eo, cui idem conceditur, cautionem sufficientem exigendi & , ubi hic eam præstare nolit, transitum denegandi, ubi metus non vanus est, transitum non fore innoxium, aut præstationem æstimationis damni, si quod detur, ægre obtentum iri.*

Nimirum jam alias ostendimus, Gentibus competere jus ad ea media, quibus cavet, ne status suus reddatur imperfectior (§. 37.). Quamobrem ex obligatione transeuntis, ne damnum detur, nascitur non modo jus exigendi reparationem damni

damni dati, verum etiam jus præcavendi a damno. Et ſane præſtat præcavere, quam reparationem petere. Dantur autem omnino caſus, in quibus promittentis tranſitum innoxium non ſatis tuta eſt fides, veluti ſi alibi tranſeuntes damna dederint, ſi promittens fidei ſervandæ non admodum tenax fuerit, ſi ab eo ægre obtineri poteſt, quod dare, vel reſtituere debet. Naſcitur etiam ex eo, quod damnum ſit reſarciendum, ſi quod detur, jus tranſitum denegandi, quem innoxium minime futurum ſuſpicio haud levis eſt, quæ omnino augetur, ſi cautionem offerre recuſet, qui tranſitum petit.

§. 699.

An tranſitus denegari poſſit ob religionis diverſitatem.

Ob religionis diverſitatem tranſitus denegari non poteſt. Etenim tranſitus innoxius concedendus Genti a Gente (§. 686.) naſcitur ex communione primæva (§. 687. *part. 6. Jur. nat.*), ſeu communione rerum natura toti generi humano competente (§. 9. *part. 2. Jur. nat.*), vi cujus quilibet per loca quæcunque tranſire poteſt, prout ipſi opus viſumque fuerit (§. 66. *part. 2. Jur. nat.*), non vero ex modo colendi Deum, conſequenter non ex religione (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*). Quoniam itaque jus hoc nullum reſpectum ad religionem habet, cui Gens, quæ eodem uſura tranſitum petit, addicta eſt, ob religionis quoque diverſitatem tranſitus denegari non poteſt.

Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus, cum de foederibus cum Gente alii religioni addicta pangendis ageremus (*not.* §. 429.). Sive Gens fuerit hujus, ſive alterius, ſive nullius religionis, in tranſitu concedendo perinde erit: neque enim aliud attenditur, quam ut tranſitus ſit innoxius. Metus autem juſtus non eſt, tranſitum innoxium a Gente alii religioni addicta eſſe non expectandum. Neque enim diſſenſus omnium in religione parit odium diſſentientium, ut eos pro lubitu

lubitu lædi poſſe exiſtimetur. Quodſi vero iſtiusmodi odio Gens tranſitum petens erga alteram, per cujus terras tranſire vult, flagret; tunc tranſitus non denegatur ob religionis diverſitatem, ſed quia non innoxius eſt.

§. 700.

An quia petens tranſitum alio tranſire poſſit.

Tranſitus per terras ſuas denegari nequit, propterea quod tranſire alio poſſit. Etenim ſi quis cum exercitu per aliena territoria tranſire neceſſe habet, & duo vel plura ſunt territoria, per quæ tranſire poſſit; Gentes ſingulæ eodem modo obligantur ad innoxium tranſitum concedendum (§. 686.), nec ulla datur ratio naturalis, cum omnium eædem ſint obligationes (§. 17.), cur una potius obligetur eandem permittere, quam altera. Quamobrem æquale quoque jus eſt tranſitu opus habenti, per quodlibet territorium tranſeundi, conſequenter vi libertatis naturalis ipſi competentis (§. 55. *part. 8. Jur. nat.)* eidem competit optio, per quodnam tranſire malit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.)*. Per terras igitur ſuas tranſitus denegari nequit, propterea quod tranſire alio poſſit.

Per indirectum idem oſtendunt, qui hanc rationem dant, ceteros, per quorum territoria tranſire poterat, ſimiliter dicere poſſe, quod alio tranſire poſſit. Ponamus enim, hanc rationem eſſe ſufficientem denegandi tranſitus, quod qui eam petit alio tranſire poſſit. Cum quod uni Genti licitum etiam ſit licitum alteri (§. 18.); ſi uni juſta tranſitus denegandi cauſa ſit, quod qui eum petit alio tranſire poſſit, ſingulis, per quorum territoria tranſire poteſt, eadem juſta cauſa erit. Quoniam itaque omnes ſimul tranſitum jure denegare poſſunt, jus tranſitus erit nullum: id quod utique abſurdum. Perinde nimirum foret ac ſtatuere, nullum natura Gentibus competere jus tranſitus per aliena territoria, ſed id pactis tantummodo acquiri

acquiri posse. Equidem non desunt, qui hoc statuunt; non tamen hanc sententiam veritati esse consentaneam, supra demonstravimus (§. 686.).

§. 701.

Justa denegandi transitus causa alia non est, nisi quod idem non sit innoxius. Etenim Gens Genti transitum innoxium permittere debet (§. 686.), consequenter quando innoxius est, eundem jure denegare non potest (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem justa denegandi transitus causa alia esse nequit, nisi quod idem non sit innoxius. *De justa causa denegandi transitus.*

Poterat hinc per modum corollarii inferri, quod modo demonstravimus, scilicet ob diversitatem religionis (§. 699.) & quod qui transitum petit alio transire possit, transitum denegari non posse (§. 700.), quia nec diversitas religionis, nec possibilitas alio transeundi facit transitum per territorium tuum noxium. Vi hujus principii generalis facile ostenditur in casu quocunque particulari, utrum transitus jure denegetur, nec ne, modo in dijudicando eo, quod tibi noxium est, a vero non aberres, nec metui injusto locum des. Non sufficit, fieri forsan posse, ut sit noxius, sed demonstrandum est, aut maxima saltem probabilitate constare debet, eum fore noxium. Ita non sufficit ad denegandum transitum, quod mos omnium fere exercituum transeuntium sit grassari in incolas, cum id praecaveri possit partim diligentia propria, si per commissarios provideatur, ut transitus sit transeuntibus commodus ac tutus, & incolis non nimium molestus, nec damnosus, partim sufficiente cautione transitum petentis, ut praefecti militum in disciplinae militaris rigore observando non sint negligentes, nec facta militum prohibitioni contraria impunita relinquant.

§. 702.

Quando denegatio transitus sit justa belli causa.

Quoniam justa denegandi transitus causa non est, nisi quod idem non sit innoxius (§. 701.); *si satis manifestum sit, eum fore innoxium, vel de eo satis caveat transiturus, contra jus ejusdem est denegatio* (§. 686.), *ac propterea injuria est* (§. 859. part. 1. Jur. nat.), consequenter *justa belli causa* (§. 617.).

Non desunt exempla eorum, qui ob denegatum sibi transitum denegantibus bellum intulerunt, quæ legi possunt apud *Grotium* & commentatores. Ipse l. 2. c. 2. §. 13. n. 2. exemplum Mosis Num. XX. & XXI. in medium affert, qui, cum transeundum haberet per alienos fines, primum Idumæo, deinde Emoræo has tulit leges, iturum se via regia, nec deflexurum ad possessiones privatas, si qua re ipsorum haberet opus, justum pretium eis persoluturum, quæ conditiones cum ad transitum innoxium sufficiant (§. 687.), sed repudiarentur, bellum eo nomine intulit *Emoræo*, & recte *Augustinus* pronunciat, justa bella gesta fuisse a filiis Israël contra Amorræos. Gens nulla pati tenetur, ut alia quædam jus quoddam suum sibi auferat (§. 267.), sed si tribuere non vult idem vi persequi licet (§. 271.).

§. 703.

De transitu rebus debito.

Si transitus conceditur exercitui, idem etiam concedendus rebus omnibus, quibus in bello opus habet. Transitus exercitui conceditur belli gerendi causa, quod per se patet. Quodsi ergo saltem personis, non vero iis omnibus, quibus in bello opus habent, simul transitus daretur; perinde omnino foret ac si transitus prorsus denegaretur. Quamobrem patet, necesse esse, ut transitus quoque detur rebus omnibus, quibus in bello opus habent transeuntes.

Rerum bellicarum & ad bellum quomodocunque necessariarum

riarum transitus per se inest transitui exercitus, seu adeo arcte cum eodem cohæret, ut neuter absque altero esse possit. Quamobrem si transitus exercitui conceditur, simul rebus ad bellum & in bello necessariis concessus intelligitur, ut adeo hic sigillatim postulandus non sit. Fieri tamen potest, ut saltem certarum rerum in bello necessariarum transitus postuletur & concedatur, quia transitu copiarum non est opus: qui cum minus noxius esse possit, si in concedendo transitu nulla ratio attendenda veniat ab altera belligerantium parte, facilius conceditur solus, quam cum exercitu. Qua vero de causa transitus copiis recte denegatur, eadem etiam de causa recte denegatur rebus. Non igitur necesse est, ut hisce diutius immoremur. Ceterum obiter notamus, jus transitus per terras alienas in genere minus recte demonstrari per solum jus commerciorum Gentibus competens: neque enim sequitur, si commerciorum causa concedendus transitus, eundem etiam belli causa concedendum esse: sed in genere omnino evincendum est, transitum innoxium esse concedendum, & hoc jus natura competere Gentibus, citra injuriam ipsis minime auferendum, quemadmodum a nobis factum est. Ita demum ex eo, quod in genere evictum est, inferri potest, belli quoque causa transitum innoxium concedendum esse, nec justam denegandi causam esse aliam, nisi quia is nobis minime innoxius.

§. 704.

Transeuntibus transitus præstandus est tutus Cum enim Gens nulla alteram lædere debeat (§. 173.); nec is, qui transitum concedit, transeuntes lædere, nec permittere debet, ut lædantur a subditis. Quamobrem cum transeuntes vacui esse debeant ab omni metu læsionis; iisdem transitus tutus præstandus est. *De tuto transitu exercitus.*

Ut transitus sit tutus, non demum precibus obtinendum, cum lex naturæ læsionem omnem prohibens absque ulla re-

 strictio-

ſtrictione (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*) ſit prorſus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut, qui tranſitum permittit, cum jure denegare non poſſit, nihil quoque eorum permittat, quæ requiruntur ad præcavendum, ne tranſeuntes a ſubditis lædantur. Alias enim culpa ipſius ſit læſio (§. 750. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ipſi imputatur (§. 700. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 705.

Clarigatio quid ſit.

Clarigatio dicitur publica belli denunciatio facta Genti aut ejus Rectori a Gente altera ſeu Rectore ejusdem. Idiomate patrio dicimus den Krieg ankündigen.

Vocabulum hoc militare eſt, apud Romanos olim uſitatum, qui certis ſolennitatibus bellum indicebant.

§. 706.

Subjectum clarigationis.

Quoniam clarigatio eſt publica belli denunciatio a Gente una alteri facta (§. 705.), in bello autem vi perſequimur jus noſtrum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult (§. 1102. 1103. *part. 1. Jur. nat.*); *quando clarigatio fit, ſeu bellum indicitur, parti adverſæ ſignificatur, quod adverſus ipſam jus noſtrum vi armorum perſequi velimus*, conſequenter *clarigatio continet & ſignificationem voluntatis noſtræ de bello inferendo, & indicationem cauſæ, cur bellum inferre decreverimus.*

Nimirum clarigatione ſeu belli denunciatione non aliud intenditur, quam ut alteri conſtet, quod bellum ipſi inferre decreverimus & qua de cauſa id decreverimus. Quodſi jam ante de injuria nobis facta reparanda, aut jure noſtro nobis tribuendo, vel ut nobis ſatisfiat de injuria irreparabili amice actum fuerit, ſed nullo ſucceſſu; bellum indicitur, ſi declaramus, nos decreviſſe, ut vi armorum conſequamur, quod ſine iis conſequi nequeamus. Tum enim cauſa belli alteri jam nota eſt.

§. 707.

§. 707.

De modo indicendi bellum.

Cum clarigatio seu belli denunciatio fiat eo fine, ut alteri constet, quod bellum in eum decreverimus & qua de causa id factum fuerit (§. 706.), consequenter non aliud requiratur, quam ut hoc ad notitiam alterius perveniat; *naturaliter modus denunciandi bellum a voluntate denunciantis dependet, nec certas solennitates requirit*, consequenter *si inter quasdam Gentes certus bellum denunciandi modus fuerit introductus, is ad jus Gentium consuetudinarium pertinet* (§. 24.), *&, si qua Gens pro se certum quendam denunciandi modum recepit, is mere arbitrarius est, seu juris civilis, nec jus inter Gentes facit.*

Naturaliter nihil interest, quomodo alteri innotescat tuum de bello inferendo decretum, modo innotescat. Posse autem Gentes quasdam inter se convenire de modo indicendi bellum, vel etiam moribus introducere modum certum, nulla dubitandi ratio est. Quamobrem cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), maxime inter Gentes (§. 547.), & mores habeant vim pactorum tacitorum, quamdiu a Gente nulla fuerit contradictum; si alterutrum horum obtineat, bellum utique modo isto promulgari debet. Et quia in statu populari, qualis sub consulibus erat Romanus, jus belli est penes populum, in Rep. mixta a consensu populi, vel optimatum aut quorundam e populo suspendi potest; ideo in istiusmodi Rerum publicarum formis condi quoque possunt leges de bello indicendo, quas tamen non obstringere Gentes alias per se patet. Notandum vero juxta nonnullos clarigationem a denunciatione belli distingui. Juxta eos enim apud Romanos proprie *clarigatio* erat solennis & publica rerum aut cujusque juris clara voce facta repetitio, teste *Plinio* Hist. l. 27. c. 2. quam sequebatur belli denunciatio, altero satisfactionem negante, ita ut clarigationi inesset eventualis belli denunciatio, & denunciationi conditio clarigationis. Erant autem apud

Romanos utriusque formulæ ac ritus diversi, quemadmodum videre est apud *Alexandrum ab Alexandro* l. 5. c. 3. *Livium* l. 1. c. 32. *Ciceronem* de offic. l. 1. c. 11. Enimvero cum apud nos ritus isti ac solennes formulæ non sint in usu, neque iidem juris sint naturalis; ideo opus non est, ut clarigationem a denunciatione belli distinguamus. Immo cum in Jure Gentium sufficiat, si bellum dicatur denunciari, vel indici alteri; vocabulo clarigationis prorsus carere possumus, nisi consultum fuisset ejus fieri mentionem, quia apud alios autores occurrit. Ceterum dum nos clarigationem a denunciatione belli non distinguimus, *Stephanum* sequimur in Thesauro Linguæ latinæ, ubi expresse dicit clarigare idem esse ac bellum indicere & clarigationem ipsam belli indictionem ad *Servii* autoritatem provocans. Sed de vocabulo nemini litem intendere lubet.

§. 708.

De clarigatione conditionata & pura.

Clarigatio, seu *denunciatio belli*, *conditionata* est, qua declaratur bellum illatum iri, nisi reddantur res, aut de injuria facta satisfiat, consequenter ea *cum repetitione rerum statim conjungi potest*, *aut cum postulatione satisfactionis pro injuria irreparabili facta*. Ast *pura* est, qua absque conditione significatur, bellum illatum iri ad consequendum id, quod debetur, aut restituendum, consequenter *eidem locus est*, *si alter jus nobis tribuere non vult nostrum*, *aut eum non tributurum esse constat.*

In Jure naturæ & Gentium denunciationem puram a conditionata recte distinguimus, cum differentia inter clarigationem & ipsam denunciationem non sit attendenda (*not.* §. 707.). Quæ ex Jure feciali Romanorum veniunt, quod de ritu belli erat statutum, cum jure naturæ non confundendum, quo Gentes inter se naturaliter utuntur (§. 3.).

§. 709.

§. 709.

Quoniam conditionata denunciatione belli declaratur, bellum illatum iri, nisi res reddantur, aut de injuria facta satisfiat (§. 708.), si alter reddere aut restituere nolit, in id consentit, ut vi armorum quod negatur consequi studeamus, consequenter *si bellum conditionate fuerit declaratum, nec alter jus nostrum nobis tribuere velit, bellum denuo pure indici opus non est.* *An conditionatam sequi debeat pura.*

Nimirum si alter jus nobis tribuere recusat, jam per se patet, nobis non superesse aliud medium, quo id consequi valeamus, quam arma. Quamobrem cum jam sufficienter eidem declaraverimus nos violento hoc medio usuros; non opus est, ut nos animum non mutasse denuo eidem declaremus. Id enim habendum pro vero, quod quis dicit, ubi verum dicere obligatus (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter alter sibi imputare debet, quod putet simulato animo additas fuisse inanes minas. Vix enim prudentis foret vanas addere minas, ubi postulas, ut alter jus tuum tibi reddat: de quo ut expressius dicatur, opus non est.

§. 710.

In bello offensivo denunciatione semper opus est. Etenim bellum offensivum infertur alteri, qui de bello nobis inferendo non cogitabat (§. 615.), nimirum si jus nostrum nisi vi armorum consequi possimus, aut satisfactionem de injuria irreparabili (§. 630.), vel in causa dubia alterum non aliter ad transactionem permovere valeamus (§. 631.). Quamobrem cum ad remedium hoc maxime vitandum, quod ingentem cumulum malorum ab utraque belligerantium parte post se trahit, non sit deveniendum, quamdiu vel minima spes est fore, ut absque eo consequamur, quod vi armorum conse- *An in bello offensivo denunciatione semper sit opus.*

consequi intendimus; igitur necesse est, ut significemus nos bellum ipsi illaturum, ut, antequam ad arma deveniatur, æquas pacis conditiones offerre possit, & sic bellum evitetur. Patet itaque in bello offensivo semper denunciatione opus esse.

Latronum atque prædonum mos est, vi impetere ex improviso corpus vel res alterius, quibus quippe nullum jus est in res alterius & ab altero nihil debetur. Ast qui alteri ad quid præstandum obligatur, ante interpellandus est, ut certo constet, eum sua sponte idem præstare nolle, quam vi ad tuum, vel quod tibi debetur, consequendum utaris. Multo autem magis id observandum, antequam in arma veniatur, quia bella geri non possunt sine multorum innocentium clade atque damno.

§. 711.

De conditionibus æquis bellum indicenti oblatis.

Si bellum denuncianti offerantur æquæ pacis conditiones; a bello abstinendum. Etenim cum in bello vi persequamur jus nostrum, quod alter nobis tribuere non vult (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*); bellum non alio fine gerendum, quam ut æquas pacis conditiones offerantur. Quodsi ergo æquæ conditiones offerantur bellum denuncianti; cessat belli gerendi ratio, consequenter eædem acceptandæ & a bello abstinendum.

Atque hinc elucet necessitas belli offensivi denunciandi, ne præter necessitatem veniatur ad arma: quam demum adesse apparet, ubi periculo præsente jam imminente pars adversa pertinaciter persistit in proposito non tribuendi tibi jus tuum. Ipsa sane notio juris belli insinuat, ante denunciandum bellum esse, quam inferatur, quippe in quo persequimur jus nostrum adversus eum, qui id nobis tribuere non vult (§. 1103. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem necesse est, ut nobis constet, ipsum id tribuere nolle, ac in hoc proposito perseverare. Distin-

Diſtinctiones itaque, quas affert *Grotius* determinaturus, quandonam in bello offenſivo jure naturali requiratur denunciatio, quando vero eadem non ſit opus, inutiles ſunt. Ratio enim, cur bellum denunciandum, univerſalis eſt & ad omne jus extenditur, quod tibi ab altero tribuendum, undecunque tandem veniat. Quænam vero ſint æquæ pacis conditiones, patet tum ex cauſa belli, tum ex ſumtibus, quos denuncians facere coactus fuit, propterea quod ipſi jus ſuum tribuere noluit alter: damnum enim datum culpa ſua refarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Sed de eo expreſſius dicendum erit inferius.

§. 712.

De conditionibus æquis non acceptatis.

Quoniam a bello abſtinendum, ſi denuncianti offerantur *æquæ pacis conditiones* (§ 711.); *ſi eædem non acceptentur, bellum offenſivum juſtum abit in injuſtum.*

Juſta enim belli cauſa non amplius ſubſiſtit, quamprimum æquæ pacis conditiones offeruntur. Quamobrem cum cauſa juſta bellum juſtum faciat (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*); bellum quoque juſtum eſſe deſinit. Sane qui recuſat acceptare æquas pacis conditiones, bellum non gerere poteſt eo fine, ut jus ſuum, quod denegabatur, conſequatur, ac propterea ad gerendum impellitur vel vindictæ cupidine, quod ſibi non ſtatim tributum fuerit, vel in bello decernendo magis attenduntur rationes ſuaſoriæ, quam juſtificæ, conſequenter ad arma venitur nocendi animo: id quod omnino illicitum eſt (§. 173.).

§. 713.

An bellum defenſivum ſit denunciandum.

Bellum defenſivum naturaliter denunciandum non eſt. Bellum enim offenſivum, quod denunciatur, vel juſtum eſt, vel injuſtum. Quodſi fuerit juſtum, cum tunc bellum defenſivum ſit injuſtum (§. 629.), is, cui bellum denunciatur, ab eo

eo abstinere debet, oblatis pacis æquis conditionibus (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.* & §. 711. *h.*). Belli igitur denunciatio locum minime habet. Quodsi vero æquas pacis conditiones sibi oblatas acceptare nolit denuncians; per se patet, necesse esse ut pars adversa se defendat, consequenter non demum requiritur, ut significet, quod se defendere velit. In casu itaque denunciationis belli justi bellum defensivum denunciandum non est. *Quod erat unum.*

Enimvero si bellum offensivum, quod denunciatur, fuerit injustum, bellum defensivum justum est (§. 629.). Quamobrem cum per se pateat, ei, cui bellum denunciatur, nihil aliud superesse, quam ut læsionem intentanti resistat, consequenter jure suo usus se defendat (§. 972. 1111. *part. 1. Jur. nat.*); si bellum offensivum fuerit injustum, defensivum naturaliter denunciandum non est. *Quod erat alterum.*

In bello defensivo cessat ratio, cur id denunciandum sit, quæ in offensivo denunciationem necessariam efficit, quemadmodum ex collatione utriusque demonstrationis patescit (§. 710. & *praes.*). Quodsi ergo ab utraque parte fiat denunciatio, ea ex parte bellum defensivum gerentis superflua est: id quod inprimis manifestum est, si invasione ab altera parte jam facta denunciatio demum fieri deberet, vel fiat: tum enim defensio non fert moram, sed vis præsens, quæ arcenda, necessitatem se defendendi statim imponit. Nemo autem adeo absurdus præsumitur, ut vi præsenti non sine mora resistere velit, consequenter ut necesse sit voluntatem suam se defendendi alteri declarari. Debet potestas summa defensionem civibus suis, qui propterea in civitatem coiverunt, ut adversus vim exterorum sese defendere possint (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), & defensione ista nihil magis naturale est, cum ipsa etiam animantia bruta instinctu quodam naturali eo ducantur,

ita

ita ut defensio videatur jus quoddam hominum ac brutorum commune. Bellum defensivum itaque cum ratione officii necessario gerat summa potestas; absonum utique videtur alteri demum significare, quod facere velimus, quod sine neglectu officii remittere non possumus, nec sine injuria in cives nostros. Bellum offensivum in arbitrio gerentis est: licet enim justam habeat belli causam, scilicet ut jus suum, quod sibi denegatur persequatur (§. 630. 631.), haud raro tamen consultius est jus suum remittere, quod omnino licitum (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), quam bello funesto, cujus eventus dubius est, implicari, aut persecutionem juris sui in suspenso relinquere, cum quod differtur non auferatur. Quamobrem necesse est, ut voluntatem suam alteri declaret, si bellum inferre decrevit, prouti ex demonstratione superiori palam est (§. 710.). Ast & physice & moraliter necessaria est defensio per ea, quæ modo diximus, nec res arbitrii est, utrum te defendere potius nolis, an malis. Consensus vero Gentium, ad quem subinde provocatur, nec necessitatem in offensivo, nec licitam omissionem in defensivo bello probat, nisi jus consuetudinarium (§. 24.), quod, ut alias jam diximus, tamdiu valet, quamdiu a nulla Gente eidem fuerit contradictum.

§. 714.

Quando belli offensivi denunciationem omittere liceat.

Si is, cui bellum denunciandum, nec legatos admittit nec adsit occasio mittendi epistolam, nec denunciatio per tertium fieri possit; denunciatio belli offensivi omittenda. Etenim si is, cui bellum denunciandum, nec legatos admittit, nec adsit occasio mittendi epistolam, nec per tertium denunciatio fieri possit; nemo non videt in potestate ejus non esse, qui bellum inferre decrevit, ut id denunciet. Quamvis ergo bellum offensivum semper sit denunciandum (§. 710.), cum tamen obligatio non extendenda sit ultra id, quod fieri potest (§. 109. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & denunciatio efficiatur im-

possibilis culpa ejus, cui fieri debebat, ac per consequens ejus omissio ipsi sit imputanda (§. 700. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si is, cui bellum denunciandum, nec legatos admittat, nec adsit occasio mittendi ad eum epistolam, nec per tertium denunciatio fieri possit, denunciatio belli offensivi omittenda est.

Regula de bello offensivo semper denunciando non patitur exceptionem, sed impossibilitas faciendi quod præcipit legitimam parit excusationem, nec justam habet de omissa denunciatione conquerendi causam, qui culpa sua eam reddidit impossibilem. Ipso nimirum facto declarat, nolle sese ut bellum ante declaretur, quam inferatur, nec ideo omissa declaratione ulla ipsi fit injuria. Immo ex tacito hoc consensu recte infertur, quod in arbitrium bellum inferentis contulerit, utrum inferre velit, nec ne, ut adeo perinde sit ac si declaratio actu facta fuisset, cessante utique fine, ob quem denunciatione alias opus est, vi demonstrationis superioris (§. 710.). Ceterum rarissimus omnino casus est, ut tertius onus istiusmodi odiosum in se suscipiat, ita ut vix attendi mereatur, & tantum non semper minime dabilis præsumatur. Ejus tamen mentionem facere voluimus, ne quid omisisse videamur, quod denunciationem faciat impossibilem.

§. 715.

An talio sit justa causa omittendæ denunciationis belli.

Talio non est justa causa omittendæ denunciationis belli offensivi, seu ideo denunciationem omittere non licet, quia alter alias nobis bellum intulit sine denunciatione. Etenim obligatio bellum offensivum denunciandi naturalis est (§. 710.), a qua nemo seipsum liberare potest (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*). Enimvero si alter non satisfecit obligationi naturali, non ideo tibi permissum est eidem non satisfacere (§. 631. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si alter tibi alias bellum intulit absque denun-

denunciatione; non ideo tibi licet bellum eidem quoque inferre absque denunciatione, adeoque talio non est justa causa omittendæ denunciationis belli (§. 639. *part. 8. Jur. nat.*).

Talio omnis lege naturali prohibita (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*) nec inter Gentes licita (§. 577.), ac propterea nec in denunciatione belli locum habet. Nullum esse jus talionis, alias jam fusius ostendimus (*not.* §. 640. *part. 8. Jur. nat.*). Cum lex naturæ clarigationem præcipiat (§. 710.), ejus quoque omissionem prohibet (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*). Actus illicitus alterius non potest actum naturaliter illicitum tibi reddere licitum. Pugnat hoc cum immutabilitate legis naturæ ac inde venientis obligationis naturalis (§. 142. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo non laudaverit eum, qui, cum posset jure, quod perperam dicitur, talionis uti, in denunciando bello ab eodem abstinet, manifesto indicio, ipsis confusis hominum de rebus moralibus notionibus, quas ipsa natura iisdem insinuat, & quæ sensum moralem pariunt, talionem adversari, eamque nonnisi excusationi prætexi. Nec affirmare dubito eos, qui eandem prætexunt, non tam opinione talionis, quam rationibus aliis suasoriis ad denunciationem omittendam adduci.

§. 716.

De tempore, quo denunciatio belli fieri potest.

Denunciatio belli fieri potest ab eo, qui cum exercitu ad fines territorii partis adversæ jam accessit. Bellum nimirum non alio fine denunciandum, quam ut pars adversa æquis pacis conditionibus oblatis idem avertere possit, vi demonstrationis superioris (§. 710.). Quoniam vero mora denuncianti damnosa esse non debet, cum quilibet omne damnum, quantum datur, a se avertere debeat (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*), & metu belli tanto quis facilius adducitur ad offerendas conditiones, quibus id evitetur, quanto magis præsens est periculum; quin de-

nunciatio belli fieri possit ab eo, qui jam cum exercitu ad fines territorii partis adversæ accessit, dubitandum non est.

Bellum non denunciatur eo fine, ne alterum ad resistendum imparatum aggrediaris, quemadmodum fieri solet ab eo, qui alterum ad duellum sollicitat, cui bellum inter Gentes perperam æquiparatur (*not.* §. 632.). Quamobrem bellum daturus moram alteri indulgere minime tenetur, ut præparatus certamen ineat. Repugnat hoc maxime fini, cur bellum denunciatur, qui non est alius, nisi ut pars adversa de animo nostro constante jus nostrum vi persequendi certus eas conditiones offerat, quibus bellum vitetur (§. 711.). Lege naturali non permissum est bellum nisi justum (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*): si vero bellum offensivum justum est, defensivum injustum est (§. 629.), ac per consequens ei, cui bellum denunciatur, mora indulgenda non est, ut defensioni par sit.

§. 717.

De ingressu in territorium alterius ante belli denunciationem.

Quoniam belli denunciatio tum demum fieri potest, si quis cum exercitu ad fines territorii adversæ partis jam accessit (§. 716.), cumque ingressus in territorium alienum vi hostili vacans innoxiæ sit utilitatis (§. 682. *part. 6. Jur. nat.*), ac per consequens ad jus ex communione primæva residuum, natura introductis dominiis aliis reservatum (§. 561. *part. 6. Jur. nat.*), referendus (§. 687. *part. 6. Jur. nat.*), perinde est, sive cum exercitu ad fines territorii partis adversæ accedas, sive ipsum territorium ingrediaris bellum denunciaturus; *bellum denunciari potest ab eo, qui jam territorium alterius, sed absque vi hostili ingressus est cum exercitu.*

Ingressus cum exercitu in territorium alterius non est invasio, qui fit amico animo & belli avertendi causa; sed ea demum a vi illata incipit. Ingressus per se illicitus non est, cum jus oriatur ex obligatione damni a subditis alterius avertendi

tendi (§. 495. *part. 2. Jur. nat.* & §. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quo nimirum fine fit clarigatio (*not.* §. 706.). Ingressum hunc in casu particulari haud raro tuentur rationes particulares a pertinacia præsertim jus nobis tribuere recusantis desumtæ. Cavendum tamen hic ut alibi, ne, quando de jure saltem quæstio est, non attendantur rationes nonnisi suasoriæ, quibus in executione juris unice locus conceditur (§. 621.).

§. 718.

De officio ingredientis in eos, qui eidem desunt.

Si qui in territorium alterius cum exercitu ingreditur bellum denunciaturus, incolis declarat, se non venire hostili animo, nec vim incolarum in ipsis illaturum, sed adventus causam Rectori civitatis declaraturum; isto casu & incolæ vi se eidem opponere non debent, qui vero hoc facere audeat, jure in eos licita animadversio. Etenim cum ingressus in territorium partis adversæ absque vi hostili, antequam bellum indicatur, sit licitus (§. 717.); incolis nulla affertur injuria (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nec ulla ratio est, cur eidem resistere liceat: quin potius cum nemo alterum in exercitio juris sui ullo modo impedire debeat (§. 655. *part. 2. Jur. nat.*), eidem se incolæ minime opponere debent. *Quod erat unum.*

Quoniam vero monitos ignorantia non excusat, quod per se patet, cum ipsum factum a vi inferenda abstinentis diffidentiam tollat; cum qui vi sese opponere volunt ingredienti jus ipsius violent (§. 717.), consequenter injuriam ei faciant (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), unicuique autem naturaliter competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), seu injuria affecit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*), qui in hypothesi propositionis præsentis ingredienti vim afferre audet, in eum licita est animadversio. *Quod erat alterum.*

Non

Non est, quod pars adversa conqueratur de ingressu in terras præsidio destitutas, cum non inferatur vis ulla hostilis, antequam constet bellum denuncianti æquas pacis conditiones partem adversam offerre nolle, sed vim vi repellere velle, *per hypothesin.* Cum tamen a vi hostili non abstineatur, ut vim vi repelli possit, sed ut æquæ pacis conditiones offerantur, per se patet bellum denuncianti non indulgendam esse moram sibi damnosam.

§. 719.

De operationibus bellicis inchoandis.

Quando bellum denunciatur, nec statim offeruntur æquæ pacis conditiones; operationes bellicas inchoare licet. Ponamus enim operationes bellicas non statim esse inchoandas. Quoniam mora indulgetur ei, cui bellum inferendum, contingit ut instructior in arma veniat. Mora igitur damnosa est bellum indicenti. Quamobrem cum damnum omne a nobis avertere debeamus (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); absurdum est, operationes bellicas non statim inchoare, ubi bello denunciato non statim offeruntur conditiones pacis æquæ.

Cum ad arma non sit progrediendum, nisi tentatis mediis lenioribus; causa belli denunciati satis cognita atque perspecta supponitur ei, cui denunciatur, ut deliberatione non sit opus. Id enim saltem agitur, ut voluntatem suam declaret, utrum jus, quod hactenus denegavit, tribuere, an pati malit, ut idem vi persequatur alter. Quodsi prius malit, nulla ratio est, cur idem alteri non statim declaret, cum & causæ justificæ & suasoriæ eidem sint apertæ, saltem non ignorentur nisi culpa ipsius, quam sibi imputare debet, quod non maturius in eas inquisiverit easque expenderit, quando non ignorabat ea de causa ad arma veniri posse. Quamobrem si moras nectere velit, non aliud intendere recte præsumitur, quam ut ad vim vi repellendam instructior accedat: id quod impedire est ejus,

ejus, qui bellum justum infert, quemadmodum posthac luculentius constabit.

§. 720.

Si bellum conditionate fuit denunciatum, conditione existente operationes bellicas statim inchoare licet. Etenim si bellum conditionate denunciatum fuit, conditione existente denunciatione pura non est opus (§. 709.). Quamobrem nihil obstat, quo minus statim ad arma veniatur. Existente igitur conditione, operationes bellicas statim inchoare licet. *In casu denunciationis conditionatæ.*

Præstat inprimis in bello prævenire, quam præveniri, & plurimum refert, ut idem arceas a finibus tuis, idemque potius geratur in terra hostili. Putandum non est, quasi lex naturæ obliget ad ea, quæ prudentiæ sunt adversa, cum ipsamet ad prudentiam nos obliget (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 721.

Si Rector civitatis unius bellum indicit Rectori civitatis alterius; publicum bellum indictum intelligitur toti Genti a Gente tota. Bellum enim geritur inter Gentes (§. 607.), quarum est jus belli (§. 613.). Quamobrem cum Rectores civitatis Gentem suam repræsentent, quando cum aliis Gentibus negotium ipsis est, & jus habeant, quod populo competit (§. 39.); si Rector civitatis unius bellum indicit Rectori civitatis alterius, perinde est ac si Gens una alteri bellum denunciaret & denunciatio jure populi fit, consequenter bellum, quod Rector civitatis unius indicit Rectori civitatis alterius, toti Genti a Gente tota indictum intelligitur. *Quomodo belli denunciatio sit intelligenda.*

Nemo est, qui hoc non ultro admittat: unanimiter enim omnes dicere solemus, bellum denunciatum esse Genti a Gente, veluti Turcas bellum indixisse Persis, Britannis bellum esse

cum Hispanis, & subinde nomen regionis sumitur pro nomine Gentis atque dicitur, Galliam bellum gerere cum Britannia, idiomate præsertim Germanico, Franckreich habe Krieg mit Engelland. Hic autem nobis demonstrandum erat, factum Rectoris civitatis habendum esse pro facto totius Gentis, ne quod pro jure habetur in injuria consistere putetur, quemadmodum subinde existimant, qui a jure publico universali & jure Gentium instructi non sunt.

§. 722.

Hostes quinam sint.

Hostes dicuntur illi, quibus inter se bellum est, idiomate patrio dicuntur Feinde.

Differunt ab hostibus inimici. Inimicus enim est, qui odio prosequitur alterum (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter cujus animus dispositus est ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate (§. 662. *Psych. empir.*). Ast bellum justum non odio in partem adversam, sed jure geritur, & cujus bellum injustum est, is jus sibi competere saltem putat, aut se hoc putare videri vult aliis. Per inconstantiam tamen loquendi, quam methodus scientifica minime fert (§. 144. *Disc. præelim.*), contingit, qui hostes sunt, eos etiam inimicos appellari. Et in vernacula hosti atque inimico commune nomen est, forsan quod viderint majores nostri, fieri vix posse, ut qui hostis est idem non sit inimicus, si animus advertatur ad licentiam, qua bella inter ipsos etiam christianos geri solent.

§. 723.

Singulos subditos unius belligerantis esse hostes subditorum alterius.

Quoniam hostes sunt illi, quibus inter se bellum est (§. 722.), quando autem bellum a Rectore civitatis unius indicitur Rectori alteri, bellum a tota Gente una toti Genti alteri indictum intelligitur (§. 721.); *Quando bellum denunciatur, omnes subditi ejus, cui denunciatur, pro hostibus subditorum denun-*

nunciantis declarantur, & cum utrinque in arma itur, utriusque subditi sunt invicem hostes.

Ita si Germanis cum Gallis bellum est, Germani omnes sunt hostes Gallorum & Galli omnes hostes Germanorum, etiam illi, qui sibi invicem non sunt inimici, sed arctissimo amicitiæ vinculo conjuncti (*not.* §. 722.). Sed hæc clariora evadent inferius, ubi de modo bellum gerendi acturi sumus.

§. 724.

Quoniam utriusque belligerantium subditi invicem hostes sunt (§. 723.), tales autem manent, etiamsi in alieno territorio versentur, vel commorentur (§. 324.), adeoque multo magis, si versentur in loco non occupato, cum ibidem nec cives temporarii fiant alio in loco, quemadmodum in territorio alieno (§. 303.); *Qui sibi invicem hostes sunt, tales manent, ubicunque terrarum versantur.* *Hostes sibi invicem tales manere, ubicunque versentur.*

Non a loco, in quo quis domicilium habet, sed a consociatione, qua membrum civitatis factus & unus e Gente est, venit, ut sit hostis. Quamdiu igitur membrum civitatis manet, pro hoste etiam habendus. Nec obstat, quod qui in alieno territorio versatur, vel commoratur, civis temporarii naturam induat (§. 303.). Spectatur enim tanquam civis temporarius, quatenus legibus loci subjicitur, quamdiu ibidem versatur, vel commoratur (§. 300.), cum retineat jura, quæ apud Gentem suam eidem competunt, nec per illud, quod legibus loci, in quo est, subjectus sit ad tempus, obligatio perimatur, qua Genti suæ tenetur (*not.* §. 324.).

§. 725.

Similiter quia subditi unius belligerantium sunt hostes subditorum alterius (§. 715.), per se autem patet, subditorum *An foeminæ & pueri sint hostium numero.*

ditorum numero etiam esse foeminas & pueros, immo infantes; ideo quoque *foeminæ, atque pueri, immo etiam infantes hostium numero sunt.*

Non jam quæstio est de eo, an in omnes, qui hostium numero sunt, idem jus competat; sed saltem de eo, quænam personæ hostibus sint accensendæ. De illo enim agetur in sequentibus, ubi jus in bello demonstraturi sumus.

§. 726.

De rebus hostilibus. Quoniam subditi unius belligerantium sunt hostes subditorum alterius (§. 723.) & hostium numero sunt etiam foeminæ atque pueri, immo etiam infantes (§. 725.); *res omnes, quæ sunt subditi alicujus partis unius belligerantium respectu partis alterius sunt res hostiles, etiam quæ foeminarum, puerorum, infantium propriæ sunt.*

Bellum geritur inter Gentes (§. 607.), ac ideo Gens una est hostis Gentis alterius (§. 722.). Quamobrem cum bona singulorum de Gente una simul sumta respectu Gentis alterius spectentur tanquam bona illius Gentis (§. 289.); res quoque omnes, quæ sunt subditorum partis unius belligerantium, a parte altera habentur pro rebus hostilibus, rebus scilicet hostis sui.

§. 527.

Ubinam res hostiles pro talibus habendæ. Quoniam res omnes eorum, qui hostes sunt, hostiles sunt, iis scilicet, quibus ipsi sunt hostes (§. 726.), hostes autem sibi invicem manent, ubicunque terrarum versantur (§. 724.); *res* quoque *hostiles manent res hostiles, quocunque in loco sint.*

Nimirum res ideo hostiles sunt, quia sunt hostis. Manent autem hostis, quemcunque in locum transferantur, consequen-

ſequenter hoſtiles ſunt quocunque in loco. Enimvero quia hoſtes ſaltem ſibi invicem hoſtes ſunt, inter quos bellum eſt (§. 722.); ideo quoque res ipſorum non ſunt hoſtiles niſi illorum reſpectu. Quamobrem ſi res hoſtis mei transferantur in territorium pacatum; reſpectu incolarum non ſunt res hoſtiles, manent tamen tales reſpectu hoſtis mei.

§. 728.

De rebus non hoſtilibus in loco hoſtili deprehenſis.

Ex adverſo quia res hoſtis mei reſpectu mei hoſtiles ſunt (§. 726.) & tales manent quocunque in loco fuerint (§. 727.); *Qui hoſtis meus non eſt, ejus res reſpectu mei hoſtiles non ſunt, etiamſi in territorio hoſtili reperiantur.* Quoniam tamen conſtare debet, res, quæ in terra hoſtili ſunt, non eſſe hoſtis mei, ſed alterius, qui mihi hoſtis non eſt, ac per conſequens id probari debet; *res intra territorium hoſtile deprehenſæ hoſtiles præſumuntur, donec contrarium fuerit probatum. Idem intelligitur de mercibus, immo etiam de perſonis, quæ ſunt in nave hoſtili, dum per mare navigatur.*

Hoſtile nimirum eſt, quicquid ad hoſtem pertinet, ac ideo ut quid ſit hoſtile a perſona venit, cui quippe inhærent omnia jura in re & ad rem. Quodſi ergo perſona non fuerit hoſtis meus, nec res ejus ſive corporales, ſive incorporales mihi hoſtiles eſſe poſſunt, nec per hoc hoſtiles fieri poſſunt, quod ſint in terra hoſtili, locus enim, ubi res ſunt, in dominium vim nullam habet, nec quicquam in eodem mutat. Cur vero res in terra hoſtili repertæ hoſtiles ſint præſumendæ, etiam inde patet, quod alias hoſtis meus res quaslibet pro lubitu venditare poſſet pro rebus alterius cujusdam, qui hoſtis meus non eſt, ſi nude aſſeveranti credendum foret. Neceſſe igitur eſt, id probari, ut præſumtionem vincat veritas.

§. 729.

De iis, quæ debentur hosti meo.

Quoniam res hostis mei respectu mei hostiles sunt (§. 726.) & tales ubivis locorum manent, in locis etiam pacatis (§. 727.), consequenter tales quoque sunt res incorporales, adeoque jura ad rem, quæ habet hostis meus (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*); *ea, quæ debentur hosti meo, etiamsi debitor hostis non sit, in numero rerum hostilium sunt.*

E. gr. ponamus Titium, qui hostis non est, debere hosti meo ter mille thaleros: jus ad hoc debitum respectu mei in numero rerum hostilium est. Ea, quæ debentur hosti meo, ad eundem utique pertinent, ac propterea hostilibus recte accensentur (*not.* §. 728.).

§. 730.

De iis, qui hosti se associant.

Qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, aut quocunque modo eum in bello adjuvando; hostis meus est. Etenim qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, vel quocunque modo eum adjuvando; is ad bellum contra me concurrit (§. 106. 150. 151. *part. 2. Phil. pract. univ.*), adeoque belli fit particeps. Quamobrem cum hostis meus sit, quem inter & me bellum est (§. 722.); qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, vel quocunque modo eum in bello adjuvando, hostis meus est.

De concursu ad actiones alterius prolixe egimus alibi (§. 106. & *seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ ad bellum facile applicantur. Similiter quæ de imputatione facti alieni, quæ concursu isto nititur, alias demonstravimus (§. 671. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), ad concursum ad bellum haud difficulter transferuntur. Quoniam tamen concursus omnis non æque nocuus est; ideo nec omnis eodem jure censeri potest. Sed cum nimis prolixum foret in differentiam omnem inquirere

inquirere, quam auget pro varietate circumstantiarum casuum diversitas (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*); in tantas ambages descendere nobis in præsenti minime datur.

§. 731.

De rebus eorum, qui hosti se associant.

Quoniam qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, aut quocunque modo eum adjuvando hostis meus est (§. 730.), res autem hostis mei respectu mei hostiles sunt (§. 726.); *res ejus, qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, aut quocunque modo eum in bello adjuvando, hostiles sunt respectu mei.*

Non opus esse videtur, ut demum ostendatur, sub rebus hostilibus hic comprehendi omnia promiscue bona subditorum illius, qui bello sese immiscet, cum id vi antea demonstratorum satis pateat.

§. 732.

De jure in eos eorumque res, qui hosti se associant.

Similiter quoniam qui hosti meo se associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, vel quomodocunque in bello adjuvando, hostis meus est (§. 730.), & res ejus omnes respectu mei hostiles sunt (§. 731.); *Quicquid in hostem & res hostiles licet, idem etiam licet in eos eorumque res, qui in bello sese hosti meo associant, veluti auxilia aut subsidia mittendo, vel eum quomodocunque in bello adjuvando.*

Quale sit hoc jus, demonstrabimus inferius. Ceterum hic supponimus differentiam, quæ inter bellum justum & injustum intercedit (§. 617. & seqq.). Hinc enim decidendum est, utrum quis jure pro hoste habeatur, nec ne, aut si notione hostis a moralitate abstrahere volueris, utrum quis jure se præbeat hostem alteri, nec ne. Utrum enim horum statuas, salva moralitate perinde erit.

§. 733.

De jure belli in eum, qui hosti meo se associat.

Cum *qui hosti meo se associat*, in eum & res ejus idem liceat, quod in hostem & res hostium (§. 732.); *in terras ejus vi armata ingredi & ibidem hostiliter agere, seu bellum ei inferre licet.*

Non fit hoc jure talionis, quod nullum esse jam alias demonstratum supra denuo inculcavimus (*not.* §. 715.), sed jure defensionis adversus aggressorem (§. 974. *part. 1. Jur. nat.*). Tenendum etiam hic, quod modo annotavimus (*not.* §. 732.): bellum enim justum gerenti opem ferre licet (§. 1116. *part. 1. Jur. nat.*), sed qui quid facit in gratiam ejus, qui bellum injustum gerit, injuriam committit in eum, ex cujus parte bellum justum est (§. 1115. *part. 1. Jur. nat.*), & hic demum aggressori æquiparatur (§. 987. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 734.

An bellum absque denunciatione inferre liceat ei, qui hosti meo se associat.

Si bellum infertur ei, qui hosti meo se associat, veluti auxilia, aut subsidia mittendo, vel alio quocunque modo eum adjuvando: denunciatione opus non est. Etenim qui hosti meo sese associat, veluti auxilia aut subsidia mittendo, vel alio quocunque modo eum adjuvando; is ipso facto declarat, quod belli contra me gesti particeps esse velit. Quodsi ergo ipsi bellum infero, id defensivo æquiparatur (§. 615.). Quamobrem cum bellum defensivum naturaliter denunciandum non sit (§. 713.); si bellum infero ei, qui hosti meo se associat, denunciatione opus non est.

Multo minus itaque denunciatione belli opus est, si quis ne monitus quidem abstinere vult ab ope hosti meo in bello ferenda, cum satis pateat mihi in ipsum idem licere, quod in hostem atque res ejus (§. 732.) & licitum mihi esse, ut vi

armata

armata in terras ipsius ingrediar ibidemque hostiliter agam (§. 733.), vim vi repulsurus.

§. 735.

De belli denunciatione extendenda.

Quoniam bellum inferri potest ei, qui hosti meo sese associat, veluti auxilia mittendo, vel subsidia, aut alio quocunque modo eum adjuvando, absque denunciatione (§. 734.); *Quando bellum indicitur alicui, id simul indictum intelligitur iis omnibus, qui se eidem associant, aut durante bello associaturi sunt*, consequenter cum bellum denuncians omnes ejus subditos, cui denunciatio fit, pro hostibus suis & subditorum suorum declaret (§. 723.), *quando bellum indicitur alicui, ii & subditi eorum omnes, qui hosti denunciantis se associant, aut durante bello se associaturi sunt, pro hostibus denunciantis & subditorum ejusdem declarantur.*

Justam conquerendi causam non habet, qui bello alieno sese immiscet, si bellum ipsi inferatur ab eo, contra quem alteri opem fert, absque declaratione, cum ipse sese jam gerat hostem ipsius atque norit, se hostium numero esse (§. 730.). Terræ igitur ipsius & omnia subditorum bona cum actu res hostiles sunt, nec demum opus est, ut belli denunciatione pro talibus declarentur. Quodsi periculum ex eo, quod alteri in bello opem ferat, sibi non metuerit; id sibi imputet, quod de eo non cogitaverit, quod eventu possibile esse non ignorat, aut saltem ignorare non poterat.

§. 736.

Si quis auxilia vel subsidia, aut alia, quæ promisit, præstat foederato.

Si foedus belli contra omnes jam ante fuit initum, quam de bello præsente cogitabatur; qui auxilia, vel subsidia promissa mittit, aut alio quocunque modo in bello adjuvat foederatum, prouti foedus postulat; hostis est ejus, contra quem bellum geritur a foederato. Etenim quando foedus belli initur contra omnes, cum

idem belli causa ineatur (§. 655.), paciscentes sibi mutuo, aut unus alteri promittit, se opem in bello contra quemcunque suscepto, de qua conventum fuit, laturum. Quamobrem cum hostis meus sit, qui contra me hosti meo auxilia, vel subsidia mittit, aut eum in bello modo quocunque adjuvat (§. 730.); dum foedus belli contra omnes cum aliquo pangit, quando de certo bello nondum cogitatur, eo ipso declarat, se hostem futurum ejus, qui foederato suo hostis exstiturus est. Quodsi ergo vi foederis contra omnes jam ante initi, quam de bello præsente cogitaretur, auxilia, vel subsidia mittit, aut alio quocunque modo in bello adjuvet foederatum, hostis ejus existit, contra quem bellum geritur a foederato.

Implicat omnino in bello esse velle medium & uni belligerantium parti in eodem opem ferre: qui enim medius esse vult, neutri parti adhærere, nec ullo modo sese bello immiscere debet (§. 672.). Nulla vero est excusatio, quod, quia foedera sancte sunt servanda (§. 380. 547.), ea saltem quis præstare velit foederato, ad quæ ipsi obligatus fuit, antequam de bello præsente cogitabatur, ceteroquin sese bello immiscere nolle, sed potius cum eo, contra quem bellum geritur, amicitiam culturum. Qui enim foedus belli contra omnes cum altero pangit, is se parti ejus in bello omni, consequenter etiam in præsente, adhærere velle declarat. Neutrarum igitur partium esse nequit, si in foedere promissa præstet. Parti nimirum uni belligerantium aliter adhærere nemo potest, nisi opem in bello quomodocunque eidem ferendo. Foedus itaque belli pangens ipso facto declarat, quod, si foederatum bello implicari contingat, neutrarum partium esse nolit (§. 672.). Quodsi enim neutrarum partium esse vellet, pacto adjicienda foret exceptio, ut sibi liceat opem promissam non ferre, siquidem e re sua non esse contingat, ut bello sese immisceat. Hoc autem

tem modo nemo contrahet, cum obligatio a voluntate paciscentis suspenderetur, nec ulla foret præstationis certitudo, cujus causa alterum nobis obligamus.

§. 737.

Publicare bellum dicitur, qui potestatibus summis aliis atque subditis suis bellum a se susceptum palam facit. *Publicatio* igitur *belli* est significatio ejus facta ab eo, qui bellum suscepit, potestatibus summis aliis atque subditis suis. Quamobrem patet, *publicationem fieri eo fine, ut tam aliarum Gentium Rectoribus, quam subditis bellum gerentis constet, habere se bellum susceptum cum hac vel ista Gente.* *Publicationis belli definitio ac finis.*

Differt publicatio a denunciatione. Denunciatur enim bellum ei, cui bellum inferre decrevimus, ut eidem constet, nos jus nostrum adversus eum vi prosecuturos (§. 706.): bellum autem publicatur Gentibus, ad quas idem non pertinet, atque subditis ejus, a quo bellum geritur, ut non ignorent sese bellum habere cum hac vel ista Gente. Differunt itaque tum subjectis, quibus fit significatio, quam fine, quo eadem fit. Ac ideo duo actus prorsus diversi sunt, quorum alter absque altero esse potest.

§. 738.

Quoniam bellum publicatur eo fine, ut tam aliarum Gentium Rectoribus, quam subditis bellum gerentis constet, habere se bellum susceptum cum hac, vel ista Gente (§. 737.); *publicatio belli locum habet tam in bello defensivo, quam offensivo, & sive id denunciatum fuerit, sive minus.* *Quandonam eidem sit locus.*

Non temere fit publicatio belli: eorum itaque, quibus publicatur, interesse debet, ut norint, eum, quo autore bellum publicatur, bellum susceptum habere cum hac vel ista Gente.

 Atque

Atque hinc patet, quænam pro diversitate circumstantiarum palam fieri debeant in publicatione.

§. 739.

De modo publicandi bellum.

Cum bellum publicans iis, quibus publicatur, significet, bellum a se susceptum cum hac vel ista Gente (§. 737.), alteri autem aliquid significare possimus verbis vel ore prolatis, vel scriptis; *publicari bellum aliarum Gentium Rectoribus potest vel per ministros, quos quis in aulis eorum habet, vel per litteras ad eos missas, subditis autem vel per præcones, vel per Rescripta, immo utrisque per scripturam typis expressam.*

Inventa arte typographica publicatio omnium optime fit per scripturam typis expressam, cujus exemplaria cum in aulis Principum distribui, tum a subditis & quovis alio levi pretio comparari & legi possunt. Per præcones autem publicatio fieri solet in urbe regia. Vocantur idiomate patrio *Præcones* Herolde, suntque personæ, quæ jussu Potestatis summæ ritu solenni publice aliquid ore denunciant.

§. 740.

De manifesto & antimanifesto belli.

Scriptura typis expressa, qua bellum offensivum publicatur, hodie dicitur *Manifestum:* quæ vero eidem de bello defensivo ab altera belligerantium parte opponitur, *Antimanifestum.* Nos illam vocamus ein Manifest; hanc vero ein Gegen-Manifest. Utraque communi nomine vocari solet *Declaratio belli*, eine Kriegs-Declaration. Quoniam bellum injustum illicitum est (§. 1111. *part. 1. Jur. nat.*), & quicquid in eo fit illicitum pariter est (§. 1112. *part. 1. Jur. nat.*); nemo autem videri vult injusta, consequenter sine justa causa (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*), gerere; *in manifestis non modo significatur, quod bellum cum hac vel ista Gente fuerit susceptum*

ptum, sed etiam qua de causa id factum fuerit, consequenter *rationes belli justificæ exponuntur* (§. 621.). Quoniam vero nec is, a cujus parte defensivum est bellum, videri vult bellum injustum gerere; *in antimanifesto rationes justificæ in manifesto expositæ confutantur* &, *si quæ præterea fuerint rationes justificæ, quos pro se allegare potest defensor, eædem explicantur.* Cumque præterea per manifesta & antimanifesta etiam subditis utriusque belligerantium partis bellum publicetur (§. 738.); *in iis non modo præcipitur, ut unius belligerantium subditi subditos alterius pro hostibus habere, sed etiam quid durante bello facere, aut non facere debeant.*

Diximus, in manifestis & antimanifestis, seu belli declarationibus exponendas esse rationes belli justificas: suasoriæ enim, cum per eas intelligatur, utrum e re belligerantis sit bellum suscipere, nec ne, celandæ, non manifestandæ, utpote ad arcana status pertinentes, quæ palam facere velle prudentiæ repugnat, ad quam nos obligat ipsa lex naturæ (§. 258. *part. 1. Jur. nat.*). Cum bellum ex utraque parte justum esse nequeat (§. 633.); facile patet, rationes justificas firmas ab utraque belligerantium parte in medium afferri minime posse. Quodsi vero causa belli fuerit dubia, utraque pars probabiles habet rationes, quæ veri speciem habent: alias pars altera nonnisi rationes quasi justificas prætexit (§. 624. 625.). Exponuntur autem in belli declarationibus potissimum rationes justificæ in gratiam exterorum, ut de justitia belli judicare possint; in gratiam vero subditorum explicantur, ut præcludantur eorum de bello suscepto querelæ, aut saltem leniantur. Horum vero causa unice inseri præcepta & prohibitiones eorum, quæ durante bello ab iisdem fieri, aut non fieri debent, per se patet.

§. 741.

An declarationes belli subditorum respectu sint leges.

Declarationes belli respectu subditorum sunt leges, quatenus in iis certa præcipiuntur, vel prohibentur. Etenim superiori competit potestas legislatoria (§. 813. *part. 8. Jur. nat.*) & legibus ab ipso latis non obligantur nisi membra civitatis (§. 967. 965. *part. 8. Jur. nat.*), sive subditi (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum regula, juxta quam actiones nostras dirigere obligamur, lex sit (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eaque præceptiva, quæ ad faciendum, prohibitiva vero, quæ ad non faciendum obligat (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*); denunciationes belli respectu subditorum sunt leges, quatenus in iis certa præcipiuntur, vel prohibentur.

Cum hostes sint, quibus inter se bellum est (§. 722.); si bellum publicatur subditis, eo ipso jam constat, se esse hostes subditorum partis adversæ & eos sibi etiam hostes esse, ac propterea quatenus hostes esse debent declaratio belli jam per se subditorum respectu vim legis habet: quoniam tamen superior subditis suis expresse præcipere solet, ut partes alterius subditos habeant pro hostibus, ac ipsis sint hostes, & præterea in specie nonnulla præcipit atque prohibet; ideo declarationem belli legem esse dicimus, quatenus in iis certa præcipiuntur ac prohibentur. Sane nec declaratio belli in se spectata respectu subditorum lex dici potest, nisi quatenus in ea continetur tacitum præceptum de subditis alterius, cum quo bellum est, pro hostibus habendis.

§. 742.

De iis, quæ in belli declarationibus vitanda.

In declarationibus belli abstinendum est a verbis & dictionibus, quæ odium & vindictæ cupidinem spirant, nec argumento ab invidia ducto utendum. Bellum enim geri debet absque odio partis adversæ (§. 1119. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque hostis (§. 722.), cumque animus ab omni vindictæ cupidine alienus esse debeat

beat (§. 948. *part. 1. Jur. nat.* & §. 3. *h.*), vindictæ cupido ab omni quoque bello procul abesse debet. Quamobrem cum belligerantes nihil odio atque vindictæ dare debeant, nec in declarationibus belli uti licet verbis ac dictionibus, quæ odium & vindictæ cupidinem spirant. *Quod erat unum.*

Quoniam argumentum ab invidia in declaratione belli duci nequit, nisi ea intentione, ut aliarum Gentium odia in hostem convertantur (§. 1049. *Log.*), hæc vero intentio vindictæ cupiditatem prodit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), a qua alienus esse debet belligerantium animus (§. 948. *part. 1. Jur. nat.* & §. 3. *h.*); in declarationibus belli argumento ab invidia ducto utendum non est. *Quod erat alterum.*

Dedecet eruditos, si linguam temperare nesciunt, ut non tam rationibus, quam conviciis, turpi impotentis animi foetu, inter se certent, ac pravis affectibus fræna laxent. Multo magis igitur dedecet Rectores civitatum, qui actus regios, in quorum numero etiam est belli declaratio (§. 284. *part. 8. Jur. nat.* & §. 740. *h.*), ad gloriam Gentis suæ referre debent (§. 51.), si perversos illorum mores imitentur, quos in ipsis tolerare non debent (§. 650. *part. 8. Jur. nat.*). In declarationibus belli recensenda sunt facta & ad ea applicanda principia Juris naturæ atque Gentium (§. 740.): id quod fieri potest absque ulla verborum asperitate & absque argumento ab invidia ducto. Si quis foedus non servavit, aut eidem contraria facit; recense, quæ in foedere promissa sunt, & quæ foederatus non fecit, aut quæ fecit in contrarium, provoca ad foederum inter Gentes sanctitatem: sed absit ut hostem tuum dicas foedifragum ac perfidum, cui nihil tum sanctum sit, quod non violet. Non est, quod objicias, si facta recenseantur & jus ad eadem applicetur; inde ab aliis recte inferri, quod sit foedifragus ac perfidus, quod sit nullius fidei eidemque nihil tam sanctum, quod non violet. Perinde igitur esse, sive rationes

tiones suppedites lectori, quibus id evincitur, sive vitium in hoste hærens proprio suo nomine appelles, nec veritatem dicendo eidem injuriam fieri, cum alias abstinendum foret etiam a recensione factorum. Oppido nimirum falleris, si ea tibi paria videntur. Etenim declaratione belli non aliud intenditur, quam ut aliis constet de causa belli a te suscepti (§. 740. 737.). Ad hoc vero sufficit, ut iis perspecta sint facta & principia Juris naturæ ac Gentium ad ea applicanda, minime autem requiritur, ut tuum de vitiis hostis tui judicium apponas. Quodsi ergo hoc facis, id non fit animo alios instruendi, sed animo nocendi hosti aut famæ ejus detrahendi, ac aliunde quam ab odio erga hostem, vindictæ cupidine atque perversis aliis affectibus istos comitantibus proficisci nequit. Quod enim a ratione minime venit, id appetitui sensitivo & aversationi sensitivæ tribuendum, in quibus sedem suam affectus habent. Quæ jam diximus, ea facile applicantur ad argumentum quoque ab invidia ductum, utpote quod e diametro adversatur intentioni, qua fieri debet belli declaratio. Quodsi porro urgeas, fieri posse, ut quis proprio suo nomine appellet id, quod veritati consentaneum agnoscit, aut saltem agnoscere sibi videtur, etiamsi nullo in hostem odio, nulla cupiditate vindictæ flagret, nec pravis affectibus aliis impellatur: facilis etiam est responsio. Concedamus tantisper, quod tamen concedi nullo modo posse ex modo dictis satis claret, hæc ita sese habere; nemo tamen negare poterit ulla veri specie, Rectores civitatis adimplere debere viri boni partes, cum hæc obligatio omnes in universum teneat (§. 967. *part. 5. Jur. nat.*): viri boni autem est ea etiam omittere, quæ jure facere poterat, siquidem metuendum sit, ne quibusdam suspicionem famæ suæ adversam præbeat (§. 968. *part. 5. Jur. nat.*). Parum itaque gloriæ Rectoris civitatis consulunt illi, quibus demandatum est, ut declarationem belli concipiant, si a modestia tam procul adhuc sint remoti, ut linguam temperare nesciant,

§. 743.

§. 743.

Hostem amare & diligere debemus tanquam nosmetipsos. *De amore & dilectione hostium.*
Unusquisque enim hominem alium quemcunque amare (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*) atque diligere debet tanquam seipsum (§. 618. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum hostis tuus sit, cum quo tibi bellum est (§. 722.), bellum autem geri possit absque odio in eundem (§. 1119. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter amori non obstet (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*); hostem quoque diligere & amare debemus tanquam nosmetipsos.

Quodsi bellum obstaret amori atque dilectioni hostium, quæ sine ulla restrictione præcipitur (§. 618. 619. *part. 1. Jur. nat.*), cum obligatio naturalis sit prorsus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec bellum unquam foret licitum. Lex naturæ non tribuere potest jus ad id, sine quo obligationi naturali satisfacere minime potes. Quodsi amor & dilectio hostis durus videatur nonnullis, illi hostem cum inimico confundunt, & per consequens amorem inimicorum iniquum esse existimant, quos odium mereri arbitrantur. Quantum vero a veritate absint, per ea, quæ alibi (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*) demonstravimus, patet.

§. 744.

De amico in hostem animo.
Quoniam hostes amare & diligere debemus tanquam nosmetipsos (§. 743.), quem vero amamus, ejus amici sumus (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*); *hostium quoque amici esse debemus*, & *quoniam* inimicorum quoque amici esse debemus (§. 633. *part. 1. Jur. nat.*), *inimicum in hostem animum habere non licet, si vel maxime ipse nobis sit inimicus.*

Monuimus jam superius, differre hostem ab inimico, nec necesse esse, ut qui hostis est idem sit inimicus (*not.* §. 722.).

Aſt hic oſtendendum erat, non eſſe arbitrii noſtri, utrum hoſtibus amici, an inimici eſſe velimus. Equidem non ignoro, fore longe plurimos, præſertim profano hoc ſeculo, quo religio & honeſtas in contemtum adducitur, immo ludibrio habetur, qui amorem hoſtium & amicum in eos animum deriſuri ſunt. Aſt parum nos movet irriſio illorum, qui malæ mentis ſunt & quibus aditus ad penetralia veritatis præcluſus, memores illius *Epicteti*, ſi quis philoſophari conſtituerit, ei cogitandum eſſe, fore ut a multis dirideatur. Veritatem profitemur, non vero ſcribimus, ut placeamus iis, qui a veritate alienum habent animum. Utinam vero amor hoſtium altas radices ageret in animis omnium belligerantium! Ita enim demum ſperandum foret, bella geſtum iri ea religione, qua geri debent per ea, quæ in capite ſequente demonſtraturi ſumus, nec jus belli per ſe Gentibus ſatis infeſti in hoſtilem licentiam verteretur, neque belli pericula in infinitum abirent.

§. 745.

De jure conſcribendi militem.

Qui jus belli habent, iis etiam competit jus conſcribendi militem. Bellum publicum ſine militibus geri non poſſe palam eſt (§. 610.). Quamobrem ſi quis jus belli habet, eidem quoque competit jus conſcribendi militem.

Jus conſcribendi militem cum jure belli adeo arcte cohæret, ut ſine eo hoc foret nullum. Quemadmodum vero jus omne abuſui patet, ita etiam jus conſcribendi militem in abuſum trahi poteſt. Quamobrem cum jus belli a nobis jam explicetur, nec ab inſtituto noſtrum alienum eſt, jus quoque conſcribendi militem enucleare.

§. 746.

Cuinam id competat.

Quoniam qui jus belli habent, iis etiam competit jus conſcribendi militem (§. 745.), Gentes autem jus belli habent (§. 613.); *Gentibus* quoque *jus conſcribendi militem* compe-

competit, consequenter *si Gens jus belli in Rectorem civitatis transfert, in eundem quoque jus conscribendi militem transfert*, ac ideo *is jus conscribendi militem habet.* Quoniam vero populus, dum imperium transfert, ejus exercitium ad certas leges fundamentales restringere potest (§. 36. 77. *part. 8. Jur. nat.*), Rector autem civitatis plus juris non habet, quam populus in eum transferre voluit (§. 43. *part. 8. Jur. nat.*); *si jus conscribendi militem legibus fundamentalibus fuerit adstrictum, non aliter quam iisdem convenienter idem exercere*, consequenter *in conscribendo milite nihil committere potest, quod legibus fundamentalibus adversatur.*

Si nullæ dentur leges fundamentales de conscribendis militibus, actum hunc regit solum Jus naturæ: qua de causa hic demonstrandum, quid eidem conveniat, quid disconveniat.

§. 747.

Cum qui jus belli habet, ei etiam competat jus conscribendi militem (§. 745.), consequenter jus conscribendi militem cum jure belli arctissime cohæreat, jus autem belli ad jura majestatica pertineat (§. 943. *part. 8. Jur. nat.*); *jus quoque conscribendi militem ad jura majestatica pertinet.* *An sit jus majestaticum.*

Insinuat idem ipsa jurium majestaticorum notio (§. 207. *part. 8. Jur. nat.*). Etenim cum imperium civile consistat in jure determinandi ea, quæ ad publicum bonum promovendum requiruntur (§. 60. *part. 8. Jur. nat.*), ad hoc vero etiam requiratur, ut cives sint tuti ab injuria aliorum & a vi externa hostium, ipsaque civitas satis potens ad huic resistendum (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*), id vero minime obtineri posse sine milite per se pateat; jus conscribendi militem ad exercitium imperii civilis, adeoque ad jura majestatica pertinere manifestum est (§. 207. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 748.

Quomodo jus conscribendi militem exercere debeat Rector civitatis.

Si jus conscribendi militem nulla lege fundamentali fuerit limitatum; Rector civitatis id exercere potest, prouti visum fuerit, ita tamen exerceri debet, ne bonum publicum impediatur, seu aliquid inde capiat detrimenti. Etenim si jus conscribendi militem nulla lege fundamentali fuerit limitatum, cum Rectori civitatis nihil præscriptum sit, quod in milite conscribendo observare teneatur (§. 77. *part. 8. Jur. nat.*), judicio ipsius relictum est, quomodo idem exercendum sit, consequenter id exercere potest, prouti ipsi visum fuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam imperium civile, consequenter etiam jus conscribendi militem (§. 747. *h.* & §. 207. *part. 8. Jur. nat.*), ita exerceri debet, ut bonum publicum, quantum fieri potest, promoveatur (§. 809. *part. 8. Jur. nat.*), & omnis Rector civitatis, quacunque lege imperium in eum fuerit translatum, obligatur ad faciendum ea, quæ ad bonum publicum promovendum requiruntur, & ad non faciendum ea, quæ eidem adversantur (§. 84. *part. 8. Jur. nat.*); si jus conscribendi militem nulla lege fundamentali fuerit limitatum, ita id exercere debet, ne bonum publicum impediatur, seu aliquid inde capiat detrimenti. *Quod erat alterum.*

Libertas exercendi imperium civile non confundenda est cum licentia idem exercendi. Cum enim imperium civile metiendum sit ex fine civitatis (§. 30. 31. *part. 8. Jur. nat.*) nec in Rectorem civitatis, quacunque lege translatum fuerit, aliter translatum intelligatur, quam ut saluti publicæ convenienter exerceatur (§. 88. *part. 8. Jur. nat.*); libertas exercendi imperium obligationem Rectoris civitatis inde manantem minime tollit, ac propterea ipsi saltem convenit judicare, quid

quid e re civitatis sit, a cujus fine petenda est ratio ejus, quod decernitur.

§. 749.

In casu extremæ necessitatis omnes subditi operas militares præstare obligantur, qui possunt: extra hunc casum milites conscribendi non sunt, qui alias Reip. utiles ac necessarias operas præstare & ad sumtus bellicos contribuere possunt. In civitate enim singuli obligantur universis ea conferre, quæ ad commune bonum civitatis conferre possunt (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiam operas suas ad civitatem adversus vim hostium defendendam (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo necessitas exigat, ut quivis subditorum promiscue in arma veniat; in hoc casu extremæ necessitatis omnes, qui possunt (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), operas militares præstare obligantur. *Quod erat unum.*

Quinam milites conscribendi.

Enimvero quoniam commune bonum civitatis, ad quod singuli conferre debent, quod possunt (§. 19. *part. 8. Jur. nat.*), non solum in eo consistit, ut civitas adversus vim externam hostium defendatur, sed etiam ad idem requiratur, ut civitas abundet iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, & ut felicitati singulorum prospiciatur ac quilibet tutus sit ab injuria aliorum (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*), atque propterea non omnes eandem operam Reip. præstare possunt, sed alius hanc, alius illam præstare debet; ita nec omnes promiscue ad operas militares præstandas obligantur, nisi extrema adfuerit necessitas, *per demonstrata n. 1.* Quamobrem qui Reip. utiles & necessarias operas alias, quam militares præstare possunt, cumque haud modicos bellum requirat sumtus, ab universis præstandos

(§. 775. *part. 8. Jur. nat.*), ad eos contribuere valent, milites conſcribendi non ſunt. *Quod erat alterum.*

Ut Resp. conſervetur & floreat, non ſolum militibus opus habet, verum etiam aliis longe plurimis, qui diverſa vitæ genera ſequuntur, prouti non modo obvia experientia loquitur, verum etiam a priori abunde patet ex iis, quæ in parte octava Juris naturæ de Rep. conſtituenda prolixe demonſtravimus. Sicuti in corpore humano non omnium membrorum eadem eſt functio, ſed unumquodque ad conſervationem ejusdem confert id, ad quod aptum eſt; ita quoque in civitate, quæ corpori humano aſſimilatur, diverſæ ſunt functiones, ad ejus conſervationem atque ſalutem requiſitæ, quas membra civitatis inter ſe partiri tenentur. Superioris cum ſit diſpicere, ne deſint tales, quales ad hunc, vel iſtum finem particularem conſequendum requiruntur (§. 399. *part. 8. Jur. nat.*); cavere idem omnino debet, ne arma gerere cogantur, qui aliam Reip. neceſſariam, aut utilem operam præſtare poſſunt, præſertim ſi in eo, quod ſequuntur, vitæ genere excellunt, ſed ut, ſi nulla inprimis urgeat neceſſitas, militiæ deſtinentur, qui vel indigentia, vel negligentia, vel imperitia in eo, quod ſequuntur, vitæ genere ſe Reip. utiles præbere nequeunt. Quodſi hæc perpendantur, non difficile erit dijudicare, quomodo jure conſcribendi militem recte utatur ſuperior, & quando eodem abutatur: ſolæ nimirum rationes ſuaſoriæ non faciunt licitum modum conſcribendi militem, quem jus minime tuetur. Prudentia juris præſidio deſtituta prudentia non eſt, ſed ad abuſum referenda.

§. 750.

An inviti conſcribendi milites.

Nemo invitus conſcribendus eſt miles, niſi neceſſitas exigat. Etenim non omnes promiſcue obligantur operas militares præſtare Reip. niſi in caſu extremæ neceſſitatis, & extra hunc miles conſcribendus non eſt, qui alias Reip. neceſſarias & utiles

utiles operas præstare vult ac potest, & ad belli sumtus contribuere valet (§. 749.). Quodsi ergo necessitas non exigat, ut superior potestate eminente usus (§. 114. *part. 8. Jur. nat.)* invitos ad castra sequenda compellat (§. 116. *part. 8. Jur. nat.)*, nemo invitus miles conscribendus.

Invitos conscribere milites ad potestatem eminentem Rectoris civitatis utique pertinet, cum libertas singulorum in civitate quoad eas actiones, quæ ad bonum publicum promovendum faciunt, non restringatur ultra id, quod finis civitatis exigit (§. 33. 47. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo non desint, qui sponte castra potius sequi, quam alias operas Reip. præstare malunt; nulla quoque ratio est, cur inviti arma gerere cogantur. Enimvero cum superioris sit, in quolibet vitæ genere determinare numerum eorum, quibus id sequi permissum (§. 401. *part. 8. Jur. nat.*), & dispicere, ne desint tales, qui ad idem apti sunt (§. 399. *part. 8. Jur. nat.*); necesse omnino est, ut hi potius, qui ad vitæ genus, quod sequi debebant, inepti quacunque de causa deprehenduntur, militiæ destinentur, quam alii. Quodsi ergo iidem inviti conscribantur milites, necessitas omnino exigit, ut inviti conscribantur. Atque ita obtinetur, ut Reip. utiles se præstent, qui alias parum utiles se eidem præstituri erant. Convenit hoc juri universorum in singulos, consequenter imperio civili hoc jus inest (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*), ut cogantur ii, qui obligationi suæ satisfacere nolunt, vel in eo se negligentes præbent, ut satisfaciant (§. 29. *part. 8. Jur. nat.*), hoc est, ut utiles sese Reip. præbeant (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Ceterum absit, ut tibi persuadeas, quando licentia a libertate in exercitio iuris conscribendi militem distinguitur, eo ipso imminui jus superioris. Imperium multa & varia jura continet. Quamobrem unum non ita exerceri debet, ut derogetur juri alteri. Recto juris usu hoc demum præcavetur, non abusu. Manet enim ratum, omnia confundi, quamprimum a recto

jusis

juris usu, quem finis civitatis definit (§. 30. *part. 8 Jur. nat.*) & salus publica, suprema in civitate lex (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), urget (§. 88. *part. 8. Jur. nat.*), discesseris. Omnia in civitate inter se connexa sunt, & connexionem finis facit, cujus gratia in civitatem coiverunt homines (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*). Quicquid igitur in eadem fit, non in se spectandum, sed in relatione ad cetera, quæ ad finem civitatis consequendum faciunt. Resp. omnibus suis numeris perfecta esse nequit, nec cessant justæ civium querelæ, nisi in administrando Rep. id observetur. Maximi itaque momenti est nihil statuere, nisi integro fine perspecto: satis hoc intelligent, qui ea mentis perspicacia præditi sunt, quæ ad Remp. bene ac recte administrandam requiruntur.

§. 751.

Quinam ad ministerium bellorum non obligentur.

Qui ad ministerium bellorum aptus non est, ad idem minime obligatur. Qui enim ad ministerium bellorum aptus non est, eidem impossibile est, ut idem subeat: quod per se patet. Quamobrem cum nemo obligetur ad id, quod impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui ad ministerium bellorum aptus non est, ad idem minime obligatur.

Obligatio omnis, quæ moralis quædam necessitas est, supponit physicam agendi possibilitatem. Quodsi ergo quis arma ferre non potest, eum natura a ministerio bellorum prohibet, ac ideo nec ipse sese ad idem obligare, nec lege naturæ obligari potest.

§. 752.

Quænam sint personæ istæ.

Quia *ad ministerium* bellorum non obligantur, qui ad idem apti non sunt (§. 751.); ad id *non obligantur infantes, pueri, senes aliæque personæ debiles*, itemque *in labore militari nimis timidi, & si qua alia sunt animi vitia, quæ armorum usum impediunt.*

Foemi-

Foeminas a bellorum ministerio non arcet natura, quas propter sexum ad id non esse ineptas, experientia comprobat: neque enim desunt exempla foeminarum, quæ vel aperto Marte pugnarunt, vel sexum mentitæ virorum cohortibus se associarunt. Similiter civile est, si servi a bello arceantur, ut olim Romæ: nam non semper consultum videtur, perfidam istam multitudinem armis exerceri. Naturalis quoque ratio nulla est, cur clerici ministerio bellorum prohibeantur.

§. 753.

De milite in alieno territorio legendo.

Nemini in alieno territorio invito superiore militem conscribere licet: Quodsi vero ab eodem permittatur, nonnisi volentes legere alieno territorio licet. In alieno enim territorio nemo sibi jus quoddam arrogare potest (§. 293.), nec Rector civitatis permittere tenetur subditis, ut discedant, quorum opera ad defendendum Remp. opus habet (§. 406. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem nemini in alieno territorio militem conscribere licet, invito superiore. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam cum consensu superioris quilibet a civitate discedere potest (§. 407. *part. 8. Jur. nat.*), vi tamen obligationis, qua universitas singulis tenetur (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*), e civitate ejici non potest nisi ob crimen commissum (§. 589. 595. *part. 8. Jur. nat.*); superior equidem peregrinis concedere potest, ut in territorio suo legant milites, ast nonnisi sub hac conditione, ut non legant, nisi volentes. *Quod erat alterum.*

Pactum inter singulos & universos, quo civitas constituta (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), & cui accedunt, quotquot postea se civitati associant, mutuam parit obligationem, nimirum in singulis obligationem non discedendi e civitate sine consensu expresso, sive tacito universitatis, consequenter ejus, qui jus

universitatis habet, in universitate autem obligationem neminem civium invitum e civitate ejiciendi. Pactum hoc tueri debet Rector civitatis, in quem cum jure universitatis sive populi transiit quoque ejusdem obligatio. Neutra pars ab obligatione sua seipsam liberare potest (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter nil committere, quod eidem adversatur, etsi pars utraque jus suum obligationi partis alterius respondens remittere possit (§. 117. *part. 8. Jur. nat.*), quo facto obligatio ista extinguitur (§. 97. *part. 3. Jur. nat.*). Quando itaque superior peregrino permittit legere milites in suo territorio; permissio hæc continet conditionatam remissionem juris universitatis in singulos, scilicet ut liberum ipsis esse debeat e civitate discedere vel in perpetuum, vel ad tempus, prouti ipsis libuerit, si velint. Neque enim libertas discedendi continet obligationem non redeundi, sicuti in relegatione (§. 595. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 754.

An in alieno territorio invito superiore militem legens injuriam faciat.

Quoniam nemini *in alieno territorio militem* conscribere licet *invito superiore* (§. 753.); *si quis legere audet, jus Gentis violat, ac ideo injuriam eidem facit* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), cumque injuria hæc crimen sit (§. 581. *part. 8. Jur. nat.*) a peregrino commissum (§. 7. *part. 8. Jur. nat.*), peregrini autem in territorio alieno delinquentes juxta leges loci puniendi sint (§. 301.), *si peregrinus in territorio alieno invito superiore militem legere audet, deprehensus puniri potest.*

Qui milites in alieno territorio invito superiore, aut venia non impetrata, legit, aut id facit inscio superiore suo, aut jussu, vel tacita ratihabitione ejusdem. In priori casu crimen committitur a legente, nulla vero est injuria ejus, cui is subditus est: ast in casu posteriori cum is, cui paret militem legens, ad hujus crimen concurrat, ab eodem jus Gentium violatur, & injuria ab ipso facta distinguenda a crimine, quod legens

legens committit. Rationes suasoriæ plerumque jubent injuriam dissimulari, & crimen legentis tanto gravius puniri, ut ex ejus casu sapere discant alii: jus enim puniendi infinitum est (§. 1063. *part. 1. Jur. nat.*), cui demum limites ex circumstantiis præsentibus præfiguntur (§. 977. *part. 1. Jur. nat.*), unde nimirum æstimandum, quanta poena sufficiat ad avertendum periculum læsionis futuræ (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum poenæ capitales quoque licitæ sint, si sine iis crimina coërceri nequeunt (§. 638. *part. 8. Jur. nat.*); quin poena capitali coërceri possint, qui in territorio alieno milites legunt, non impetrata a superiore venia, dubitandum non est. Securitati publicæ maxime adversatur, ut peregrinus territorium alienum ingrediatur & pro lubitu militem ibidem legat, vel prorsus vi clandestina, aut persuasionibus mendacibus cives abducat. Quamobrem nec injustum, nec durum videri potest, si hoc crimen suspendio coërceatur (§. 603. *part. 8. Jur. nat.*), quemadmodum subinde contigisse haud ignotum est.

§. 755.

Plagium dicitur surreptio hominis, qui alterius cujusdam potestati subjectus est. Quamobrem cum hominem surripiat, qui dolose eum potestati ejus, cui subjectus est, subducit & sibi jus quoddam in eum asserit, ablatio vero rei alienæ, consequenter rei dominio alterius subjectæ (§. 146. *part. 2. Jur. nat.*), inscio ac invito domino animo eam suam faciendi facta furtum sit (§. 498. *part. 2. Jur. nat.*); actus, quo *plagium* committitur, cum actu furandi convenit, ac ideo *furtum hominum recte habetur.* *Plagium quid sit.*

Plagium & furtum genere utique conveniunt ac nonnisi specie differunt, quam differentiam parit objectum, in quo committitur delictum. In plagio alteri surripitur jus, quod ha-

 bet

bet in hominem; in furto autem jus, quod habet in re. In isto jus sibi non competens delinquens asserit in hominem; in hoc autem in re. Ab autoribus itaque, qui criminalia tractant, furtorum speciebus recte annumeratur furtum hominum, quod plagium dicitur. Nihil in eo asseritur, quod non conveniat notionibus generum atque specierum (§. 236. *& seqq. Ontol.*) & modo, quo datis notionibus specierum notio generis & ex adverso data notione generis notiones specierum formantur (§. 711. 712. *Log.*). Neque difficile foret, definitionem plagii, quam dedimus, applicare ad exempla textuum Juris civilis, nisi prolixitas ista adversaretur præsenti instituto, & ex iis, quæ sequuntur, satis appareret, eadem ab illa minime abhorrere.

§. 756.

In quibusnam hominibus committatur plagium.

Quoniam plagium committitur, si quis hominem alterius cujusdam potestati subjectum surripit, adeoque potestati ejus eundem dolose subducit & jus quoddam in eum sibi asserit (§. 755.), servi autem potestati domini (§. 1081. *part. 7. Jur. nat.*), liberi potestati parentum (§. 661. *part. 7. Jur. nat.*), uxor potestati mariti (§. 306. 428. *part. 7. Jur. nat.*), & subditi in civitate potestati superioris (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*), etiam eminenti subjecti sunt (§. 114. *part. 8. Jur. nat.*); *plagium committit, qui servum alienum surreptum vendit, vel etiam sciens emit, aut eidem persuadet, ut a domino fugiat eumque celat; qui liberos alienos surripit, & tanquam suos in servitutem tenet, vel ut certo pretio a parentibus redimantur, aut quacunque de causa minime honesta; qui uxorem alienam surripit, ob causam minime honestam; qui subditos alienos surripit, ut eos in servitutem asserat, vel ad ministeria bellorum cogat.*

Exempla hæc plagiorum in medium afferre libuit, ut inde in casibus aliis de plagio commisso facilius sit judicium. Dabilem

bilem vero esse casum, in quo pretii redemtionis lucrandi causa liberi surripiuntur, exemplum apud *Carpzovium* Criminal. part. 2. quæst. 83. n. 91. f. 363. probat. Ita plagium omnino est, si quis marito surripit uxorem, ut ipsemet eam ducat, vel ubi lenocinia tolerantur, quemadmodum apud nonnullas Gentes eadem tolerari constat, veluti apud Sinenses, ut quæstum ex usu corporis ejus faciat, vel ut pretium lucretur ab alio, qui eandem abducere & cum ea pactum connubiale inire vult. Quidni etiam ad plagium referas raptum, qui committitur vi abducendo libidinis, vel etiam matrimonii contrahendi causa personam honestam, aut invitis parentibus filiam, quia in matrimonium consentire nolunt?

§. 757.

De iis, qui subditos alienos surreptos ad ministeria bellorum cogunt.

Qui subditos alienos dolose surreptos ad ministeria bellorum cogunt, potestatem eminentem ejus, cujus sunt subditi, violant. Etenim superiori in civitate competit potestas eminens, vi cujus de persona civis salutis publicæ causa disponere potest in casu necessitatis (§. 114. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiam invitum scribere militem (§. 750.). Quodsi ergo quis subditos alienos, in quos ipsi jus nullum competere per se patet, dolose surreptos ad ministeria bellorum cogit, consequenter invitos milites scribit (§. 610.); is sibi potestatem eminentem ejus, cui is subditus est, arrogat eandemque ipsi aufert. Quamobrem cum jus alterius violet, qui idem alteri aufert sibique arrogat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui subditos alienos dolose surreptos ad ministeria bellorum cogit, potestatem eminentem ejus, cujus sunt subditi, violat.

Cum Genti unicuique competat jus non patiendi, ut alia quædam jus quoddam suum sibi auferat (§. 267.), & puniendi alteram, quæ ipsam læsit (§. 272.); durum videri nequit, quod militem invitum in territorio alieno legens pere-

grinus suspendio puniatur (*not.* §. 754.), tanto quidem magis, si proprio motu id fecerit peregrinus homo privatus, quod in casu dubio præsumitur, cum non vereatur surripere Rectori civitatis jus majestaticorum facile summum (§. 747. *h.* & §. 114. *part. 8. Jur. nat.*), præsertim ubi leniora media avertendo periculo non sufficiunt (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 758.

An injuria fiat Genti.

Quoniam qui subditos alienos dolose surreptos ad ministeria bellorum cogunt, potestatem eminentem ejus, cujus sunt subditi violant (§. 757.), in violatione autem juris alterius injuria consistit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui subditos alienos dolose surreptos ad ministeria bellorum cogunt, injuriam faciunt ei, cujus sunt subditi*, consequenter cum jus, quod violatur, jus populi sit in Rectorem civitatis translatum (§. 42. *part. 8. Jur. nat.* & §. 39. *h.*), *ipsi Genti* adeoque *si hoc faciunt jussu aut permissu superioris sui, is ipse injuriam facit, seu injuria Genti a Gente facta intelligitur* (§. 654. 675. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Magnitudinem injuriæ non capiunt, qui jurium majestaticorum ac inprimis potestatis eminentis notionem non habent, aut saltem non satis distinctam, nec perpendunt, quanti sit violatio juris majestatici a peregrino facta. Quamvis enim Rectori civitatis nullum competat jus in peregrinum; non tamen propterea jus ipsi qua Rectori civitatis competens pro lubitu violare licet: alias nimirum concedendum foret, contra jus alterius quemlibet facere posse, quod lubet, qui juri alterius subjectus non est. Quam vero hoc sit absurdum, utpote e diametro adversum legi naturali (§. 910 *part. 1. Jur. nat.*), nemo non videt, nisi crassa omnis juris naturalis ignorantia laboret ac sensum communem ejus, quod sibi ab altero fieri non vult, exuerit. Atque hac de causa de Rectore civitatis non præsumitur, quod surreptio subditorum aliorum ministeriorum

riorum belli causa fiat ipso volente, nisi manifesto de voluntate ejus constet, ut præsumtionem vincat veritas. Etsi autem ipso volente plagium committatur ab iis, quibus commissum, ut milites legant; in eos tamen non injuste animadvertitur, cum legi naturæ repugnantia imperanti superiori non sit parendum (§. 1044. *part. 8. Jur. nat.*), nec propterea maleficium tale esse definat, quod committatur jussu superioris, neque obedientia illicita alteri auferat jus ex maleficio acquisitum.

§. 759.

Quando plagium ministeriorum belli causa factum sit ratio justifica belli.

Quoniam Rector civitatis injuriam facit Genti alteri, si jussu, vel permissu ejus committatur plagium ministeriorum belli causa (§. 758.), justa autem belli causa est injuria facta (§. 617.), & rationes belli justificæ sunt, quæ desumuntur a jure ad bellum (§. 621.); *plagium ministeriorum belli causa factum jussu, vel permissu Rectoris civitatis rationibus belli justificis accensendum.*

Etsi adeo consultum non sit, ut propter plagium ministeriorum belli causa factum jussu, vel permissu summæ potestatis statim in arma veniatur; in belli tamen declarationibus inter rationes justificas recenseri potest (§. 740.). Nec obstat, si vel maxime in plagiarios fuerit animadversum: hi enim justam pœnam dederunt injuriæ a se commissæ, nondum vero satisfactum de injuria potestatis summæ (*not.* §. 758.).

§. 760.

Stipendium quid sit.

Stipendium dicitur æs, quod militibus eorumque præfectis sustentationis causa datur, vel merces, quæ datur pro labore militari, seu bellorum ministerio. Non tamen stipendium totam conficit, cum in eam etiam imputentur vestimenta & hospitia personalia, atque immunitates ab omnibus oneribus personalibus, ad quæ subditi contibuere tenentur.

§. 761.

§. 761.

De solutione stipendii.

Quoniam stipendia militibus eorumque præfectis sustentationis causa dantur (§. 760.), evidens autem est, quod, qui militiæ operam dat, alio modo acquirere nil possit; *stipendia militibus præcise solvenda.*

Nihil magis curæ esse debet potestatibus summis, quam ut stipendia præcise solvantur, ne ipsarum culpa milites aliis dent damna, & necessitate alliciantur ad furta, prædationes & defraudationes: neque enim decet militem mendicare, quem alere tenetur potestas summa, nec corpus fame emaciare debet is, quem robur corporis commendare debet. Ideo in opprobrium summæ potestatis cedit, si stipendia negligenter solvuntur.

§. 762.

De hospitio personali militum.

Militibus debentur hospitia personalia & singuli ædium possessores personali hospitio eos excipere obligantur pro modo facultatum. Per se patet, milites perinde ac ceteros homines habitatione commoda indigere, si alicubi locorum commorantur. Quamobrem cum non sufficiat ipsis prospicere de amictu præbendo vestimenta & de victu solvendo stipendia (§. 760.); ideo quoque in ædes aliorum sunt recipiendi & ad habitationem necessaria iisdem suppeditanda, atque adeo hospitia personalia debentur. *Quod erat unum.*

Enimvero milites hospitio personali in ædibus suis excipere, ut vel in transitu ibidem pernoctent, vel ubi in aliquo loco commorantur, in iisdem habitent & usum rerum ad habitationem necessariarum habeant, onus omnino est possessorum ædium, qui hæc gratis præstare debent *per demonstrata n. 1.* Quamobrem cum onera Reip. universis sint ferenda (§. 775. *part. 8. Jur. nat.*), singuli autem ad

ad ea contribuere debent pro modo facultatum (§. 777. *part. 8. Jur. nat.*); singuli quoque ædium possessores milites hospitio militari excipere obligantur. *Quod erat alterum.*

Hospitia hæc militaria, quæ ad munera publica referuntur & tributo æquiparantur (§. 930. *part. 8. Jur. nat.*), esse onus admodum ingens, hodie satis superque notum est, præsertim si miles fuerit perpetuus, aut transitus frequens. Experiuntur hoc maxime, qui ab eo antea fuerunt immunes. Cumque onera imminuant pretia rerum immobilium (§ 931. *part. 8. Jur. nat.*); mirum non est, quod, ubi hospitia ista perpetua sunt, ædium pretium valde imminuatur, non sine multo damno eorum, qui eas emerunt, quando onus istud iisdem impositum minime erat. Atque ea de causa multis in locis, in quibus miles perpetuus alitur, sumtu publico ædificantur casæ humiles, militum habitacula: id quod omnino fieri debet, si potest (§. 932. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 763.

Quoniam ædium possessores singuli personali hospitio milites excipere obligantur (§. 762.), ista autem *hospitia* per se onus admodum ingens sunt (*not. §. cit.*), *ne militum hospitia malitia evadant nimis molesta, nec sint præter necessitatem sumtuosa, sollicite cavendum.* *Officium superioris circa hospitia militaria.*

Convenit hoc maxime curæ superioris, quam adhibere debet in tributis & muneribus publicis, ad quæ hospitia militaria pertinent (§. 930. *part. 8. Jur. nat.*), imponendis (§. 932. *part. 8. Jur. nat.*). Monuimus jam ante (*not.* §. 750.), in administranda Rep. non esse certi quid statuendum in uno quodam negotiorum publicorum genere, nisi in relatione ad cetera omnia, cum omnia tendere debeant ad finem eundem, propter quem civitates constitutæ sunt (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), obtinendum, sicuti Deus nihil eorum, quæ in mundo

fiunt, in particulari absolute spectatum decernit, sed in relatione ad totum universum (§. 519. *part.* 1. *Theol. nat.*). Nimis parva sapientia regitur Resp. si quodlibet negotiorum genus & in unoquoque genere negotium quodlibet particulare spectetur absolute, nullo prorsus respectu habito ad cetera (§. 678. *Psych. rat.*).

§. 764.

Quibusnam immunitas ab hospitiis militaribus concedenda.

Immunitas ab hospitiis militaribus concedi potest personis, quibus ea in partem salarii, vel in præmium meritorum in Remp. imputari potest. Immunitas ab hospitiis militaribus privilegium est (§. 762. *h.* & §. 853. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum privilegia dari non debeant, nisi boni publici causa (§. 872. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter cavendum, ne vergant in præjudicium aliorum; immunitas quoque ab hospitiis militaribus non ita concedenda, ut ceteris ædium possessores nimium graventur. Necesse igitur est, ut adsit ratio a recta Reip. administratione desumta, cur ea quibusdam personis concedatur. Quamobrem cum salaria ita sint constituenda, ut iisdem sustentari possint, qui officiis publicis funguntur (§. 907. *part. 8. Jur. nat.*), &, si successu temporis pretia rerum valde augeantur, pro pretiorum incremento augenda (§. 908. *part. 8. Jur. nat.*), ac præterea Rector civitatis lucrum vel commodum ex privilegiis intuitu officii concessis in partem salarii imputare possit (§. 906. *part. 8. Jur. nat.*); immunitas ab hospitiis militaribus concedi potest personis, quibus ea in partem salarii imputari potest. *Quod erat unum.*

Superior ob præclara in Remp. merita beneficium reddere debet parentibus etiam in liberis, vel cognatis (§. 659. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo multo magis ipsis bene merentibus in se, consequenter cum id non fiat alio fine, quam ut

ut alii quoque ad bene merendum obligentur, beneficia ista præmiorum rationem habent, quibus cives ad præclare de Rep. merendum permoventur (§. 295. 296. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque immunitas ab hospitiis militaribus, ad quæ alias quilibet ædium possessor obligatur (§. 762.), beneficium singulare est (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*); quin ea in præmium meritorum in Remp. imputari possit, dubitandum non est, ac per consequens eadem vi eorum, quæ demonstrata sunt, concedi potest personis, quibus imputari potest in præmium meritorum in Remp. *Quod erat alterum.*

Equidem a voluntate superioris dependet, cuinam privilegium dare velit (§. 856. *part. 8. Jur. nat.*); cum tamen velle nequeat sine motivis (§. 889. *psych. empir.*), privilegia vero dari non debeant, nisi boni publici causa (§. 872. *part. 8. Jur. nat.*), non perinde est, quo motivo utatur, sed id a bono publico desumendum: id quod fieri abunde patet, si commodum ex privilegio perceptum imputetur vel in partem salarii, vel in præmium meriti in Remp. Ostendimus alias (§. 771. *part. 8. Jur. nat.*), ad præclara in Remp. merita civiliter neminem obligari posse nisi dignitatibus civilibus, quæ esse debent præmia meritorum insignium (§. 768. *part. 8. Jur. nat.*), conferendæ ideo nonnisi bene meritis (§. 766. *part. 8. Jur. nat.*), nimirum ut ad porro bene merendum incitentur & ipsi & eorum exemplo alii. Quoniam vero immunitas ab hospitiis militaribus concedenda personis, quibus in præmium meritorum in Remp. imputari potest, non minus facere videtur, ad obligandum eos, qui bene de Rep. mereri possunt, ut bene mereantur (§. 298. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non solæ dignitates civiles esse videntur medium obligandi ad præclara in Remp. merita. Enimvero ad dubium hoc revera jam respondimus (*not.* §. 771. *part. 8. Jur. nat.*), cum in genere ibidem dicta ad casum præsentem facile applicentur. Tenen-

dum vero præterea etsi præmiis introducatur obligatio civilis (§. 298. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ea tamen non semper dantur eo fine, ut ad faciendum obligentur accipientes, sed etiam remunerandi animo. Ac ideo quoque immunitas ab hospitiis militaribus conceditur remunerationis loco, quando in præmium meritorum in Remp. conceditur, cumque non facile sit concedenda, ne alii nimium onerentur, non satis apta est hæc concessio ad obligandum cives, ut bene ac præclare de Rep. mereantur, præsertim quia præclari quiddam vix expectandum ab iis, qui spe lucri ducuntur, non gloria (§. 771. *Psych. empir.*). Donationes remuneratoriæ magis respiciunt meritum præteritum, quam ut per eas intendatur meritum futurum, præsertim istiusmodi, quod continuum est. Quodsi hæc omnia probe perpendas, nullus dubito fore, ut agnoscas, præter dignitates civiles non dari modum alium universalem obligandi subditos, ut præclare de Rep. mereantur. Ceterum ut in quolibet negotio, ita quoque quoad immunitates ab hospitiis militaribus, distinguendæ sunt rationes justificæ a suasoriis; his enim potissimum locus est, ubi determinandum, quibusnam eam concedi consultius sit, si in partem salarii imputanda: Denique obiter quasi notamus, quæ de immunitate ab hospitiis militaribus, quæ tributis æquiparantur (§. 930. *part.* 8. *Jur. nat.*), in partem salarii imputandis demonstrata sunt; ea eodem modo intelligi de immunitate ab oneribus quibuscunque personalibus (§. 906. *part.* 8. *Jur. nat.*). Immunitas a tributis immunitatem ab hospitiis militaribus tanquam genus speciem suam continet, ac ideo in interpretatione privilegiorum ab illa ad hanc recte ducitur argumentum, nisi verba privilegii exceptionem insinuent.

§. 765.

De milite conductitio. *Milites conductitii* sunt peregrini, qui sponte sua nomen militiæ dant. *Horum* itaque *obligatio ad ministeria belli ex pacto venit, quo se ad eadem obligant vel in certo bello, vel in certum*

tum diem pro præstandis alimentis & certa pecunia ab initio data, consequenter cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), *militibus conductitiis servanda sunt, quæ iisdem promissa.* Pactum autem istud *Capitulatio* appellari solet.

Contractus quasi mixtus est ex contractu locationis conductionis & contractu emtionis venditionis. Quatenus enim convenitur de præstandis operis militaribus pro alimentis, hoc est, stipendiis & vestitu, locatio conductio est (§. 1194. *part. 4. Jur. nat.*), quatenus vero qui militiæ nomen dat libertatem suam vendit pro certa pecunia, emtio venditio (§. 937. *part. 4. Jur. nat.*). Perinde nimirum est, ac si quis se in servitutem vendit (§. 1080-1091. *part. 7. Jur. nat.*). Miles autem conductitius esse nequit, nisi peregrinus; in subditos enim, etsi sponte nomen dent militiæ; superiori jus competit, ut eos milites conscribat (§. 746.), & iidem naturaliter ad operas militares præstandas obligantur (§. 749.), jus vero illud superior vel secundum leges fundamentales (§. 746.), aut ubi tales non dantur, prouti sibi visum fuerit, exercet (§. 748.). Nullo igitur pacto opus est ad inducendam obligationem, quippe quæ natura jam adest. Nec locum habet capitulatio, quæ potestati inprimis eminenti superiori competens repugnat (§. 114. *part. 8. Jur. nat.*). Obstat etiam obedientia subditorum cum patientia (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*). Ceterum cum militibus conductitiis confundendi non sunt auxiliares, quos mittit summa potestas, usum eorum concedens belligeranti pro certa pecuniæ summa, quæ subsidiorum nomine venit. Hic enim pactum nullum intercedit inter potestatem summam, quæ bellum gerit, & singulos milites, quibus tanquam instrumentis utitur in bello; sed fœdus initur cum alia potestate summa, ad quam bellum non pertinet (§. 369.).

§. 766.

De fraude in conductione, militum non committenda.

Quoniam milites conductitii ex pacto milites fiunt (§. 765.), ab omni autem pacto fraus omnis abesse debet (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*); *in conducendis militibus fraus omnis illicita est.*

Conductores militum agunt mandato potestatis summæ sive expresso, sive tacito, quatenus conductio non prohibetur, sed tacite saltem ratihabetur, quatenus potestas summa peregrinos, qui militiæ suæ nomen dederunt, recipit in cohortem. Nunquam autem potestas summa conductoribus fraudes permisisse præsumitur, cum nihil præsumendum sit, quod majestatem ejus dedeceat.

§. 767.

De jurata promissione militum.

Milites omnes jurato promittere tenentur, quod ministerium bellorum a se susceptum deserere nolint. Equidem subditi milites conscripti naturaliter jam obligantur ad ministerium bellorum (§. 646. *& seqq. h. &* §. 1043. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter ne fiant desertores, & conductitii ex pacto ad idem tenentur (§. 665.): quoniam tamen hæc obligatio, quam parum capiunt homines plebeji, non satis efficax est ad desertionem impediendam, necesse est, ut positiva introducatur, quæ captum eorum non transcendit, & cujus sensum habere possunt. Quamobrem cum ea aliter introduci nequeat nisi sanctione poenali (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*), certæ poenæ in desertores sunt statuendæ: ut vero milites intelligant, jure easdem statutas esse, seipsos promittendo ad ministeria belli non deferenda obligare (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*), cumque dubia admodum sit militiæ nomen dantium fides, ac per consequens non satis tuta, jurato promittere id tenentur (§. 916. *part. 3. Jur. nat.*).

Jurata

Jurata promiſſio accedente metu pœnæ deſertionis motivum eſt, quo fortius excogitari nequit, vitandi deſertionem, ac ideo modus aptiſſimus obligandi milites, ne fiant deſertores (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ*). Immo jurata hac promiſſione etiam obtineri poteſt, ut cum ſenſu officii militent, qui Deum timent. Sed de his in præſenti apertius dicendum non eſt, utpote ad prudentiam civilem, ſeu Politicam ſpectantibus. Poſſe etiam pactis adjici pœnas, expeditum eſt, cum a voluntate paciſcentium dependeat, quomodo inter ſe convenire velint (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem milites conductitii in pœnam deſertionis conſentiunt, etſi omnis eorum obligatio ex pacto oriatur (§. 765.), & jurata promiſſione confirmetur, non vero nova introducatur. Qui militiæ nomen dat, ſeſe ipſo facto ſubjicit legibus militaribus, quatenus jus in actiones ſuas in eum transfert, cui militares operas debet, & a voluntate ejus eaſdem facit dependentes.

§. 768.

Quoniam milites jurato promittunt, quod miniſterium bellorum a ſe ſuſceptum deſerere nolint (§. 767.), perfidus autem eſt, qui promiſſa non ſervat (§. 768. *part. 3. Jur. nat.*) & perjurus qui juramentum non ſervat (§. 932. *part. 3. Jur. nat.*); *deſertores perfidi ac perjuri ſunt, & perfidia eorum omnium maxima eſt* (§. 935. *part. 3. Jur. nat.*). *De turpitudine naturali deſertionis.*

Vix tamen ſperandum eſt, ut rudibus iſtiusmodi hominibus & plerumque a morum probitate alienis, qui ſponte ſua nomen militiæ dant, vel etiam ex ſubditis ſine ſenſu officii leguntur milites, turpitudinem hanc perſuadeas. Quamobrem metus pœnæ tam humanæ, quam divinæ efficere debet, quod ratio efficere nequit. Ac ideo patet, quantum interſit, ne milites evadant impii & ipſe quoque timor ſervilis Dei in iisdem extinguatur.

§. 769.

De plagio commisso in desertione.

Quoniam milites jurato promittunt, quod ministerium bellorum deserere nolint (§. 767.); consequenter potestati summæ jus omni possibili modo confirmatum in eos competit, plagium vero committit, qui alterius cujusdam potestati subjectum surripit (§. 755.); *Qui milites desertores clam abducit, aut celat, plagium committit,* consequenter *qui quocunque modo ad desertionem concurrit, plagii particeps fit.*

Quamobrem durum videri nequit, si in hoc crimen severe animadvertatur.

§. 770.

Jus militare quid sit.

Jus militare dicuntur leges, in quibus disponitur de iis, quæ a militibus eorumque præfectis fieri, aut non fieri debent, aut quæ iisdem permittuntur. Quamobrem *in Jure militari agitur de officiis militum eorumque præfectis, de poenis eorum, qui officio suo desunt, & de jure præfectorum militum, summorum etiam ducum.*

Jus militare jus positivum est (§. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad id quoque applicari possunt, quæ de theoria legum civilium in parte octava Juris naturæ demonstrata sunt, modo animus simul attendatur ad actus bellicos. Prostant Jura militaria multarum Gentium, quæ ad examen facile revocantur ab eo, qui Jus naturæ & Gentium ac præsertim Jus belli & in bello intime pespectum habet, ut nostrum jam non esse videatur, quod in iis naturale est ab eo, quod mere positivum est, discernere, aut theoriam quandam naturalem Juris militaris condere. In tantas enim ambages descendere ipsa prolixitas, quam respuit præsens institutum, prohibet.

§. 771.

§. 771.

De Jure minorum potestatum in bello.

Jus potestatum minorum in bello æstimandum est vel ex voluntate potestatis summæ sive mandato, sive in Jure militari expresse declarata, vel ex natura functionis demandatæ, aut officii in legibus descripti. Etenim potestates minores in bello, veluti Duces, non alio jure agunt, quam quod a potestate summa ipsis concessum (§. 368.). Quamobrem cum de voluntate potestatis summæ constet, si ea in Jure militari expresse fuerit declarata, quod per se patet, & ex mandato manifestum sit, quid ea a potestate minore fieri & non fieri voluerit (§. 640. *part. 4. Jur. nat.*), atque tantundem juris in eandem contulisse intelligatur, quantum requiritur, ut functionem suam obire & officio suo satisfacere possit, ad quod in Jure militari obligatur; jus potestatum minorum in bello æstimandum est vel ex voluntate potestatis summæ sive mandato, sive in Jure militari expresse declarata, vel ex natura functionis demandatæ, aut officii in legibus descripti.

Loquimur hic de jure omni, quod potestatibus minoribus in bello competit, tum in milites, aut præfectos militum sibi subordinatos, tum quoad omnes actus bellicos, tum denique quoad omnia negotia, quæ occasione belli incidunt. Quamobrem hic non saltem quæstio est de eo, quatenus per eos summa potestas obligatur; sed id inprimis intenditur, ut habeamus principium generale, ex quo judicium certum fieri potest de eo, quod jure agunt, vel non agunt potestates minores, & utrum sibi plus juris arrogent, quam revera ipsis competit, an non utantur jure suo, ubi poterant uti atque debebant. Quodsi ex natura functionis demandatæ jus æstimandum, magnum quoque momentum habent mores, ita ut potestatibus minoribus intra fines functionis suæ id competere recte sumatur, quod ab iis factum semper esse ac hodienum fieri constat. Specialiora jam addi opus non est: sufficit nosse,

unde nobis constare debeat de voluntate potestatis summæ, a qua dependet omne jus potestatum minorum.

§. 772.

Quomodo potestas minor in bello summam obliget.

Quod potestas minor in bello intra limites mandati, aut functionis sibi demandatæ, vel vi officii lege præscripti, aut juris eadem sibi concessi promittit; ad id potestatem summam obligat. Quoniam enim jus potestatis minoris in bello æstimandum est, vel ex voluntate potestatis summæ sive mandato, sive in Jure militari expresse declarata, vel ex natura functionis sibi demandatæ, aut officii lege præscripti (§. 771.); quicquid potestas minor in bello vel intra limites mandati, aut functionis sibi demandatæ, vel vi officii lege præscripti, aut juris eadem sibi concessi promittit, id jure potestatis summæ in se collato promittit, consequenter minister promittendi est (§. 721. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum minister promittendi non se, sed eum obliget, qui ejus ministerio utitur (§. 722. *part. 3. Jur. nat.*); quod potestas minor in bello intra limites mandati, aut functionis sibi demandatæ, vel vi officii lege præscripti, aut juris eadem sibi concessi promittit, ad id potestatem summam obligat.

Cum de promissione per ministrum facta alias egerimus (§. 722. *& seqq. part. 3. Jur. nat.*); quæ de ea demonstrata sunt, ad promissiones, consequenter pacta (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), minorum potestatum in bello facile applicantur. Usui quoque hic sunt, quæ de mandato & contractu institorio, qui mandato assimilatur (§. 246. *part. 5. Jur. nat.*) atque exercitorio (§. 640. *& seqq. part. 4. &* §. 213. *& seqq. it. 253. & seqq. part. 5. Jur. nat.*) demonstrata sunt. Cum enim mandatario alteri quid faciendum committat mandans, quod is in se suscipit (§. 640. *part. 4. Jur. nat.*), institor autem negotiationi cuidam suæ ab altero præponitur (§. 213. *part. 5. Jur. nat.*),

nat.), ficuti exercitor navi exercendæ a magiſtro (§. 253. *part. 5. Jur. nat.*); poteſtas minor in bello, ſi quid ipſi expreſſe mandat poteſtas ſumma, aut in Jure militari plene permittit, inſtar mandatarii eſt, quatenus vero functio quædam ipſi demandatur, aut præterea officium quoddam in Jure militari præſcribitur, quoad certa facienda, vel non facienda obligatur, per modum inſtitoris & exercitoris ſe habet. Hæc probe notanda ſunt iis, qui jurisdictioni præſunt, ut intelligant, cum in aliqua cauſa ſententia legum manifeſta eſt, quomodo ad ſimilia procedere debeant, quia non omnes articuli ſigillatim legibus comprehendi poſſunt l. 12. ff. de Leg. Conſiſtit quoque in his magnum illud principium heuriſticum, quod principium reductionis appellavimus (§. 472. *Pſych. empir.*) & non modo in arte inveniendi (*not.* §. *cit.*), verum etiam in demonſtrando maximi uſus eſt. Velim præterea, ut ad ea, quæ hic annotamus, animum advertant, quibus generalia, quæ particularibus inſunt, abſtrahere viſum fuerit.

§. 773.

Quando illarum promiſſiones ſint ſponſiones.

Quod extra limites mandati aut functionis ſuæ, vel officii lege præſcripti, aut nullo jure lege ſibi conceſſo permittit poteſtas minor in bello; id ſpoſpondiſſe intelligitur. Etenim cum perinde ſit ſive quid intra limites mandati, ſive intra fines functionis ſibi demandatæ, vel officii lege præſcripti, aut juris lege conceſſi promittatur, quia promiſſio ſemper fit jure poteſtatis ſummæ in minorem collato (§. 771.); ſi quid extra limites functionis ſuæ aut officii lege præſcripti, vel nullo jure lege ſibi conceſſo promittit, id extra limites mandati promiſiſſe cenſenda eſt. Quamobrem cum promiſſiones poteſtatum minorum ſine mandato poteſtatis ſummæ factæ ſponſiones ſint (§. 465.); ſi poteſtates minores in bello quid promittunt, promiſſio absque mandato, ſeu extra limites mandati & fun-

ctionis sibi demandatæ, vel officii lege præscripti, aut absque jure lege concessi facta sponsio est.

Cum in superioribus (§. 465. *& seqq.*) demonstraverimus, quænam de sponsionibus sint tenenda; ea ad promissiones potestatum in bello in casibus propositionis præsentis sunt applicanda. Quamobrem opus non est, ut hic repetantur, quæ ex superioribus abunde intelliguntur. Quemadmodum vero ad propositionem præcedentem monuimus, ad potestates minores applicari posse, quæ de mandato, contractu institorio & contractu exercitorio alibi demonstrata sunt; ita quoque idem hic in specie intelligitur de iis, quæ mandatarius extra limites mandati, institor & exercitor extra fines præpositionis vel legem ejusdem facit. Ratio patet ex iis, quæ modo annotavimus (*not.* § 773.). Id adhuc notandum, quæ hic de potestatibus minoribus in bello demonstrantur, eadem intelligenda esse de potestatibus minoribus aliis quibuscunque, cum in demonstrando non sumatur, nisi potestates minores agere jure a potestate summa in se collato vel expresse, vel ex natura functionis aut officii singulariter præscripti: id quod potestatum minorum omnium commune est (§. 368.).

§. 774.

De potestate minore, quæ majus jus præ se fert, quam habet.

Si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet; tenetur ei, cum quo actum est tum de damno, tum ad poenam. Etenim si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, cum hoc sciens & volens faciat, dolose agit (§. 701. *part. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum pactum ab eo nullo jure initum sponsio sit (§. 773.), consequenter ex eo non obligetur potestas summa, si ratihabere nolit (§. 468.); si ratihabitione non secuta pars altera, cum qua contractum est, damnum incurrat, id dolo potestatis minoris datur. Quoniam itaque damnum dolo datum resarcire debet, qui dedit

(§. 580.

(§. 580. *part. 2. Jur. nat.)*; si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, tenetur ei, cum quo actum est, de damno. *Quod erat unum.*

Si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, & ideo alterum inducit ad pactum ineundum, quod, si non servetur, in damnum alterius vergit; fraudem committit (§. 147. *part. 5. Jur. nat.)*. Enimvero quia ab omni pacto fraus abesse debet (§. 149. *part. 5. Jur. nat.)*, cuilibet paciscentium competit jus a parte altera exigendi, ne fraudem committat, consequenter si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, ut ad pactum ineundum alterum inducat, injuriam ei facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.)*. Quoniam itaque unicuique natura competit jus puniendi eum, qui ipsi injuriam fecit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*); si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, tenetur ei, cum quo actum est, non modo de damno *per demonstrata n. 1.* verum etiam ad poenam. *Quod erat alterum.*

Utrumque etiam demonstratur hoc modo. Patet *per demonstrata n. 2.* potestatem minorem in hypothesi propositionis præsentis esse defraudatorem. Enimvero qui alterum defraudavit, eidem non modo tenetur de damno (§. 683. *part. 2. Jur. nat.)*, verum etiam ad poenam (§. 684. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo etiam si potestas minor in bello jus majus præ se fert, quam habet, tenetur ei, cum quo actum est, tum de damno, tum ad poenam.

Etsi autem is, cum quo dolose contractum est, non defraudetur; summa tamen potestas, quæ permittere dolum minoribus non debet, in eum animadvertere potest, qui dolum commisit jus majus præ se ferendo, quam habebat. Sanctitas fidei, quæ summas potestates maxime decet (*not.* §. 550.),

ab omni dolo abhorret. Quamobrem nec ferre ea debet, ut potestates minores dolose agant, dum ipsius nomine pacisci videri volunt. Malitia igitur potestatis minoris recte punitur. Immo cum jus sibi arrogat potestas minor, quod non habet, sed summæ potestatis est, quodque ideo exercere nequit, nisi ejus consensu, revera injuriam ei facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), eamque lædit (§. 920. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem non modo natura ipsi competit jus illam puniendi (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam vi juris majestatici (§. 579. 832. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 775.

Quatenus potestates minores obligent inferiores.

Potestates minores obligant inferiores intra eos actus, quos imperare solent. Actus enim illi, quos potestates minores imperare solent inferioribus, pertinent ad functionem ipsis demandatam, consequenter eos jure a summa potestate concesso imperant (§. 771.). Cum itaque perinde sit, ac si ea imperaret potestas summa, cui obedire obligantur subditi (§. 1043. *part. 4. Jur. nat.*); potestates minores obligant inferiores intra eos actus, quos imperare solent, consequenter etiam si paciscuntur intra eos actus, quos imperare solent, eos obligant.

Ita dux milites, magistratus oppidanos obligat. Quæ vero sint ea, quæ imperare potest potestas minor ex functione eidem demandata intelligitur, ad quam quæ referenda sint. non modo inde patet, quod sine istis officio suo non rite defungi queat, verum etiam inde, quod ea a potestate minore imperari soleant, cum consuetudo optima sit interpres.

§. 776.

Quatenus potestates minores in-

Potestates minores obligare nequeunt inferiores absque eorum consensu extra eos actus, quos imperare possunt. Etenim si quos actus

actus imperare nequeunt potestates inferiores, in eos quoque jus nullum ipsis competit (§. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem de iis quoque disponere non possunt pro lubitu suo absque inferiorum consensu, consequenter nec eos obligare extra eos actus, quos imperare possunt, absque eorundem consensu. *feriores obligare nequeant.*

Potestates minores omne jus suum habent a potestate summa (§. 368.), adeoque plus juris in inferiores eorumque res sibi arrogare non possunt, quam ipsis concessum: quod quantum sit antea demonstravimus (§. 771.). Quæ igitur vi juris ipsis competentis imperare nequeunt, ad ea quoque præter voluntatem suam inferiores obligare non possunt. Eorum propterea requirendus est consensus. Notandum vero, inferiores etiam hic intelligi potestates minores, quæ juri aliarum potestatum minorum superioris ordinis subjecti sunt: alias enim aliis subordinari constat, & ut hoc fiat Reip. interest. Ad particularia non descendimus, quæ in sequentibus demum traduntur, & quibus demonstrandis hæc permittuntur. Vide quæ de magistratibus diximus (§. 162. 163. *part. 8. Jur. nat.*) & de officiis publicis (§. 884. *& seqq. part. 8. Jur. nat.*). Omne enim jus magistratuum & eorum, qui publico munere funguntur, nititur eodem principio generali de jure suo per alium exercendo, & potestates minores quæcunque revera non sunt nisi magistratus (§. 162. *part. 8. Jur. nat. &* §. 368. *h.*).

CAPUT VII.

De Jure Gentium in bello.

§. 777.

Qui *bellum injustum gerit, ei jus nullum in bello est.* Quicquid enim in bello injusto fit, illicitum est (§. 1112. *part. 1.* *An bellum injustum gerenti com-*

petat jus aliquod in bello. part. 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemini jus competere queat ad id, quod illicitum est (§. 170. 156. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad ea, quæ in bello injusto fiunt, jus nullum competere potest. Quamobrem qui bellum injustum gerit, ei jus nullum in bello est.

Ostenditur etiam hoc modo. Qui bellum injustum gerit, cum nullam justam habeat belli causam (§. 1110. *part. 1. Jur. nat.*); ei ad bellum jus nullum est, consequenter nec jus ullum in bello competere potest.

Poteramus propositionem præsentem sumere absque ulla demonstratione instar axiomatis. Qui enim bellum gerit, necessario intendit aut intendere debet aliquem finem: qui cum in bello injusto licitus esse nequeat, nec ea, quæ ad hunc finem obtinendum adhibentur, media, qualia sunt ea, quæ in bello fiunt, licita esse possunt, consequenter nec jus ullum in bello injustum gerenti competere potest.

§. 778.

Effectus belli injusti. Quoniam qui bellum injustum gerit, ei jus nullum in bello est (§. 777.); *vis omnis in bello injusto illicita est* (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & *quos interficit belligerator injustus, eos nullo jure occidit, quæ hosti eripit, ea vi injusta rapit, & quæcunque damna eidem dat, ea per injuriam dat*, consequenter cum prædones sint, qui vi dominis invitis eripiunt res suas animo eas sibi habendi (§. 505. 506. *part. 2. Jur. nat.*), invasores, qui nullo jure alios possessione rerum immobilium vi dejiciunt (§. 507. *part. 2. Jur. nat.*), & latronum esse constet, innocentes interficere eorumque res vastare; *Qui bellum injustum gerit prædo, invasor ac latro est.*

Omni tempore agnoverunt Gentes moratiores, injustos bellatores prædonibus, invasoribus & latronibus accensendos esse,

esse, & quæ in bello sine omni jure ab iisdem fiunt pro rapinis & latrociniis habenda. Actus non mutat naturam suam, sive ab hac, sive ab alia persona committatur; sed ab eodem potius persona committentis nomen suum accipit. Latro est, qui latrocinia exercet; prædo, qui rapinas: non vero latrocinium tale esse definit, nec definit talis esse rapina, quia ab hac potius persona, quam ab alia exercetur. Sed non opus est, ut in iis asserendis simus prolixiores, quæ a nemine hactenus in dubium vocata sunt, qui de jure in bello sunt commentati. Id saltem notamus hinc meridiana clarius esse, quod arma injusta non modo repugnent gloriæ propriæ Rectoris civitatis (§. 47.), verum etiam gloriæ Gentis suæ, quam curæ habere debet (§. 51.).

§. 779.

De jure eorum, qui bellum injustum gerenti se associant.

Qui bellum injustum gerenti se associat, ei jus nullum in bello competit, seu quicquid facit nullo jure facit. Etenim qui bellum injustum gerenti se associat, is facit in gratiam ejus, qui bellum injustum gerit, quicquid in eo facit, quod per se patet. Quoniam igitur illicitum est, quicquid facit (§. 1115. *part. 1. Jur. nat.*); eodem, ut ante (§. 777.), modo patet, ei, qui bellum injustum gerenti se associat, nullum jus in bello competere posse, seu nullo jure facere, quicquid facit.

Qui bellum gerenti se associat, partem belli suam facit, quod per se patet. Nil igitur agit jure suo, sed ejus, cujus partes in bello sequitur. Quodsi ergo huic nullum jus in bello competit, quemadmodum in bello injusto competere nequit (§. 777.); nec ipsi quoddam competere potest.

§. 780.

Effectus hujus associationis. Quoniam ei, *qui bellum injustum gerenti se associat*, jus nullum in bello est (§. 779.); ideo patet ut ante, *quicquid facit, illud ad rapinas, invasiones & latrocinia referendum* (§. 778.).

Quemadmodum qui prædonibus, invasoribus & latronibus privatis sese associat, ipse prædo, invasor & latro est, id quod nemo in dubium vocat; ideo quoque bellum injustum gerenti, qui pro prædone, invasore ac latrone publico habendus, sese associans prædonem, invasorem ac latronem publicum agit. Eadem turpitudo inest facto eorum, qui bello injusto sese immiscent, quam illorum, qui bellum injustum suscipiunt, cum communem habeant causam. Tanto vero turpius est sese associare ei, qui bellum injustum gerit, si absque hac associatione id geri non posset, cum rapinas, invasiones & latrocinia promoveat, qui eadem impedire pro virili debebat. Cum enim quivis damnum etiam ab alio avertere teneatur, quantum datur (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*); belli quoque pericula & damna, quæ in eodem dantur, avertere tenetur, quantum datur. Neglectus hujus officii naturalem turpitudinem habet: quodsi ergo accedat ad turpitudinem factorum in bello injusto, eandem utique auget.

§. 781.

De jure in bello justo. *Qui bellum justum gerit, illi in bello licitum est, sine quo jus suum ab adversa parte consequi nequit; quod ad hunc finem consequendum non facit, illicitum est.* Etenim jure naturali non datur in bello jus nisi ad id, sine quo jus suum, cujus gratia bellum geritur, obtineri nequit (§. 1113. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes eorumque Rectores naturali Jure inter se utantur (§. 4.); qui bellum justum gerit, ei in bello licitum est, sine quo jus suum ab adversa parte consequi nequit,

nequit, quod vero ad hunc finem obtinendum non facit, illicitum est.

Non alio fine bellum geritur, quam ut jus nostrum consequamur, quod alter nobis tribuere non vult (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*). Finem hunc ut consequamur, adhibenda sunt media sufficientia. Competit Gentibus jus belli (§. 613.). Quamobrem ipsis quoque competere debet jus ad ea quæ ad executionem hujus juris necessaria, consequenter ad ea media, sine quibus finis obtineri nequit. Frustra datum esset jus, nisi etiam permissa essent ea, sine quibus usus juris foret nullus. Notandum vero, cum dubius sit belli eventus, in æstimando eo, quod ad finem in bello intentum necessarium, non requiri certitudinem, sed sufficere probabilitatem: certa enim cognitio sapientiam humanam, quantacunque fuerit, longe superat.

§. 782.

De vi licita in bello.

Quoniam in bello justo licitum est id, sine quo jus suum ab adversa parte obtineri nequit (§. 781.), in bello autem vi persequamur jus nostrum (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*); *in bello vis licita est, sine qua jus nostrum consequi non possumus*, consequenter *si quæ sine vi, veluti fame, obtineri possunt, ad ea obtinenda a vi abstinendum.*

Sane ad bellum non ante jus datur, quam si alio modo alterum permovere non possis, ut jus tuum tibi tribuat (§. 1117. *part. 1. Jur. nat.*); id quod clarissime quoque elucet ex iis, quæ de modo componendi controversias inter Gentes demonstravimus. Quamobrem nec in bello jus datur ad vim, quæ eidem propria est, si leniori quodam modo consequi possis, quod vi obtinetur. Neque enim hosti afferendum majus nocumentum, quam cui necessitas locum facit, quæ sola excusat inferentem & culpam omnem transfert in eum, cui infertur.

§. 783.

Penes quem sit judicium de necessitate eorum, quæ in bello fieri debent.

Judicium de necessitate eorum, sine quibus jus suum obtinere nequit, qui bellum gerit, ipsi relinquendum. Gentes enim natura liberæ sunt (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter etiam Rectores civitatis, qui eas repræsentant (§. 39.) & earum jure bellum gerunt (§. 613. 614.). Quamobrem cum vi libertatis naturalis permittendum sit, ut unusquisque in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus tuum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), id quod in præsenti casu non sit, ubi jure suo utitur (§. 781.); judicium quoque de necessitate eorum, sine quibus jus suum obtinere nequit, qui bellum gerit, ipsi relinquendum.

Nulla Gens, ad quam bellum non pertinet, judicium sibi sumere potest de necessitate eorum, sine quibus finis belli obtineri nequit: id enim non modo repugnat naturali Gentium libertati, qua illæsa nulla sibi imperium in alteram arrogare potest; verum etiam in se impossibile est, cum in casu emergente ex arena, quod dicitur, capiendum consilium. Parti autem adversæ multo minus tribui potest hoc judicium, cum absurdum foret hostem constitui judicem, in propria causa, qui, cum sibi causam injustam belli esse minime consiteatur, vim omnem illicitam adversus se declararet. Quæstio de abusu juris in bello inter belligerantes semper foret controversa: decisio igitur committi nequit ei controvertentium parti, quæ de abusu conqueritur. Perinde nimirum hoc foret, ac si quis in foro judicium de lite vindicare vellet actori: id quod nemo non absurdum agnoscit. Nil igitur restat, quam ut conscientiæ belligerantis relinquatur, ut judicet, quodnam ipsi necessarium videatur ad finem belli consequendum.

§. 784.

§. 784.

Vis bellica non consistit, nisi in usu armorum. In bello vi persequimur jus nostrum (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes non aliter vi jus suum adversus alias persequi possint, nisi vi armorum, quod per se patet; vis bellica non consistit nisi in usu armorum. *Vis bellica in quo consistit.*

Sane in statu quoque naturali, ubi jus tuum adversus alterum manu defendere nequis, armorum usum licitum facit ipsum jus naturæ, utpote defensori tantundem concedens, quantum læsioni arcendæ (§. 980. *part. 1. Jur. nat.*) &, ubi quis læsus fuit, periculo læsionis futuræ avertendo sufficit (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi igitur vis, quæ sufficit, in manu non est; defectus virium a natura concessarum instrumentorum (§. 981. *Ontol.*), consequenter armorum usu supplendus (§. 611.). Dedit natura manus hominibus, ut iisdem utantur in defensione sui & juris sui; dedit vero etiam facultates animæ, quarum usu invenire ac uti potest instrumentis, quibus suppletur defectus virium, quas manibus denegavit. Non minus itaque naturalis est usus armorum, quam manuum, quem utrumque natura conjunxisse recte dicitur. Differunt in eo homines a brutis, quod in actionibus juventur instrumentis, quorum usum ignorant bruta. Ceterum operationes bellicæ omnes non restringendæ sunt ad vim bellicam, neque enim omnibus vis infertur hosti, multo minus omnes actus, qui belli causa fiunt, ab eadem proficiscuntur, prouti ex sequentibus clarius elucescet.

§. 785.

Quicquid hostis quomodocunque belli causa agit, *Actus bellicus* est. Ast *bellica operatio* vocatur actus bellicus, quo hosti vel vis infertur, vel ad vim eidem inferendam aut arcendam vim ejus via sternitur. Operationes vero bellicæ, *Actus bellicus, operationes bellicæ, hostilitates.*

 qui-

quibus hostis vel rebus ejus vis actu infertur, *Hostilitates* appellantur.

Ita tentoria ponere actus bellicus est: ponuntur enim non eo fine, ut vis hosti inferri possit, sed ut milites ab injuria cœli se defendant. Similiter advectio pulveris pyrii in castra actus bellicus est, cum fiat equidem belli causa, sed eodem tamen nec vis hosti vel rebus ejus actu infertur, nec ad vim inferendam via sternitur. Bellica operatio est excitare suggestus tormentorum & se circumvallare: prius enim ideo fit, ut vim inferre possis; posterius autem, ut ab hostium incursionibus sis tutus & insultibus eorum facilius resistere possis. Hostilitates vero sunt vastare res hostium, hostes interficere, res hostium, vel hostes capere. Poterant actus bellici subtilius distingui atque subdistingui tanquam genus in suas species, neque id difficile foret ei, qui cum omnes perspectos habet, notionibus directricibus usus iis, quæ de generibus & speciebus rerum tradidimus in philosophia prima (§. 236. *& seqq. Ontol.*) animum attendit ad modum, quo ex speciebus genera & ex adverso species ex generibus inveniuntur (§. 710. *& seq. Log.*); sed ista scrupulositate in præsenti opus non est, cum ea saltem faciat ad accuratam theoriam modi gerendi bellum & officiorum singulorum præfectorum militum condendam, Modus gerendi bellum ex *Julio Cæsare* & *Polybio* addisci potest: id quod non diffitentur duces summi eruditi. Quamvis enim invento pulvere pyrio operationes bellicæ aliam formam induisse videantur, modus tamen agendi adhuc idem est, cum usus instrumentorum operationum bellicarum effectum saltem variet pro eorum diversitate. Ast nobis sufficit animum attendere ad differentiam, quam in definitionibus nostris exposuimus. In actibus enim bellicis in genere spectatur tam obligatio, qua potestates minores tenentur summæ, quam jus in inferiores ipsis competens intra limites functionis; in hostilitatibus vero jus potestati summæ in bello competens, quippe cujus jure agitur, dum vis hosti vel rebus ejus infertur, ceteræ operationes bellicæ censentur jure actuum bellicorum communi.

§. 786.

§. 786.

Qui bellum justum gerit, ei naturaliter quoque debentur impensæ in bellum factæ. Qui enim bellum justum gerit, jus suum adversus hostem vi persequitur, quod aliter nisi vi armorum consequi nequit (§. 629. 630.), consequenter pars altera, cujus bellum injustum est, in causa est, ut impensas in bellum facere cogatur. Quodsi ergo eas non reciperet, qui fecit; damnum ipsi daretur culpa hostis sui (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo alteri damnum dare debeat (§. 495. *part. 2. Jur. nat.*), & culpa datum sit resarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); qui bellum justum gerit, ei naturaliter quoque debentur impensæ in bellum factæ. *De impensis in bellum factis.*

Fieri omnino potest, ut impensæ in bellum factæ superent debitum, quod bello petitur: cum vero id fiat culpa ejus, qui jus suum alteri tribuere non vult, sibi imputet, si imprudentiæ det pœnam. Non est, quod scrupulum moveat bellum in causa dubia gestum, quo saltem intenditur, ut hostis ad transactionem vi armorum adigatur (§. 572.), aut in bello defensivo, quo id agitur, ut a vi injusta desistatur. Etenim in utroque casu jus suum persequitur, qui bellum gerit, & qui idem tribuere non vult in causa est, ut impensæ in bellum sint faciendæ. Quamvis itaque non certum quoddam sit debitum, quod petitur; impensæ tamen in bellum justum factæ ab altera parte præstandæ.

§. 787.

Qui bellum justum gerit, ei quoque occupare licet ultra modum debiti terras & loca hostilia atque res alias quascunque capere, eo fine, ut hostem ad finiendum bellum permoveat, sed animo restituendi bello finito. Per se patet, ad finiendum bellum requiri utriusque belligerantium consensum. Quamobrem si is, *Quænam ultra debiti modum hosti eripere liceat.*

cum

cum quo tibi bellum eſt, in finem conſentire nolit, ubi quod debetur conſecutus es; bellum utique continuandum, donec conſentiat. Quoniam vero motivo nolitionis opus eſt, ſi a bello deſiſtere debet (§. 889. *Pſych. empir.*), motivum vero nolitionis in repræſentatione mali conſiſtit (§. 890. *Pſych. empir.*); non alio modo hoſtem permovere potes, ut a bello deſiſtat, quam occupando terras ejus & loca in iisdem ſita. Quamobrem qui bellum juſtum gerit, ei quoque occupare licet ultra debiti modum terras & loca hoſtilia, atque res alias quascunque eo fine, ut hoſtem ad finiendum bellum permoveat. *Quod erat unum.*

Enimvero cum quæ ultra debiti modum capiuntur, vel occupantur, nonniſi eo fine capere, vel occupare liceat, ut hoſtis ad finiendum bellum permoveatur, finis vero hic obtentus fuerit, ſi tandem in finem belli conſentit; finito bello, quæ occupata, vel capta fuerunt ſine ulla cauſa penes te ſunt. Quamobrem cum nulla ratio ſit, cur ea retineas bello finito, nemo autem locupletior fieri debeat re alterius (§. 583. 585. *part. 2. Jur. nat.*); quæ occupata vel capta fuerant eo fine, ut hoſtis permoveatur ad bellum finiendum, bello finito reſtituenda, conſequenter nec ea occupare vel capere licet niſi animo reſtituendi. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, ſi hoſtis norit, ea ſibi reſtitutum iri, quæ occupata vel capta fuerunt, motivum hoc parum efficax fore. Etenim cum impenſæ in bellum factæ debeantur occupanti vel capienti (§. 786.), non minus fructus interea ex iis perceptos, quam res ipſas pro datis circumſtantiis tam in impenſas, quam in damna ex cauſis ſubnaſcentibus data, aut natas inde injurias irreparabiles, de quibus ſatisfaciendum, imputare licet. Reſtitutio igitur efficaciam motivo minime detra-

detrahi, etsi supponas bellum summa religione geri: quod etsi raro supponere detur, in Jure tamen naturali Gentium supponendum est, quippe in quo demonstrandum, quomodo summa religione bellum sit gerendum, nec moribus Gentium a rigore istius juris abhorrentibus quicquam dandum. Arduum omnino ac per difficile est, id quod minime diffitemur, sed ultro concedimus, ea religione gerere bellum, quam jus Gentium naturale urget, nec minus difficile, ut id persuadeas potestatibus summis; sed de eo jam non est quæstio, ubi docetur, quid lex naturæ præcipiat, quid prohibeat, quid permittat, cui subsunt omnes actiones summarum etiam potestatum, non vero quæritur, quomodo permovendæ sint potestates summæ, ut officio suo satisfaciant, nec jure suo abutantur, & num fieri possit, ut iisdem hoc persuadeas.

§. 788.

De rebus vi injusta ereptis & damnis datis.

Qui bellum injustum gerit, res vi alteri, cujus bellum justum est, ereptas restituere & damna quomodocunque data resarcire tenetur. Qui enim bellum injustum gerit prædo est (§. 780.). Enivero prædo rem raptam domino restituere tenetur (§. 524. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo etiam is, qui bellum injustum gerit, restituere obligatur res vi alteri, cujus bellum justum est, ereptas. *Quod erat unum.*

Porro quicquid facit in bello, qui bellum injustum gerit, id nullo jure facit & damna alteri, cujus justum est bellum, nullo jure dantur (§. 778.), consequenter dolo, aut, si putet justum sibi esse bellum, culpa (§. 701. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum damnum dolo, vel culpa datum sit resarciendum (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); qui bellum injustum gerit, is damna quomodocunque data resarcire tenetur. *Quod erat alterum.*

Maxima omnino debita contrahit, qui bellum injustum gerit, si jure naturæ standum foret, cum non solum impensas

in bellum factas (§. 786.), sed & vi injusta rapta restituere & damna quævis data resarcire teneatur, vi præsentis. Accedit, quod etiam in pœnam teneatur alteri (§. 789.). Quodsi hæc satis perpenderentur ac conscientiæ ratio haberetur, non tam præcipitato impetu in arma rueret potentia sua confisus, qui de justitia causæ belli nondum convictus est, aut persuasissimus, cum in moralibus persuasio ob rationes maxime probabiles convictioni æquiparetur.

§. 789.

De obligatione ad pœnam ob hostilitates injustas.

Qui bellum injustum gerit, ob hostilitates, quas committit, tenetur alteri in pœnam. Etenim qui bellum injustum gerit, quæcunque damna dat alteri, ea per injuriam dat (§. 778.). Quamobrem cum hostilitates sint omnes operationes bellicæ, quibus vis infertur hosti ejusque rebus (§. 785.), adeoque per hostilitates damna hosti dentur (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*); omnibus quoque hostilitatibus hosti suo injuriam facit, qui bellum injustum gerit. Quamobrem cum ei, cui injuria fit, competat jus puniendi facientem (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*); qui bellum injustum gerit, ob hostilitates, quas committit, tenetur alteri ad pœnam.

Ostenditur etiam hoc modo. Qui bellum injustum gerit prædo est (§. 778.). Sed naturaliter nobis in prædonem competit jus puniendi (§. 551. *part. 2. Jur. nat.*). Ergo in eum, qui bellum injustum gerit, alteri jus puniendi competit, consequenter ille huic ad pœnam tenetur.

Nimirum Gens Genti ob injuriam in pœnam tenetur, quatenus de injuria satisfaciendum. Per se enim intelligitur, locum nullum hic habere pœnas, vel capitales, vel corporis afflictivas, aut quæ in infamia consistunt, quales in civitate a superiore crimina committentibus infliguntur, sed quæ in præstatione consistunt ac ideo mulctæ speciem habent. Quamobrem

obrem nec pœnis hisce infamia adhæret, quæ civilibus. Quemadmodum dignitati Rectoris civitatis non derogatur, si pœna pacto adjicitur; ita nec quicquam eidem derogatur, si pœnæ nomine quid præstet ei, quem vi injusta lacessit.

§. 790.

De Jure in personas in bello justo.

Jus in personas in bello justo nascitur ex defensione sui & rerum suarum. Cum enim hostilitatibus vis inferatur tam personis, quam rebus (§. 785.), qui bellum injustum gerit, vel vi illicita (§. 778.) actu impetit aut corpus, aut res nostras, vel saltem impetere tentat. Quamobrem quia naturaliter unicuique competit jus & se (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*), & res suas defendendi (§. 691. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter vim vi depellendi (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*); jus in personas in bello justo nascitur ex defensione sui & rerum suarum.

Quatenus qui bellum injustum gerit corpus nostrum vi impetit, aggressor est; quatenus vero res vi impetit, prædo. Defendimus itaque tam nos sive corpus nostrum, quam res vi adversus personas. Quamobrem cum in bello justo cum persona hostium nobis non sit negotium, quam quatenus vim injustam a nobis, vel rebus nostris avertere conamur; omnes quoque actus in bello justo, qui personam hostium respiciunt, ad defensionem pertinent, adeoque jus in personas in bello justo nasci aliunde non potest nisi ex defensione sui & rerum suarum. Qui ad hoc animum non attendunt, tacite supponunt, in bello licitum esse, quod lubet, adeoque jus in licentiam convertunt, quod jus fictum est, nec ulli hominum competere potest (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 791.

Unde id æstimandum.

Quoniam jus in personas in bello justo nascitur ex defensione sui & rerum suarum (§. 790.), se autem defen-

 dit,

dit, qui lædere intendenti seu conanti resistit, ne scilicet lædere possit, aut ut læsionem, quantum datur, avertat (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*); *jus in personas in bello justo æstimandum est ex eo, quod necessarium est, ut vi hostis, quam nobis vel rebus nostris inferre conatur, vel intendit, resistatur, aut a nobis ac rebus nostris avertatur,* consequenter *tantundem in bello justo licet in personam hostis, quantum ad vim ejus a nobis, vel rebus nostris depellendam sufficit.*

Aut periculum præsens est, quando actu impetitur corpus, vel impetuntur res nostræ, aut futurum, quatenus certum est hostem habere animum hoc faciendi (§ 785.), & per consequens justus metus periculi nunquam abest, quamdiu bellum durat. Non igitur expectandum est, donec vim nobis vel rebus nostris actu inferat hostis, sed facinus occupandum. Qui prodit animum lædendi, læsionem actu intentanti æquiparatur. Quamprimum vero hostis in arma venit, hostilitates quoque committendi animum prodit. Quod itaque sufficienter significatur, id contra ipsum pro vero habetur (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter occasio occupandi facinus non prætermittenda.

§. 792.

De jure in subditorum belligerantis personam. Quia jus in personas in bello justo nascitur ex defensione sui & rerum suarum (§. 790.), ac ideo æstimandum ex eo, quod necessarium, ut vi hostis resistatur, aut a nobis vel rebus nostris avertatur (§. 791.); *subditos ejus, qui bellum injustum gerit*, quamvis in numero hostium habentur (§. 723.), *quamdiu ab omni vi abstinent, nec animum vim inferendi produnt, interficere, aut alio modo in corpus ipsorum sævire, vel eos male tractare non licet*, consequenter *infantes, pueros, puellas, senio confectos, ægrotos, debiles & imbecilles, eosque, qui se jam dediderunt, aut dedere volunt, nunquam interficere licet.* Et quoniam in defensione non licita sunt media duriora, ubi leniora, immo

immo leniſſima proſtant (§. 982. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi illorum animus ſuſpectus eſt, aut ſuſpecta fides; arma, quæ habent in ædibus ſuis, ſunt auferenda,* ne ſcilicet hoſtile quid committere poſſint.

Non eſt, quod excipias, ſubditos belligerantis opibus ſuis reſiſtere reparationi juris noſtri, conſequenter concurrere ad hoſtilitates injuſtas & criminis participes fieri, quod ab hoſte in cives noſtros committitur, quia factum civitatis ſuæ approbant, aut ſaltem approbare debent. Jus enim defenſionis non extenditur usque ad interfectionem, niſi quamdiu medium neceſſarium eſt conſervandi vitam propriam, vel læſionem corporis evitandi (§. 1013. *part. 1. Jur. nat.*). Ceſſante hoc periculo ceſſat jus interficiendi aggreſſorem & prædonem, conſequenter etiam hoſtem (§. 778.). Neque etiam jus puniendi extenditur ultra neceſſitatem avertendi periculum læſionis futuræ (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*), multo minus talionem, in ſe illicitam (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*), licitam facit in iis, qui infortunio magis ſuo, quam culpa in belli calamitates incidunt. Notandum præterea eſt, cum diverſis admodum modis ad factum alienum concurratur, non omnes, qui concurrunt, eadem pœna affici poſſe & charitatem, quæ ab uſu juris in bello abeſſe nequit (§. 743. *h.* & §. 620. *part. 1. Jur. nat.*), exigere, ne quod infortunio tribuendum, culpæ tribuatur, vel prorſus dolo æquiparetur. Charitas uſum juris puniendi hoſtem ita moderatur, ut non committere liceat, quod eidem adverſum videtur, niſi in caſu colliſionis dilectionis ſui atque hoſtis (§. 229. *part. Phil. pract. univ.*). Jus naturæ ubivis ſibimetipſi conſtat, nec contrarium ei permittit, quod præcipit, vel prohibet, ut illud jure non fieri, hoc autem fieri poſſit. Jure caſtiſſima iſta lege conceſſo nunquam utendum niſi cum ſenſu officii. Qui ſecus ſentiunt, jus in licentiam convertunt, quæ nulli hominum competere poteſt (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*). Quod ut impune fiat ab hominibus permittendum, non lege naturæ permiſſum intelligitur, ut jure fieri poſſit. Jus in perſonas in bello non eſt jus ad cædes promiſcuas eorum,

qui in hostium numero sunt, ut latronum sævissimi mores abeant in jus, & bellum sine omni religione geratur: quod si concedas, crudelitas hostis inane erit vocabulum, quæ tamen sensu communi omnium bonorum improbatur, manifesto indicio, ipsam naturam abhorrere a jure interficiendi hostes prorsus illimitato.

§. 793.

De jure consuetudinario iniquo in personas in bello.

Quoniam subditos ejus, qui bellum gerit injustum, interficere non licet, nec alio modo in corpus eorum sævire, quamdiu ab omni vi abstinent, nec animum vim inferendi produnt, aut in casu dubio leniori modo caveri potest, ne quid hostile committant, infantibus autem, pueris, puellis, senio confectis, ægrotis, debilibus ac imbecillibus iisque, qui se jam dediderunt, aut dedere volunt, semper sit parcendum (§. 792.); *si quarundam Gentium moribus introducta fuerit promiscua sæviendi in corpora hostium licentia, ea pro jure Gentium consuetudinario, sed maxime iniquo habenda* (§. 24.), *quo tantummodo impunitas conceditur agenti, sed non verum jus confertur* (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*).

Grotius equidem l. 3. c. 4. de J. B. & P. licentiam istam ad jus Gentium voluntarium refert; non tamen recte hoc facit, cum jus Gentium voluntarium ad Gentes omnes pertineat, non saltem quarundam commune esse debeat (§. 22.). Quamvis enim jus Gentium quoddam voluntarium admittamus (§. *cit.*); id tamen a consuetudinario distinguimus, a quo differt sicuti leges civiles, quæ iniquitatis quidpiam habere videntur, ab iis, quæ manifestam iniquitatem habent, & sicuti leges justæ a moribus perversis quarundam Gentium. Jus istud consuetudinarium, quo hosti conceditur licentia sæviendi in corpora hostium, magis convenit barbaris Gentibus, quam cultioribus, in quibus maxime improbandum. Quantum vero a vero

vero aberrent, qui illud pro jure naturæ venditant, ex iis patet, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 792.).

§. 794.

Similiter quia subditos belligerantis interficere non licet, quamdiu ab omni vi abstinent, nec animum vim inferendi prodant; aut, ne hoc fiat, alio modo caveri potest (§. 793.); *captos in bello interficere non licet, ne quidem statim, multo minus quovis tempore, nisi singulare præcesserit delictum, quo ad pœnam tenentur.* *An bello captos occidere liceat.*

Equidem olim etiam inter Gentes minime barbaras pro jure habitum occidere bello captos quovis tempore, cum perinde sit, sive jure tuo statim utaris, sive ex intervallo, propterea quod jus, quod differtur, non aufertur; inde tamen probari nequit, id esse juris Gentium voluntarii, quemadmodum *Grotio* visum. Cum enim jus Gentium voluntarium ex naturali efficiendum eodem modo, quo civile efficitur ex naturali (§.22.), quando vero leges civiles efficiuntur ex naturalibus, cavendum maxime sit, ne errores quidam communes pro jure naturæ sumantur (§. 992. *part. 8. Jur. nat.*); nec jus Gentium voluntarium niti potest erroribus, qui pro jure naturæ habentur. Crassos autem in jure naturæ errores olim superfuisse etiam inter Gentes doctas & cultiores, abunde constat. Ceterum si capti deliquerint, jus puniendi nascitur ex proprio delicto, non ex eo, quod e hostium numero sunt. Jus igitur ex maleficio ejus, qui in hostium numero est, enascens minime confundendum cum jure in hostem qua talem. In Jure naturali probe omnia sunt distinguenda, quæ diversa sunt, ne eorum confusio nos in errorem inducat (§.631.*Log.*), ex quo deinde sequuntur plures (§. 627. *Log.*).

§. 795.

§. 795.

Quando quis hostis esse desinat.

Quamprimum hostis in mea potestate est, hostis esse desinit. Hostes enim sunt, inter quos bellum est (§. 722.). Enimvero cum is, qui in potestate mea est, persecutioni juris mei nullo amplius modo resistere possit (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); quamprimum in potestate mea est, bellum cum eo mihi amplius non est, consequenter hostis esse desinit.

Qui in potestatem meam venit, is victus est & cum eo pugna cessat, quæ antea erat (§. 1089. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter nec vim inferre amplius corpori meo potest. Nulla igitur amplius ratio est, cur adhuc hostis dici debeat. Quodsi, dum in potestate tua est, malitia quomodocunque delinquit; ob delictum punitur, non quia hostis est. Notandum vero est, potestatem hic tantummode denotare potentiam physicam de aliquo disponendi pro arbitrio suo, non attento eo, quod jure fieri potest. Quamobrem cum eodem sensu persona dicatur in potestate nostra, quo res in eadem esse dicitur (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); ideo brevitatis causa ad eandem definitionem provocavimus, quæ ad personas facile applicatur.

§. 796.

An captivi sint hostes.

Quoniam hostis esse desinit, quamprimum is in mea potestate est (§. 795.), captus autem in potestate mea est (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); *a bello capti, seu captivi hostes esse desinunt*, consequenter *in captivos hostilitates omnes cessant* (§. 785.).

Patet etiam hinc, captivos jure belli occidi minime posse. Nec est, quod excipias nimiam captivorum multitudinem oneri aut periculo esse posse: ex eo enim quomodo jus eos occidendi nascatur, nullo modo concipi potest. Nisi enim incommodo alio modo mederi, vel periculum avertere possis, eos mittendi potius sunt, quam occidendi, paciscendo vel cum ipsis,

ipsis, vel, si eorum fides suspecta sit, cum ipsa potestate summa, ne servitia militaria durante bello, vel intra certum annorum numerum præstent, quemadmodum etiam hodie fieri inter Gentes christianas solet. A crudelitate non sunt alieni, qui captivos interficiunt. Et recte *Diodorus Siculus* parcere captivis jus commune vocat eosque peccare pronunciat extra controversiam, qui ab hoc facinore non abhorrent. Quodsi instes, interfectionem captivorum posse esse motivum belli finiendi, præsertim si promiscue omnes interficiantur; facilis est responsio: finis liciti consequendi causa non utendum esse mediis illicitis (§. 71.). Neque semper hoc exploratum est, interfectionem omnium promiscue captivorum esse motivum belli finiendi: non minus enim contingere potest, ut hoc facto exacerbetur animus hostium: ista autem exacerbatio nihil moderabile suadet. Fuere etiam omni tempore, quibus immanitas ista invisa fuit. Exempla eorum vide apud Commentatores in *Grotium* lib. 3. c. 11. §. 13. quæ hic repetere supervacaneum existimamus.

§. 797.

An liceat sine conditione deditos deditos interficere.

Quoniam hostis esse definit, quamprimum is in potestate mea est (§. 795.), sine conditione autem deditus in potestate est (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); *sine conditione deditos interficere non licet* (§. 792.).

Non est quod excipias eum, qui sine conditione se dedit, jus omne in se in me transferre: neque enim plus juris transferre potest, quam ipse in se habet. Ast nemini competit jus in vitam suam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo nec id in me transferre potest. Quodsi capital fecerit, non punitur tanquam dedititius, sed ob crimen, ita ut ne in hoc quidem casu cædes sit licita, nisi istud poenam capitis mereatur. Relegenda præterea sunt, quæ supra annotavimus (*not.* §. 792.), ne dedititios, aut captivos promiscue omnes criminis capitalis

reos facias. Tenendum quoque est, quamvis subditi ad obedientiam cum patientia obligentur, si vel maxime male imperet superior (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter jure populi, quod habet (§. 39.), abutatur; non tamen propterea eos teneri ad poenam ob factum ejus, cum nemo puniri possit ob factum alienum (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis enim factum Rectoris civitatis pro facto Gentis habendum (§. 39.); non tamen sine cautione a tota Gente ad singulos argumentandum. Nemini non absurdum videbitur, totam Gentem internecioni esse dandam, aut saltem eam promeruisse poenam ob hostilitates injustas: nulla vero ratio est, cur pauci luant crimen totius civitatis, pro qua eorum vita oppignorata esse nequit (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis enim non modo bona subditorum (§. 495.), verum etiam ipsæ personæ obligentur pro debitis civitatis (§. 507.), non tamen ultra libertatem naturalem procedit oppignoratio, prouti supra de obsidibus demonstravimus (§. 501.).

§. 798.

An vitam salvam paciscentium deditio repudianda.

Cum sine conditione deditos interficere non liceat (§. 797.); *vitam salvam paciscentium sive in prælio, sive in obsidione, non repudianda conditio*, consequenter *nec eorum, qui in prælio arma deponunt.*

Vitam salvam paciscuntur non modo, qui offerunt se arma posituros, si fides detur, vitam salvam fore, verum etiam qui actu arma in prælio dejiciunt. Voluntas enim tam verbis, quam facto significari potest. Quodsi excipias, id dependere ab arbitrio hostis; objectioni abunde satisfactum passim in antecedentibus, ut cramben toties recoctam apponere superfluum fit.

§. 799.

§. 799.

Quæ hosti tanquam hosti, immo etiam prædoni & latroni tanquam prædoni & latroni promittuntur; servanda sunt. Etenim si hosti tanquam hosti aliquid promittis, cum hostem esse noris, nec ei promittere posses, salvo jure in hostem tibi competente, jus tuum in eum remittis (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter id extinguitur (§. 97. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum perinde jam sit, ac si hostis non esset, promissa autem naturaliter servanda sint (§. 431. *part. 3. Jur. nat.*); nulla sane ratio est, cur hosti tanquam hosti promissa servanda non sint, consequenter servanda sunt. *Quod erat unum.*

An hosti, prædoni & latroni promissa sint servanda.

Eodem prorsus modo ostenditur, prædoni tanquam prædoni & latroni tanquam latroni promissa servanda esse. *Quod erat alterum.*

Nimirum quando cum hoste tanquam cum hoste tibi negotium est, tacite supponitur, jus in hostem non attendi debere, quatenus eo, de quo convenitur, istud imminuitur, & in id consentitur, ut stetur eo, quod conventum est, non vero, quod jure alias fieri poterat, nisi contrarium conventum fuisset. Quodsi ergo promissa servanda non essent, nihil ageretur. Absurdum vero est supponere, quod hostes inter se paciscentes nihil agere voluerint. Et, siquidem sumere velis, eam saltem fuisse intentionem ejus, ut aliquid agatur, cujus interest promissa servari; id perinde foret, ac promissum conferre in arbitrium promittentis, quod non minus absurdum existimandum.

§. 800.

Quoniam quæ hosti tanquam hosti, immo etiam prædoni & latroni tanquam prædoni & latroni promittuntur,

De fide hosti, prædoni ac latroni data.

tur, servanda sunt (§. 799.), qui vero promissa servat, fidem servat (§. 759. *part. 3. Jur. nat.*), *hosti* quoque, *immo prædoni & latroni servanda fides.*

Quodsi fidem hosti datam fallere licet, promissiones hosti factæ vertuntur in meras illusiones: id quod ne fiat, utriusque belligerantium partis interest. Eorum enim, quæ in bello fiunt, eventus anceps est.

§. 801.

Quando jure Gentium consuetudinario hostes interficere non liceat.

Quia hosti tanquam hosti promissa servanda sunt (§. 799.); *si vitam fore salvam hostibus promissum, eos interficere non licet, utut moribus introductum, ut alias eos interficere liceat.*

Quodsi Gentes omnes agnoscerent, quale natura competat jus in personas hostium (§. 790. *& seqq.*); pactio vitam salvam fore prorsus superflua esset: ista enim immanitas, qua sævitur in corpora hostium, qui in potestatem hostis sui venerunt, nunquam metuenda esset, & contra jus Gentium omnium consensu ista sævitia adhiberetur. Quamobrem pactionem illam restrinximus ad eum casum, in quo perversi mores errantium crudelitati locum permittunt, quam castissimum illud jus, quod ipsa natura constitutum est, detestatur.

§. 802.

An interfectio licita, si terrore opus sit.

Si terrore opus sit, propterea captivos, deditos aut dedere se cupientes occidere, aut eorum corpora male tractare non licet. Quamvis enim terror motivum sit finiendi bellum (§. 890. *Psych. empir.*), consequenter vel offerendi, vel acceptandi æquas pacis conditiones, aut ut alii ex alieno casu discentes, quid sibi sit vitandum, repugnare desinant, cum bello id agatur, ut hoc fiat (§. 630. *& seqq.*); quoniam tamen ad consequendum finem licitum uti non licet mediis in se illicitis, in

in bello autem captos (§. 794.), dedititios (§. 797.) aut dedere se volentes interficere non licet (§. 798.), & quamprimum in potestatem nostram venerunt, pro hostibus non amplius habendi sunt (§. 795.); si terrore opus sit, propterea captivos, deditos aut dedere se cupientes occidere, aut eorum corpora male tractare non licet.

Non sufficit, hoc vel illud facere ad reparationem juris nostri. Cum enim quicquid eo fine fit spectandum sit tanquam medium (§. 937. *Ontol.*); dispiciendum ulterius, utrum tale medium quoque licitum sit, nec ne. Alias jus in bello verteretur in meram licentiam, qualis est ea, quam *Grotius* jus Gentium voluntarium dixit, & justitia interna temperandam esse inculcat, & quæ nulli hominum competere potest (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*), nullaque religione bellum gerendum. Recte igitur observat *Grotius* lib. 3. c. 11. §. 16. n. 3. utilitatem, quæ ex terrore in posterum speratur, si subsit jus, quando scilicet captivus, deditus aut se dedere volens factum aliquod poena dignum commisit, inter causas referri posse, ob quas jus non remittatur.

§. 803.

Transfugæ dicuntur, qui a nostris ad hostes fugiunt & eorum in bello causam contra nos sequuntur, quales plerumque sunt milites desertores. Facile autem patet, *sive transfugæ fuerint milites, sive cives nostri, qui, quæ apud nos agitantur, vel quo in statu sunt res nostræ, hosti produnt, vel hostilia in nos quocunque alio modo machinantur, criminis nefarii esse reos* (§. 581. *part. 8. Jur. nat.*), *quod poena capitali coërcere licet* (§. 638. *part. 8. Jur. nat.*). *Transfugæ quinam sint.*

Transfugas occidere non tam ad jus in bello, quam jus puniendi majestaticum superiori in civitate competens pertinet (§. 832. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo puniuntur, non

 puniuntur

puniuntur tanquam hostes, sed tanquam subditi, qui in Remp. deliquerunt. Quamobrem ea, quæ cum hoste pacta & conventa sunt, ad transfugas minime trahenda, nisi quatenus eorum expressa mentio fuerit facta, ut poena remissa intelligatur.

§. 804.

An obstinatior resistentia pariat jus occidendi hostem.

Ex eo non nascitur jus occidendi hostem, quod pertinacius restitum sit. Etenim qui resistit vi bellicæ, qua ipse vel res suæ impetuntur, aut justam habet bellandi causam, aut non habet. Dico in utroque casu ex pertinaciori resistentia non nasci jus occidendi hostem.

Qui justam habet bellandi causam, ei tantundem licet in personam hostis, quantum ad vim ejus a se, vel suis depellendam sufficit (§. 791.), consequenter tamdiu resistere licet, quamdiu potest. Quodsi ergo pertinacius resistit, jure suo utitur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter nullam hosti suo injuriam facit (§. 975. *part. 1. Jur. nat.*), ob quam sit puniendus (§. 549 *part. 2. Jur. nat.*). Ex eo igitur jus ipsum occidendi non nascitur, quod pertinacius restiterit.

Qui nullam habet justam bellandi causam, ejus vis omnis illicita est (§. 778.), consequenter si vi justæ, qua vel ipse, vel res ejus impetuntur, resistit, aggressori (§. 979. *part. 1. Jur. nat.*) & prædoni æquiparatur (§. 778.), qui vero vi justa corpus, vel res ipsius impetit, defensori (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum jus defensionis in aggressorem & prædonem non extendatur usque ad interfectionem ipsius, nisi ubi periculum vitæ vel mutilationis membrorum aliter evitari nequeat (§. 1013. *part. 1. Jur. nat.*),

aut

aut res sua aliter conservari non possit (§. 699. *part. 2. Jur. nat.)*, hoc autem periculum evanescit, quam primum vi justæ non amplius resistitur; jus quoque interficiendi vi justæ resistentem evanescit, consequenter ex eo, quod fortiter restitum sit, jus nullum nasci potest hostem interficiendi, non aliunde ortum suum trahens, quam ex defensione sui & rerum suarum (§. 790.).

Non est quod objicias in casu vi licitæ resistentis hostem supplicium mereri ob interfectionem civium nostrorum & rerum nostrarum vastationem. Quod enim in civitate poena capitali afficiatur, qui alterum occidit, vel raptor, ea poena civilis est, ex fine civitatis pro datis circumstantiis determinanda (§. 636. *part. 8. Jur. nat.*)', nec leges civiles ad jus defensionis & jus in bello trahi possunt, quod ex principiis Juris naturæ derivandum. Qui jure talionis, quæ lege naturæ prohibita (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*), vi justæ resistentem interfici posse existimant; a veritate procul aberrant, & ipsum jus talionis, quod fingitur, male applicant, prouti ex iis, quæ jam passim annotavimus, abunde elucescit. Quis dixerit, recte interfici aggressorem, ubi a vi desistit, nec ulla amplius defensione opus est? Gentes autem non alio utuntur Jure naturali, quam quod competit singulis hominibus in statu naturali (§. 4.). Multo minus autem ob pertinaciorem resistentiam jus occidendi hostem tribuendum ei, qui saltem putat sibi esse justam, hosti vero suo injustam belli causam. Error enim jus nullum dat, nec in causa dubia jus controversum armis decidendum (§. 632.), sed is justam habet bellandi causam, qui partem alteram ad transactionem permovere nequit (§. 631.), consequenter id agit, ut vi armorum ad eandem adversarium adigat.

§. 805.

§. 805.

An extendi possit ad eos, qui non restiterunt.

Quoniam ex eo non nascitur jus occidendi hostem, quod is pertinacius restiterit (§. 804.); *multo minus ob pertinaciorem resistentiam interficere licet alios, qui in hostium numero sunt, nec vi illatæ restiterunt, quales incolæ sunt in urbe obsessa, atque ii, qui in eadem non fuerunt, sed alibi deprehenduntur, præsertim postquam animum hostilem deposuerunt.*

Resistentia fit vel in obsidione, vel in prælio, vel in pugnis particularibus. Quod intra hos actus licitum, ex jure defensionis definiendum, nec extra eos extendendum. Non omnes, qui in hostium numero sunt, eodem jure censentur, ita ut actus quilibet alieni ipsis tanquam causis principalibus imputari possint. Plus simplici vice jam inculcavimus in Jure naturæ singula accurate discernenda esse, cum minima haud raro circumstantia jus variet.

§. 806.

An dolor ex accepta clade det jus occidendi hostem.

Similiter quia jus occidendi hostem non nascitur ex eo, quod pertinacius restitum sit (§. 804.); *nec dolor ex accepta clade jus occidendi hostem dat.*

Hostis non occidendus nisi ex necessitate, quatenus vi licitæ resistit (§. 790.), ac ideo jus occidendi expirat, quamprimum necessitas desinit. Qui ob dolorem ex accepta clade hostem, qui in potestatem suam vel in prælio, vel postea venit, occidit, hoc non facit nisi cupidine vindictæ, quæ ne quidem naturaliter in defensione (§. 999. *part. 1. Jur. nat.*), multo minus autem extra eandem locum habet (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*). Sane nec in vera defensione homo occiditur ex intentione, sed cædes ejus magis casui tribuenda, cui dolus, vel culpa aggressoris intervenit (*not.* §. 992. *part. 1. Jur. nat.*). Ex eo autem, quod vi licitæ resistens ob hostilitates, quas committit, teneatur alteri ad poenam (§. 789.), non inferre licet,

licet, eum interfici posse, cum alia sint poenarum genera, quibus non sævitur in corpora hostium, quas Jus Gentium naturale facit licitas, prouti ex sequente propositione patet.

§. 807.

Si vi justæ pertinaciter resistitur; non modo jus datur ad vim majorem inferendam, verum etiam jus ad alia, quæ poenæ rationem habere possunt, veluti in obsidione, ut vel sine conditione, vel durioribus conditionibus se dedere cogantur, ut certam pecuniæ summam solvant, ut urbes atque domus diripiendæ relinquantur, & in prælio jus ultra reparationem damni. Etenim qui bellum injustum gerit, ac per consequens vi justæ pertinaciter resistit, tenetur alteri ad poenam (§. 789.). Quoniam tamen ob eam resistentiam hostem occidere non licet, quando in potestatem nostram venit (§. 804.); poena esse nequit cædes, verum ea in aliis consistere debet. Quamobrem cum in poenam adimi possint res quæcunque corporales & incorporales (§. 589. *part. 8. Jur. nat.*); in obsidione poenæ rationem habet, ut vel sine conditione, vel durioribus conditionibus se dedere cogantur obsessi, ut certam pecuniæ summam solvant, ut urbs atque domus diripiendæ relinquantur, & in prælio jus ultra reparationem damni (§. 788.). *Quod erat unum.*

De poena eorum, qui pertinacius vi justæ resistunt.

Quoniam vero vi justæ resistens aggressoris personam induit, quemadmodum ante demonstravimus (§. 804.) in aggressorem vero tantundem licet, quantum læsioni arcendæ sufficit (§. 980. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter quantum ad vim vi depellendam necessarium, & præterea in bello licita est vis, sine qua jus nostrum consequi non possumus (§. 782.); si pertinaciter vi justæ resistitur, ex resistentia oritur jus ad majorem vim inferendam. *Quod erat alterum.*

Qui jus puniendi hostem in nimium extendunt & in promiscuam licentiam sæviendi in corpora hostium vertunt, non amant genus humanum, sub quo etiam hostes quoad amorem eidem debitum comprehenduntur (§. 743.), nec a crudelitate abhorrent. Jus naturæ, quod consulit felicitati omnium hominum (§. 280. 614. 698. *part. 1. Jur. nat.*), non permittit eidem adversa nisi in casu collisionis propriæ & alienæ (§. 229. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 206. *h.*) & in damnorum collisione damnum ferre jubet eum, cujus culpa est (§. 629. *part. 2. Jur. nat.*). Observant quoque hodie Gentes moratiores, ut in meliores conditiones consentiant, nisi in obsidione urbium ad extrema perventum, duriores autem amplecti cogantur obsessi, ubi pertinacius restiterunt, quamvis etiam in determinandis hisce conditionibus jus non vertendum in licentiam: id quod tamen judicio determinantis relinquendum (§. 783.).

§. 808.

De dimicationibus particularibus. *Dimicationes particulares, quæ nihil faciunt ad jus suum consequendum, aut ad bellum finiendum, illicitæ sunt.* Quicquid enim in bello ad consequendum jus suum fit, consequenter etiam ad bellum finiendum, cum propter dubium eventum ejus de eo, quod consecutus est in bello, nemo certus esse possit, ac intersit belligerantium bellum tandem finiri, in bello licitum est, quod vero ad hunc finem consequendum non facit, illicitum (§. 781.). Quodsi ergo dimicationes particulares nihil faciunt ad jus suum consequendum, aut ad bellum finiendum; illicitæ sunt.

Hostilitates sunt medium consequendi finem, cujus causa bellum geritur. Si tibi est jus ad finem, erit etiam jus ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Quamobrem necessitas hostilitates facit licitas, quas alias committere non liceret, non per se, sed quatenus ea oritur ex fine, ad quem tibi jus est.

Sola

Sola enim necessitas per se jus parere apta non est, sed quatenus ei locum facit jus præcedens, ex quo tanquam fonte suo oritur. Ac ideo necessitati huic arctissimos limites præscribit lex naturæ, extra quos eam vagari prohibet. Ex fine igitur belli æstimandum est jus omne in bello. Jam bello persequimur jus nostrum (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*) & in causa dubia nobis competit jus partem adversam ad transactionem adigendi (§. 572.). Quamobrem qui justam habet belli causam, id maxime intendit, immo intendere debet, ut bellum quantocyus finiatur, atque ideo ad finem belli quoque recte refertur ut id finiatur, sive pax. Hinc vulgo dicitur, bellum geri propter pacem. In æstimando igitur hostilitatum jure non minus dispiciendum est, utrum ad bellum finiendum quid conferant, quam num ad consequendum jus suum faciant. Quatenus vero ei, qui bellum justum gerit, competit etiam jus hostem adigendi, ut a bello desistat & æquas pacis conditiones acceptet; jus quoque suum ille consequitur, quando alterum adigit, ut a bello desistens pacem faciat. Et ideo hoc ipsum jus supra comprehendimus sub jure, cujus consequendi causa bellum geritur (§. 781.). Idem clarissime conspicitur in bello defensivo, quo jus nostrum adversus eum defendimus, qui vi eripere id nobis intendit. Neque enim bellum defensivum alio fine suscipitur, quam ut hostis a bello desistere cogatur, & nos jure nostro quiete frui possimus.

§. 809.

De jure in captos ab eo, cujus injustum est bellum.

Qui bellum injustum gerit, in captos nullum jus habet, sed naturaliter eos restituere obligatur. Qui bellum injustum gerit, ei jus nullum in bello est (§. 777.) & vis ejus omnis illicita (§. 778.). Quodsi ergo quosdam in bello capit, eos nullo jure capit, consequenter nec in captos ex facto injusto jus ullum acquirere potest. Nullum igitur jus in captos habet. *Quod erat unum.*

Quoniam qui bellum injustum gerit subditos alterius surripit nullo jure, *per demonstrata n. 1.* quando eos capit, plagium, seu furtum hominum committit (§. 141. *part. 8. Jur. nat.* & §. 755. *h.*) atque prædo est (§. 778.). Quamobrem cum fur atque prædo rem furtivam & raptam, consequenter etiam hominem surreptum restituere teneatur (§. 524. *part. 2. Jur. nat.*); qui bellum injustum gerit, captos naturaliter restituere obligatur. *Quod erat alterum.*

Cum plagium sit furtum hominum (§. 755.); fur & plagiarius eodem jure censentur. Bellator autem injustus sicuti prædo est, dum res hostiles capit; ita plagiarius est, si capit homines, qui hosti subjectos, sive fuerint milites, sive non militent. Quamobrem sicuti plagiarius homines surreptos; ita etiam bellator injustus captos restituere obligatur.

§. 810.

De diminuendis viribus bellum injustum gerentis.

Quicquid facit ad imminuendas vires bellum injustum gerentis, id ei, qui justam bellandi causam habet, licitum. Etenim qui justum bellum gerit, ei licitum est, sine quo jus suum consequi non potest (§. 781.). Quoniam igitur vi jus suum persequitur adversus eum, cujus injusta sunt arma (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter idem consequi nequit, nisi vim ejus vi depellat, eandemque diminuat, ut a bello tandem desistere cogatur; qui justam bellandi causam habet, ei licitum est, quicquid ad imminuendas vires bellum injustum gerentis facit.

Se defendens adversus vim injustam, eidem resistit, ut læsionem intentatam avertat (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter in bello id agit, ut partem adversam a bello desistere cogat. Bellum nemo gerit nisi fiducia virium, quibus deficientibus & exhaustis id continuare nequit. Nec facile quis congre-

congreditur cum eo, quem viribus se superiorem agnoscit, nisi temeritatis notam incurrere eique poenam dare velit. Cui ergo animus est cogendi hostem, ut a bello desistat; is vires ejusdem enervare easdemque ipsi subducere tenetur. Quamobrem si cui jus est alterum adigendi ut a bello desistat, eidem quoque jus est ad vires ejus diminuendas, tanquam ad medium, sine quo finis, quem intendere debet, obtineri nequit. Jus tamen hoc extendi non debet ultra id, quod ad diminutionem virium necessarium est, ne mediis illicitis, ac consequenter iis, quibus necessitas locum minime facit, finem licitum consequi velis (§. 71.).

§. 811.

De jure capiendi hostes.

Qui bellum justum gerit, ei hostes quoscunque capere licet, quatenus quocunque modo reparationi juris sui resistunt, aut finem bellum impediunt, tum per modum androlepsiæ. Etenim qui bellum justum gerit, ei in bello licitum est, sine quo jus suum ab adversa parte consequi nequit (§. 781.). Quamobrem cum id fieri nequeat, si reparatione juris resistitur; hostes eidem resistentes capere licet, ne diutius resistere possint. *Quod erat primum.*

Similiter cum vires bellum gerentis injustum imminuantur, si capiantur illi, qui finem belli impediunt, quod vero facit ad imminuendum vires bellum injustum gerentis, id ei, cujus justum est bellum, facere licet (§. 810.); qui bellum justum gerit, ei hostes capere licet, qui finem belli impediunt. *Quod erat secundum.*

Denique cum androlepsia fiat eo fine, ut ad jus nobis vel civibus nostris reddendum compellatur, qui reddere non vult (§. 593.), in bello autem vi persequimur jus nostrum & ea nobis licita sunt, sine quibus id consequi non

datur (§. 781.); si captivitate quarundam personarum hostis permoveri potest, ut a bello desistat & jus, cujus causa bellum geritur, reddat, per modum androlepsiæ eas capere licet. *Quod erat tertium.*

Antequam quæratur, quale jus in captivos hosti competat, ostendendum omnino erat jus capiendi hostes belligerantibus competere. Quodsi enim capere hostes non liceat, nullum quoque jus in captos competere potest. Et ubi constat, quanam de causa capi possint, inde ulterius inferri potest, quænam personæ licite capiantur, ne hoc jus extendatur ultra suos limites, quos habere debet.

§. 812.

De jure capiendi milites eorumque præfectos.

Quoniam hostes reparationi juris resistentes capere licet (§. 811.), milites autem, per quos vis infertur parti alteri, cum quo bellum geritur (§. 610.), eorumque præfecti, quibus a potestate summa certum imperium in milites tributum atque certæ functiones bellicæ demandatæ sunt (§. 612.), personæ principales sunt, quæ reparationi juris resistunt; *milites eorumque præfectos capere licet, quacunque capiendi occasione oblata.*

Si milites multi capiuntur, id quoque facit ad imminuendam vim hostium, quæ diminutio captivitatem eorum licitam facit (§. 810.). Ac multum haud raro confert tum ad bellum finiendum, tum ad successum impediendum, si summi duces capiantur, quorum peritia magnum in bello momentum habet.

§. 813.

De iis, qui per modum androlepsiæ capiuntur.

Quia etiam hostes capere licet per modum androlepsiæ (§. 811.), androlepsia autem fit eo fine, ut ad reddendum jus compellatur, qui reddere non vult (§. 593.); *foeminas*

foeminas quoque *illustres atque virgines, viros dignitate conspicuos & administrationi Reip. vacantes, immo pueros, puellas atque infantes, summarum quoque potestatum liberos, & ipsas potestates summas capere licet*, consequenter *si obsessi sine conditione se dedunt, androlepsiæ jure abducere personas quascunque licet, immo nec concedenda, si ita visum fuerit, deditio nisi sub hac conditione, ut certæ personæ fiant captivæ.*

Ita conveniri potest, ut milites præsidiarii omnes cum eorum præfectis sint captivi ob pertinaciorem resistentiam. Alias in captivitatem abducendæ sunt personæ, quarum jacturam vel diuturniorem captivitatem non facile fert summa potestas.

§. 814.

Captivi naturaliter non fiunt servi; juri tamen naturali non repugnat, ut in servitutem redigantur ob delictum intra poenæ meritum. Qui enim bellum justum gerit, eis hostes quoscunque capere licet, tum quatenus quocunque modo reparationi juris ipsius resistunt ac finem belli impediunt, tum per modum androlepsiæ (§. 811.), consequenter ut compellatur hostis ad desistendum a bello & ad jus reddendum (§. 593.). Quamobrem cum jus extendi nequeat ultra finem, cujus gratia datum, ad finem autem istum necesse non sit, ut captivi fiant servi, sed sufficit eos detineri, donec a suis liberentur; captivi quoque naturaliter servi non fiunt. *Quod erat unum.* *De jure in captivos.*

Enimvero si captivi deliquerint, ob quod puniri possint, cum in poenam etiam adimi possit libertas (§. 589. *part. 8. Jur. nat.*), hæc vero adimatur, si in servitutem redigantur (§. 1117. *part. 7. Jur. nat.*); ubi delictum captivorum eam poenam meretur, in servitutem eosdem redigere licet. *Quod erat alterum.*

Cum

Cum immanis ista licentia sæviendi in corpora hostium pro jure haberetur, captivi pro lubitu occidebantur: immanitate tamen ista agnita in servitutem detrudebantur. Unde Imperator §. 31. de Jure person. servos ex eo appellatos dicit, quod Imperatores captivos vendere ac per hoc servare, nec occidere solent. Quoniam vero servitus extra limites jure naturæ præscriptos (§. 1080. *& seqq. part. 7. Jur. nat.*) extendebatur, quemadmodum hodienum fieri solet a Gentibus, apud quas servitus recepta est; dubitari adhuc poterat, utrum servitus istiusmodi sit præferenda morti, an non mortem præstet, quam eam subire, præsertim cum jus interficiendi servum per eam non tolleretur, sed domino semper integrum maneret. Enimvero sublato licet jure occidendi servum, juri tamen naturæ minime convenit servitus, nisi proprium captivi accesserit delictum, quod talem pœnam meretur. Quæ in bello vi injusta fiunt, ea imputantur Genti universæ, non autem singulis qua singulis. Quamobrem etsi ponamus factum universitatis mereri pœnam, cum tamen nemo puniri possit ob factum alienum (§. 1084. *part. 1. Jur. nat.*), & qui pœnam inter se communicant, eorum quilibet puniatur ob factum proprium (§. 1083. *part. 1. Jur. nat.*), quo scilicet ad factum alienum concurrit, singuli tamen non subire possunt eam pœnam, quam universitas meretur. In civitate autem non absonum est, ut singuli in se spectati & universitas sibi invicem opponantur tanquam personæ diversæ: id quod clarissime patet in statu populari, ubi populus universus est superior, singuli autem subditi sunt (§. 142. *part. 8. Jur. nat.*). Quamvis itaque belligerator injustus prædo atque latro sit (§. 778.), & rapinæ ac latrocinia imputentur Genti, quam Rector civitatis repræsentat (§. 39.); non tamen propterea singulorum quilibet rapinas & labrocinia commisisse dicendus. Cumque pœnæ, quæ decernuntur in prædones atque latrones in Rep. sint civiles, Gentes autem inter se utantur jure naturali (§. 4.); Gentes ob vim injustam in bello illatam eo modo puniri nequeunt,

queunt, quo prædones & latrones puniri moris est, seu lege positiva introductum. Jure puniendi cavetur securitati in futurum (§. 1059. *part. 1. Jur. nat.*), atque ex hoc fine pro datis circumstantiis æstimandum, quantum liceat, ut finis iste obtineatur (§. 1063. 977. *part. 1. Jur. nat.*). Judicium itaque nimium deproperant, qui cum universitate singulos de universitate, poenas Gentium Jure naturæ permissas cum poenis lege positiva in prædones & latrones statutis confundunt, & diversos ad factum alienum concurrendi modos facto ipsi æquiparant. *Grotius* suo acumine ea satis discrevisse videtur, utut diserte omnia non explicaverit.

§. 815.

Quoniam captivi naturaliter non fiunt servi (§. 814.), nec eos interficere licet (§. 794.); *milites & præfecti militum tamdiu detinendi, donec bellum fuerit finitum*, ne scilicet nocere aut reparationi juris nostris resistere amplius possint, *qui vero per modum androlepsiæ capti* (§. 811.), *tamdiu detinendi sunt, donec jus fuerit redditum* (§. 593.). *De jure in captivos.*

Jus in personas in bello justo, nam in injusto nullum est (§. 777.), nascitur ex defensione sui & rerum suarum (§. 790.), consequenter milites eorumque præfecti capiuntur, ne reparationi juris diutius resistere queant, qui vero per modum androlepsiæ capiuntur, non alio capiuntur fine, quam ut hostis permoveatur desistere a bello, aut in securitatem juris nostri ab hoste reparandi, quo in casu obsidum naturam induunt (§. 497.), ac ideo eorum jure censentur. Ex fine igitur, ob quem jus capiendi hostes natura concessum, æstimandum est, quid liceat in captivos.

§. 816.

Si captivi dimittendi, a Gente sua refundendi sunt sumtus in eorum alimenta, vel alias facti. Etenim capiuntur ob factum *De restituendis sumtibus captivorum causa factis.*

Gentis suæ, cujus nempe est bellum (§. 607.). Quamobrem debitum, quod contractum sumtibus in eorum alimenta, vel alias factis, a Gente sua contractum intelligitur, consequenter Gens sua refundere tenetur hosce sumtus, si dimittendi.

Agitur hic de eo, quod naturaliter fieri debet, non vero de eo, de quo Gentes inter se conveniunt vel durante bello, vel dum pactio pacis fit. Ea enim, quæ naturaliter licita sunt, quale est jus exigendi sumtus captivorum causa factas (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), pactis immutari posse noto notius est.

§. 817.

De pactionibus captivorum causa factis.

Si pactiones inter belligerantes fuerint factæ de captivis, veluti ut certo pretio redimantur, & soluto pretio reddantur; standum est conventis. Quoniam quæ hosti tanquam hosti promittuntur, servanda sunt (§. 799.), pactiones quoque de captivis inter belligerantes factæ servandæ sunt (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum in pactionibus promissa serventur, si ea præstentur, de quibus fuerat conventum (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*); si pactiones de captivis inter belligerantes factæ, standum est conventis.

Ita si de pretio redemtionis fuerit conventum, Gens, quæ suos liberare naturaliter obligatur (§. 816.), pretium redemtionis conventum solvere & qui captos tenet pretio soluto eos reddere tenetur. Dimittere autem non idem est ac reddere. Qui enim dimittuntur, sibi restituuntur, ut ipsis liberum sit, sive ad suos redire velint, an abire: qui vero redduntur, Genti suæ restituuntur. Differentiam hanc attendi in militibus captis & durante bello redemtis haud parum refert. Vix enim præsumitur animus redeundi ad exercitum in milite sibi restituto. Quodsi vero non redeat, desertori æquiparatur, & poenam

poenam desertionis incurrit: id quod vitari voluisse credendi sunt, qui de redimendis captivis durante bello contraxerunt. Ceterum in hisce pactis non attendi justitiam belli, per se patet.

§. 818.

Qui captivos tenet, eos dimittere potest ea lege, qua voluerit, & quod hi promittunt, dum dimittuntur, servare tenentur, nec a Gente sua vel eo, qui jus Gentis habet, prohiberi possunt, quo minus servent. De dimissione captivorum. Etenim qui captivos tenet, ei competit jus eos tamdiu retinendi, donec bellum fuerit finitum, si milites fuerint, vel præfecti eorundem, vel donec jus redditum, cujus causa per modum androlepsiæ capti (§. 815.), aut donec per pactiones sint restituendi (§. 817.). Enimvero quoniam quilibet de jure suo remittere potest, quantum voluerit, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*); qui captivos tenet, eos dimittere potest ea lege, qua voluerit. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam qui dimittuntur, in eam legem, qua dimittuntur consentiunt, consequenter promittunt se contra eam nil facturum (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*), servanda vero etiam sunt, quæ hosti tanquam hosti promittuntur (§. 799.); quod captivi promittunt, dum dimittuntur, servare tenentur. *Quod erat secundum.*

Denique cum qui captivos tenet habeat jus eos detinendi, donec sint restituendi; si ante dimittat eos, quam teneatur, in legem dimissionis consentire præsumitur hostis, cujus potestati subjecti sunt, ac per consequens ipse quoque per promissa eorundem obligatur, ne iisdem contraria iisdem imperare queat. A Gente igitur sua vel eo,

qui jus Gentis habet, prohiberi minime possunt, ne stent promissis. *Quod erat tertium.*

Nihil interest, sive dimissio illa fiat proprio motu ejus, qui captivos detinet, sive precibus captivorum obtineatur.

§. 819.

De abitu concesso sub fide reditus, & de conditione non militandi.

Quoniam qui captivos tenet, eos dimittere potest ea lege, qua voluerit, & quod hi promittunt, dum dimittuntur, servare tenentur (§. 818.); *si dimittuntur ad certum tempus, ut in captivitatem redeant, tempore elapso redire debent*, consequenter cum in captivitatem non rediisse dicendus sit, qui clam ingreditur in territorium hostis, mox iterum abiturus, *ad captivitatem se sistere tenetur.* Similiter *qui dimissi ea lege, ne durante hoc bello, vel certo tempore militent, durante bello, vel antequam tempus conventum fuerit elapsum, militare nequeunt. Idem intelligitur de conditionibus aliis quibuscunque conventis.*

Abitus concedi solet ducibus aliisque militum præfectis sub fide reditus, negotiorum suorum privatorum causa. Dimittuntur captivi sub conditione non militandi, si præfecti cum militibus, quibus præfecti sunt, dimittuntur, quemadmodum in deditione conditionata contingit. Ceterum per se patet, conditiones, sub quibus fit dimissio, vel conceditur abitus, tales esse non posse, quæ adversantur juri ejus, cujus potestati subjecti sunt captivi (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*). Ita illicita foret conditio, ne unquam posthac militet dimissus, quando potestati summæ, cui subjectus est, bellum fuerit cum Gente quacunque, vel etiam saltem cum dimittente, cum huic non amplius competat jus nisi detinendi captivum durante bello (§. 815.). Idem intelligitur, si conditio dimissioni adjecta foret contra pactiones de captivis factas (§. 817.).

§. 820.

§. 820.

In bello injusto omnis vastatio rerum hostilium illicita. Etenim qui bellum injustum gerit, ei nullum jus est in bello (§. 777.). Quamobrem cum naturaliter nemo res alterius destruere, aut deteriorare debeat (§. 647. *p. 2. J. nat.*), id vero faciat, qui res hostiles vastat, quod per se patet; qui bellum injustum gerit, res hostiles nullas vastare debet, consequenter in bello injusto omnis rerum hostilium vastatio illicita est (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *De vastatione rerum in bello injusto.*

§. 821.

Quoniam in bello injusto omnis vastatio rerum hostilium illicita (§. 820.), ea autem damnum datur hosti, a cujus parte stat justitia belli (§. 488. *part. 2. Jur. nat.*), & damnum dolo vel culpa datum resarciendum est (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*); *qui in bello injusto res hostiles vastat, damnum vastatione datum resarcire tenetur.* *De damno vastatione dato resarciendo.*

Pertinet hoc ad debitum in bello subnascens, quod non minus vi persequi licet quam primarium, cujus causa bellum susceptum.

§. 822.

Cum in bello injusto omnis vastatio rerum hostilium illicita sit (§. 820.), si qui bellum injustum gerit res hostiles vastat, id contra jus alterius facit, cum quo ipsi bellum est (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter eidem injuriam facit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), ac ideo cum unicuique natura competat jus puniendi eum, qui ipsi injuriam facit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*); *qui in bello injusto res hostiles vastat, tenetur alteri, cum quo ipsi bellum est, ad poenam.* *An vastator injustus ad poenam teneatur.*

Cum in bello justo etiam persequamur poenam (§. 636.); ex injusta rerum vastatione augetur jus ejus, cujus arma justa sunt. Ceterum quod vastator injustus etiam alteri, cum quo ipsi bellum est, teneatur ad poenam, inde quoque inferri poterat, quod ob hostilitates, quas committit, ad poenam teneatur (§. 789.): sunt autem vastationes in hostilitatum numero (§. 785.). Similiter corollarium præcedens inde inferri poterat, quod damna quomodocunque bellum justum gerenti data sint resarcienda (§. 788.). Quoniam in bello injusto vastatio omnis rerum hostilium illicita (§. 820.); quæstiones omnes cessant, quæ de rebus non vastandis moventur, quippe quæ locum non habent nisi in bello justo, in quo jus vastandi intra suos limites coarctandum, ne ejus exercitium cum injuria conjunctum sit.

§. 823.

De jure vastandi res hostiles in bello justo.

In bello justo vastatio rerum hostilium licita, si sine ea jus nostrum vi persequi non possumus, si vires hostis inde minuantur, nostræ augeantur, si denique vastatio fiat in justam poenam. Etenim in bello justo licitum est, sine quo jus nostrum ab hoste consequi non possumus (§. 781.). Quamobrem cum vi jus nostrum persequamur (§. 1102. *part. I. Jur. nat.*); si tandem contingat impediri, nisi res hostiles vastentur, earum vastatio licita. *Quod erat primum.*

Quicquid facit ad imminuendas vires bellum injustum gerentis, & per consequens ad augendas nostras, id in bello justo licitum est (§. 810.). Quodsi ergo rerum hostilium vastatione vires hostis minuantur, nostræ augeantur; earum vastatio in bello justo licita. *Quod erat secundum.*

Denique cum in poenam adimi possint res corporales quæcunque (§. 589. *part. 8. Jur. nat.*), non alio sane fine, quam ut

ut earum jacturam faciat qui puniendus (§. 588. *part. 8. Jur. nat.*), ac per consequens damnum incurrat (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque respectu puniendi perinde fit, sive res suæ ipsi adimantur, sive vastentur, vel corrumpantur; in bello justo res hostiles vastare licet. *Quod erat tertium.*

Enimvero cum poena gravior illicita sit, ubi levior sufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*), & quatenus puniens modum excedit, puniendum lædit (§. 1067. *part. 1. Jur. nat.*); si vastatio rerum hostilium fiat in poenam, poena justa esse debet, hoc est, ut eam delictum hostis mereatur. *Quod erat quartum.*

Vastatione damnum hosti datur, sed nullum nobis inde lucrum obvenit, veluti si naves hostium comburantur, si tormenta ad usum bellicum inutilia efficiuntur, si ædificia incendantur, si arbores in hortis ac vites in vineis succidantur, si fruges, aut segetes in agris conculcentur, si res mobiles quæcunque sive utiles, sive voluptuariæ, sive etiam necessariæ perdantur, & quæ sunt his gemina. Quoniam hostilitatibus in bello locum facit vis, qua jus nostrum in bello persequimur, quod vel ad consequendum debitum, vel ad poenam tendit, ac ideo inde æstimandum sit jus omne in bello (§. 781.); jus quoque vastandi res hostiles non aliunde æstimari potest, nisi sumere velis, quod invito nonnisi jure naturæ sumi nequit (§. 927. *part. 1. Jur. nat.* & §. 265. *h.*), in bello nullum prorsus locum esse relinquendum justitiæ, quæ unicuique suum tribui jus jubet (§. 926. *part. 1. Jur. nat.*), & jus in bello abire in meram licentiam, quæ homini nulli competere potest (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi objicias, cum hostis injuria res nostras rapiat, vastet, cives nostros interficiat, jure talionis nos similiter res ejus rapere, vastare ac cives ejus interficere posse; non unum sumis, quod concedi minime potest. Etenim jam alibi demonstravimus (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*), &

& aliquoties in antecedentibus inculcavimus, non dari jus talionis, sed id contra jus naturæ fuisse confictum. Quod vero inprimis notandum est, non hic quæstio est de eo, quod ex causis in bello subnascentibus licet, sed quale sit jus vi belli belligeranti justo per se competens, consequenter quid facere liceat, nullo facto hostis supposito. Nam si injuriam committat vi injusta, cum poenam mereatur (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*), in poenam justam vastatio quoque rerum ipsius locum habet, prouti propositio præsens diserte enunciat. Patet nimirum ex supra demonstratis, injuriarum quoque in bello commissarum in modo agendi habendam esse rationem (§. 782.). Notandum præterea, quæstionem jam non esse de eo, an quis putet, se justam belli causam habere, sed de eo, quid conveniat causam justam revera habenti. Jus enim non nascitur ex opinione tua, sed ex veritate. Quamobrem non discutiendum est in præsenti, quid dandum sit opinioni: de eo enim posthac dispiciemus, nec id fieri poterit, nisi ante constet, quid veritati consentaneum sit. Poterant alia adhuc moneri, nisi vel ex antea annotatis jam manifesta essent, vel in sequentibus rectius inculcarentur. Id saltem addere lubet, opinionem de justa causa non facere jus, sed qui eam fovet sibi tantummodo persuadere, quod sibi competat jus ex justa causa oriundum, ut ideo in demonstrando jure vastandi res hostiles opinio belligerantis nullam attentionem mereatur.

De vastatione licita agrorum frugum, segetum, ædium, hortorum, vinearum operationum bellicarum causa.

§. 824.

Quoniam in bello justo rerum hostilium vastatio licita, si sine ea jus nostrum consequi non possumus (§. 823.), in bello autem castra ponenda sunt, ac subinde vallo & fossa circumdanda, cum id fieri nequeat, nisi fruges vel segetes conculcentur, agri corrumpantur, nonnunquam etiam ædificia diruantur, horti ac vineæ extirpentur, idemque obtineat in obsidione urbium, atque præliis; *agros hostiles corrumpere,*

fruges

fruges ac segetes in iisdem conculcare, ædificia diruere, hortos ac vineas extirpare licet, si castrorum metatio, obsidio urbium ac prædia id exigunt.

Nulla hic valet distinctio rerum, qualiscunque tandem ea sit, nec earundem attenduntur qualitates: neque enim jus in eos nascitur ex qualitatibus rerum, sed ex necessitate eas vastandi, quam licitam facit jus ad bellum. Sane Rector civitatis nostræ ipsemet vi dominii eminentis res civium vastat, si vastationem exigit defensio adversus vim hostilem (§. 110. 111. *part. 8. Jur. nat.*). Lex naturæ, quæ nobis tribuit jus ad bellum (§. 613.), tribuit etiam jus in res hostiles, quantum ad bellum gerendum necessarium est: alias enim illud prorsus inutile foret, si id exequi non liceret.

§. 825.

De excidio urbium, pagorum & oppidorum.

Similiter quia excidium urbium, oppidorum, pagorum, postquam in potestatem nostram venerunt, nil facit ad consecutionem juris nostri, nec inde vires hostium diminuuntur, nostræ augentur, quod per se patet; *urbes, oppida, pagos excidere aut vastare, postquam in potestatem nostram venerunt non licet* (§. 823.). Quoniam tamen vastatio licita in justam poenam (§. *cit.*); *excidium urbium, oppidorum & pagorum licita, si singulare præcesserit delictum, quod talem poenam meretur.*

Dico singulare præcedere debere delictum, non modo eorum, qui urbes, oppida & pagos incolunt, verum etiam summæ potestatis, cum qua bellum est, quia omnia bona subditorum perinde ac res publicæ spectantur tanquam bona Gentis (§. 289.), & factum potestatis summæ imputatur toti Genti (§. 39.). Justitia autem poenæ æstimanda est ex fine, nimirum quantum damnum inferendum sit in terrorem hostium, ut prospiciatur securitati futuræ.

§. 826.

De munimentorum demolitione.

Quoniam vis resistendi diminuitur, si *munimenta* demoliantur, *ubi ea relinquere visum fuerit, postquam expugnata fuerant*, quod itidem per se patet; *eorum demolitio licita* (§. 823.).

Munimentorum extructio maximos sumtus requirit. Eorum igitur demolitione maximum hosti datur damnum. Sed cum in bello injusto causam damno det pars altera, cujus injustum est bellum; damnum, quantumcunque sit, sibi imputet bellator injustus, qui justo belligeratori necessitatem imposuit utendi medio, ex quo damnum in eum resultat. Nimirum factum belligeratoris justi duplici modo spectari debet, respectu sui & respectu bellatoris injusti. Priori respectu est medium, sine quo finem, quem intendit ac intendere debet bellator justus, consequi non potest; posteriori autem factum, ex quo damnum emergit belligeratori injusto. Ille finem intendit, non damnum, & propter illam agit, non hujus causa, cum mallet, si fieri posset, ut hoc a facto suo abesset. Damni igitur causa libera non est is, ex cujus facto id resultat, sed ille, qui necessitatem faciendi induxit. Ac ideo damnum non imputatur belligeratori justo, sed injusto (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Vide, quæ alias jam demonstravimus & annotavimus, cum de defensione sui (§. 993. *part. 1. Jur. nat.*) & de puniente alterum ageremus (§. 1075. *part. 1. Jur. nat.*). Atque ita demum patet, quomodo summa religione geri possit bellum, illæso nimirum amore, quem etiam hosti debemus (§. 743.), & absque omni vindictæ cupidine, a qua quilibet animum immunem habere debet (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*). Vide, quæ alias de defensione (§. 998. 999. *part. 1. Jur. nat.*) & punitione demonstravimus & annotavimus (§. 1077. 1078. *part. 1. Jur. nat.*). Absit autem, ut tibi persuadeas, confundi a nobis, quæ virtutis sunt, cum iis, quæ sunt juris. In Jure enim naturæ, ubi agitur de eo, quod facere licet, nil admitti potest, quod officiis repugnat, tanquam licitum: lex enim

enim naturæ, quæ officiorum exequendorum causa dat jus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), sicut omnes actus reliquos hominum, ita etiam eos regit, qui ad exercitium juris pertinent. Ac ideo in iis, quæ officiis repugnant, consistit abusus juris, non usus, tolerandus autem abusus ab iis, qui jus nullum in actiones alterius vi libertatis naturalis sibi arrogare possunt, prouti idem de dominio luculenter demonstravimus (§. 167. *& seqq. part. 2. Jur. nat.*). Justitia, quæ & ipsa virtus est (§. 926. 927. *part. 1. Jur. nat.*), ac virtutes ceteræ sororio vinculo inter se copulantur, non vero spectandæ sunt instar hostium, inter quos perpetuum bellum est. Quando igitur de jure naturæ quæstio est, non valet argumentatio: Quando res in potestatem hostis veniunt, suæ sunt, consequenter tanquam dominus eas pro lubitu perdere potest. Sumamus enim interea, ipso jure naturæ res hostiles esse ejus partis, in cujus potestatem veniunt, sine justa causa eas perdere, ad abusum dominii pertinet lege naturali prohibitum (§. 170. *part. 2. Jur. nat.*). Alia vero quæstio est, quid inter Gentes impune tolerandum, de quo deinceps acturi sumus. Qui in Jure civili non distinguunt, quæ toleranda sunt, ut negotia humana exitum habere possint, & quia vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut faciat, quod libuerit, quamdiu non facit, quod est contra jus tuum (§. 157. 158. *part. 1. Jur. nat.*), & quæ Jus naturæ urget; illi revera jus Gentium voluntarium eo, quem nos explicavimus (§. 22.), sensu admittunt, dum impugnare volunt, cum jure naturali id confundentes & jus virtuti tanquam eidem adversum opponentes, quasi quod pro iure inter homines habendum revera jus sit. Notionibus juris civilis non satis evolutis innutriti castam Juris naturæ disciplinam temerarunt; tanto quidem magis, quo magis fuere hospites in omni philosophia, ex cujus penetralibus, non ex pandectis & decretis prætorum, nec ex opinionibus doctorum, qui Juris peritorum nostri ævi mos est, omnem juris scientiam hauriendam esse dudum inculcavit

Cicero. Monemus denuo, quod jam plus vice simplici inculcavimus, nunquam vero satis inculcari potest, in Jure naturæ unam esse debere consonantiam, unam concordiam, quam ex Systemate nostro abunde elucere confidimus.

§. 827.

De vastatione sepulchrorum & monumentorum & sævitia in cadavera sepultorum.

Quoniam vastatio sepulchrorum & monumentorum in memoriam mortuorum erectorum, ac sævitia in cadavera sepultorum nil facit ad imminuendam resistentiam hostis, nec ad augendas vires nostras, nec mortui sunt in numero hostium (§. 700. *part. 6. Jur. nat.*); *sepulchrorum & monumentorum sepulchralium vastatio ac sævitia in cadavera sepultorum, illicita* (§. 823.).

Non est, quod excipias, talia fieri posse in terrorem hostis, ut ad bellum finiendum & æquas pacis conditiones acceptandum permoveatur: id quod ab eo, qui bellum justum gerit recte intenditur. Neque enim quivis terror in bello licitus, quocunque modo hostibus incutiatur, prouti patet ex demonstratione superiori de interfectione captivorum terroris incutiendi causa, atque ex iis, quæ ibidem annotavimus (§. 802.). Nunquam probanda sunt, quæ nonnisi animum nocendi hostibus produnt, cum ad bellum ne minimum quidem momentum afferant. Obiter monemus, res, de quibus dictum est in propositione præsente, stylo Juris Romani *religiosas* appellari, eo enim Jure *religiosum* quid fieri dicitur per mortui illationem.

§. 828.

De vastatione rerum sacrarum.

Eadem de causa *illicita est vastatio rerum sacrarum, veluti templorum, ac in iis altarium, imaginum, aliorumque ornamentorum*, cumque in negotiis, quæ Genti cum Gente intercedunt, non attendenda sit religionum diversitas (§. 259. & *seqq.*),

ſeqq.), *nec tibi jus naſcitur ad rerum ſacrarum vaſtationem*, *quod hoſtis diverſam a tua religionem foveat*, *tuo judicio falſam.*

Multo turpior eſt hæc vaſtatio, ſi hoſtis tecum eandem religionem profitetur, cum impedimentum inferatur cultui divino, judicio tuo quovis modo promovendo, ſi vel maxime cultus ſuperſtitioſus fuerit. Peccat enim etiam is, qui ſecundum conſcientiam erroneam agit (§. 441. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac ideo in dijudicando facto alieno attendenda etiam venit conſcientia erronea. Cum bellum omne tendere debeat vel ad injuriam reparandam, ſi reparari poſſit, vel ut de injuria facta læſo ſatisfiat, ſi ea reparari nequeat, vel ut facienda avertatur (§. 619.), religio autem hoſtis nihil momenti ad hoc afferat, quod per ſe patet; nec ea dat jus ad id, ad quod aliunde jus nullum tibi competit. Quæſtio moveri hic poterat, an res ſacras mobiles hoſti eripere liceat, ut ipſe earum facias uſum, quem is facit; ſed de ea diſpiciemus deinceps. Hic enim ſaltem agitur de vaſtatione, qua damnum quidem infertur hoſti; ſed quæ cum nullo tuo commodo conjuncta eſt, quemadmodum ante monuimus (*not.* §. 823.). Ceterum vaſtationis illius, quam turpiorem multo diximus, exemplum eſt in catholico, qui imaginem miraculoſam corrumpit ſolo nocendi ac hoſti ægre faciendo animo.

§. 829.

De vaſtatione rerum frugiferarum.

Patet hinc porro, *illicitam eſſe vaſtationem rei frugiferæ, quam ipſi tenemus, ut durante bello hoſti eſſe nequeat in fructu* (§. 823.), *ne* cum neque ad bellum faciendum, nec ducendum momenti quidpiam afferant, conſequenter *arborum frugiferarum, quæ operationes bellicas non impediunt*, *extirpatio illicita.*

Facile patet, talia non fieri, niſi ſolo nocendi animo, cum tamen nocumentum per ſe intendi non debeat (*not.* §. 827.).

§. 830.

De foeno, ſtramine, eſculentis, potulentis hoſtilibus, immo & propriis perdendis.

Quoniam vires hoſtis augentur, ſi rebus abundet, quibus ad bellum ducendum quomodocunque indiget, imminuuntur vero ſi iisdem privetur; *non modo foenum & ſtramina, quæ in uſum belli collegit hoſtis, pulverem pyrium incendere, verum etiam farinam ac eſculenta & potulenta corrumpere licet* (§. 823.), *immo etiam non modo idem faciendum, ne res iſtiusmodi noſtra veniant in poteſtatem hoſtis, verum etiam res noſtræ aliæ, quæ in bello uſum habent, perdere licet, ne iis adverſus nos uti poſſit.*

Forſan mirabuntur nonnulli, nos demum rationem dare velle, cur nobis liceat res noſtras perdere, ne ſint uſui hoſti in bello, cum vi dominii de rebus noſtris diſponere poſſimus, prouti commodum nobis viſum fuerit. Enimvero qui ita ſentiunt, minime perpendunt, dari etiam dominii abuſum, lege naturali prohibitum (§. 170. *part. 2. Jur. nat.*), etſi a tertio cui nullum jus in actiones noſtras competit, non impediendum (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*). Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 825.).

§. 831.

De rebus ſacris hoſti eripiendis.

Si rerum quarundam ſacrarum uſum in bello facere potes; eas hoſti eripere licet intra debiti ac poenæ modum. Idem etiam intelligitur de iis, quarum eundem uſum in cultu divino facere potes, ſi hujus uſus cauſa eripiuntur. Qui enim bellum juſtum gerit, cum geratur ea intentione, ut jus ſuum conſequatur (§. 1102. *part. 2. Jur. nat.*); ei utique curæ habendum, ut vires agendi quocunque modo augeat, cumque alter, cujus bellum injuſtum eſt, ipſe teneatur in expenſas (§. 786.), rebus quoque hoſtilibus vires ſuas augere licet. Quodſi ergo rerum quarundam ſacrarum uſum in bello facere potes, cum non ſimpliciter repugnet ex rebus ſacris fieri profanas

(§. 512.

(§. 512. & *seqq. part. 8. Jur. nat.*), eas hosti eripere licet. Quoniam tamen eripere non licet ultra modum debiti, sub quo etiam comprehenditur, quod in poenam debetur, nisi animo restituendi (§. 787.); si rerum quarundam sacrarum usum in bello facere potes, eas hosti eripere licet intra debiti ac poenæ modum. *Quod erat unum.*

Quodsi res sacræ nullum quidem usum in bello habent, tu tamen eorundem usum facere velis, quem facit hostis, & res intra modum debiti, sub quo etiam comprehenditur quod in poenam debetur, hosti eripere, nec finito bello restituere teneris (§. 787.); si usus tui gratia res sacras in bello usum nullum habentes eripis & ereptas in debitum vel poenam imputes, eas eripere licet. *Quod erat alterum.*

Res sacræ sunt vasa argentea & imagines atque statuæ argenteæ. Eas alienare licet, si calamitas temporum & aliæ necessitates, in quibus miseris subveniendum, alienationem urgent (§. 514. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum ex argento nummi cudi possint, tum etiam argentum vendi; si ad sustentandos sumtus bellicos, quos debet hostis (§. 786.), & pro quibus omnia bona ejus oppignorata sunt (§. 495.), indigeas pecunia, quin intra debiti modum vasa sacra argentea & imagines atque statuas argenteas eidem eripere possis, dubitandum non est, præsertim si contribuere nequeant cives, quæ contribuere debent. Præter necessitatem vero ad has extremitates non est deveniendum, ne sacra hostium turbare velle videamur, neque enim bellum geritur cum ecclesia, sed cum civitate, non religionis, sed juris nostri consequendi causa. Quamobrem jure in res sacras aliter uti non convenit, quam quale Ecclesia habet naturaliter, cum Gentes inter se non utantur, nisi jure naturali (§. 4.). Quodsi belligerantes eidem religioni fuerint addicti, si per eam jus naturale Ecclesiæ arctius restringitur, inde dijudicandum, quid recte fiat, ne conscien-

tiam

tiam contaminent. Etsi enim sumas eam erroneam esse; constat tamen, nec contra conscientiam erroneam quicquam fieri debet (§. 441. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Habes hic exemplum casus prioris propositionis præsentis: exemplum posterioris sit sequens. Si catholicus bellum gerit cum catholico; quin is imaginem miraculosam ex templo hostis in templum quoddam suum transferre possit, nullus dubito. Idem valet de aliis imaginibus rebusque pretiosis, quas in usum cultus divini eundem, quem habuerant, ex templo hostis in templum quoddam suum transfert, sed, ut jure fiat, intra debiti ac poenæ modum. Rationes suasorias, quæ summi juris usui obstant, jam seponimus, cum hic saltem de jure agatur, non de exercitio ejus, quod regunt non minus præcepta religionis, quam Juris naturæ. Jus castissimum hoc vult, ut omnibus nos æquos præbeamus, ipsis etiam hostibus (§. 743. 744.). Nemo igitur existimet, nos superstitioni ac idololatriæ patrocinari. Sit enim ita res quasdam sacras superstitioni, aut idololatriæ inservire; bellum tamen non geritur superstitionis, aut idololatriæ extirpandæ causa, nec hostes desinunt esse superstitiosi, aut idololatræ, si res illæ ipsis eripiantur: id quod in casu altero, in quo idem earundem usus subsistit, locum prorsus non habere potest. Arma non sunt medium aptum tollendi superstitionem & idololatriam. Verus Dei cultus aliis persuadendus, & ubi id fieri nequit, ut Gens unaquæque abundet sensu suo ferendum (§. 261.).

§. 832.

De jure Rectoris civitatis ecclesiasticos in rebus sacris belli causa.

Si onera belli subditis nimis gravia accidant; Rector civitatis res sacras, præsertim superfluas, inutiles & pretiosas in sumtus bellicos impendere potest. Immo ecclesiæ quoque competit hoc jus, si in alienandis quod ab hoste exigitur aliunde contribui nequit. In oneribus imponendis Rector civitatis curæ habere debet, ne subditi ad egestatem redigantur (§. 777. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem

obrem cum res ſacræ, præſertim ſuperfluæ (§. 512. *part. 8. Jur. nat.*), inutiles (§. 513. *part. 8. Jur. nat.*) & pretioſæ (§. 523. *part. 8. Jur. nat.*), temporum calamitate, ut ſubveniatur miſeris, alienari poſſint (§. 514. *part. 8. Jur nat.*), Rector vero civitatis vi dominii eminentis de rebus civium diſponere poſſit in caſu neceſſitatis ſalutis publicæ cauſa (§. 110. 111. *part. 8. Jur. nat.*); ſi onera belli ſubditis nimis gravia accidant, idem res ſacras, præſertim ſuperfluas, inutiles & pretioſas in ſumtus bellicos impendere poteſt. *Quod erat unum.*

Quoniam vero Rector civitatis, dum hoc facit, revera diſponit de jure Eccleſiæ in res ſacras competente, *per demonſtrata;* ideo inde jam patet, eccleſiam quoque res ſacras, præſertim ſuperfluas, inutiles ac pretioſas in contributionem, quæ ab hoſte exigitur, impendere poſſe, ſi ea aliunde fieri nequit. *Quod erat alterum.*

Cum hic ſaltem loquamur de eo, quod naturaliter licitum eſt; ſi religio in rebus nonnullis alienandis impedimentum objicit, de eo nobis jam quæſtio non eſt. In caſu autem poſteriori animo recolendum eſt, hoſti, cui contribuendum, competere jus res ſacras eripiendi (§. 831.), quod competere non poterat, ſiquidem in ſe eſſent inalienabiles. Quando vero eccleſia ſuo jure uti non vult, aut hoſtis utetur ſuo, aut direptionibus, vel aliis durioribus mediis ad egeſtatem rediget miſeros: quod uſu juris ſui præcavere utique debet eccleſia (§. 514. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 833.

Hoſtes & res hoſtiles in territorio pacato capere non licet. Qui enim bello ſeſe non immiſcet, in eum quoque belligerantibus jus nullum competit, conſequenter in territorio pacato jure belli jus nullum ſibi arrogare poteſt. Quamobrem cum *An hoſtes & res hoſtiles in territorio pacato capere liceat.*

cum nec sepofito jure belli belligerantes jus ullum in territorio alieno sibi arrogare possint (§. 293.), nec ipsis licet vi armata territorium pacatum ingredi ac in eo hostes & res hostiles capere.

Rectori civitatis competit imperium civile in territorio suo (§. 166. *part. 8. Jur. nat.*) & peregrini in eodem commorantes eorumque res juri ipsius subsunt (§. 167. *part. 8. Jur. nat.*), tanquam cives temporarii (§. 303.). Quodsi ergo belligerator in territorio pacato jus quoddam sibi arrogaret in hostes & res hostiles, id fieret contra jus domini territorii (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter injuriam eidem faceret (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*): id quod non licet (§. 911. *part. 1. Jur. nat.*). Per Jus igitur domini territorii in territorio pacato jus belligerantis in hostem & res hostiles suspenditur, non vero adimitur (§. 724. 727.), quia scilicet exerceri nequit absque injuria, ob quam ad poenam tenetur domino territorii (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*). Alia vero est ratio, si dominus territorii id permittat: id quod utique facere potest (§. 117. *part. 3. Jur. nat.*), nisi sit in bello medius (§. 672.).

§. 834.

An captivum & res captas per territorium pacatum ducere liceat.

Per territorium pacatum captivos & res captas ducere non licet. Ducere captivos & res captas ad loca tuta, actus bellicus est, quo spes recuperandi adimitur hosti. Quamobrem qui permittit, ut per territorium suum ducantur captivi & res captæ, is partem alteram belligerantium in bello adjuvat, consequenter eidem sese immiscet. Quoniam igitur dominus territorii pacati bello sese immiscere non vult; transitus quoque belligerantis cum captivis & rebus captis innoxius non est, consequenter jus transitus per territorium alienum ad causas justas alias competens cessat (§. 689. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominus territorii prohi-

prohibere posſit, ne belligerantes cum captivis & rebus captis per territorium ſuum transeant, & in caſu præſente id concedere nolle præſumatur, per ea, quæ demonſtrata ſunt, contra prohibitionem vero domini territorii nemini peregrino in idem ingredi liceat (§. 295.); per territorium pacatum captivos & res captas ducere non licet.

Qui per territorium pacatum captivos & res captas ducit, arrogat ſibi jus in territorio alieno, quod ipſi non competit. Quamobrem cum nemo hoc facere poſſit (§. 293.), ſi facere auſit, jus domini territorii violat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac per conſequens ut ante (*not.* §. 833.) patet, eum eidem injuriarum teneri. Alia vero eſt ratio, ſi dominus territorii requiſitus id permittat: ipſi enim integrum eſt ſtatuere, utrum hoc modo ſeſe bello immiſcere velit, nec ne. Neque vero eſt, ut excipias, Gentem unam copiis militaribus Genti alterius tranſitum innoxium permittere debere (§. 686.), conſequenter multo magis concedendum eſſe tranſitum cum captivis & rebus captis; ex demonſtratione enim patet, ducere captivos & res captas per territorium pacatum non referendum eſſe ad tranſitum innoxium. Ac conſtat præterea tranſitum cum exercitu per territorium alienum fieri non debere, niſi a domino territorii requiſitus concedatur (§. 688.). Quamvis itaque tranſitus cum captivis & res captis per territorium pacatum innoxius foret, jus tamen domini territorii violatur, quatenus is abſque requiſitione fit, cujus eſt judicium de tranſitu & cauſa, ſi qua fuerit, eum prohibendi. Immiſcet ſe regimini ejus, qui ſibi judicium ſumere vult de eo, quod e re civitatis ipſius eſt: id quod illicitum (§. 257.). Neque prorſus idem eſt tranſire cum copiis militaribus per territorium alienum & ducere per id captivos atque res captas. Illud enim permittitur, quia tibi jus non competit ad bellum impediendum; hoc autem permitti nequit, niſi per ea, quæ modo diximus, belligerantium unum in actibus bellicis adjuvare, aut,

si mavis ad actum bellicum concurrere consequenter bello te immiscere velis. Quodsi bellum, aut saltem auxilium in bello impedire velles, tunc bello te immisceres sequendo partem unius belligerantis: id quod non fit, si tibi jus impediendi id, ad quod impediendum tibi jus nullum competit, non arroges. Hoc ægre ferendum non est alteri belligerantium parti (§. 690.); ferendum vero non esset posterius. Hæc paulo disertius exponere visum fuit, ne quis contradictionem fingat, ubi nulla est.

§. 835.

De tuto abitu concedendo civibus hostis, bello indicto.

Quando bellum publicatur, concedendus est peregrinis, qui cives hostis sunt, seu ejus Gentis, cui bellum indicitur, intra certum tempus tutus abitus. Quoniam peregrini, quamdiu in territorio alieno versantur, spectantur tanquam cives temporarii (§. 303.); quando ipsis permittitur, ut in eodem versentur, vel commorentur, in numerum civium temporariorum recepti intelliguntur. Enimvero quando bellum denunciatur, omnes subditi ejus, cui denunciatur, pro hostibus subditorum denunciantis declarantur (§. 723.), & tales manent, ubicunque terrarum versantur (§. 724.). Quamobrem cum repugnet esse hostem, contra quem jus nostrum vi persequimur (§. 722. *h.* & §. 1102. *part. 1. Jur. nat.*), & civem temporarium, cujus actiones legibus loci subjectæ sunt (§. 299.); quando bellum indicitur, eo ipso declaratur, subditos ejus, cui bellum denunciatur, non amplius in suo territorio pro civibus temporariis habitum iri, & dum publicatur, id ipsum significatur peregrinis, qui in territorio denunciantis commorantur (§. 737.). Quamobrem cum contra prohibitionem domini territorii nemini peregrino in idem ingredi (§. 295.), consequenter nec in eodem manere liceat; facta publica-

blicatione iis, qui ſunt ſubditi illius, cui bellum denunciatum eſt, diſcedendum. *Quod erat unum.*

Atat quamdiu in territorio denunciantis ſunt, cum actiones ſuas legibus loci ſubjicere obligentur (§. 300.), conſequenter hoſtilem animum habere non debeant; nec pro hoſtibus haberi poſſunt. Quamobrem nec hoſtile quid in eos licet, quamdiu non contra prohibitionem domini in ejus territorio ſunt. Quoniam tamen abire tenentur, *per demonſtrata n. 1.* tutus ipſis concedendus eſt intra tempus certum, quo ſcilicet extra fines territorii venire poſſunt, abitus. *Quod erat alterum.*

Cum dominus territorii non permittere intelligatur peregrinis, ut in territorio ſuo verſentur, vel ibidem commorentur, niſi ſub hac conditione, ut legibus loci ſubjecti ſint eorum actiones (§. 299.), & ad hoc tacite ſe obligent in idem ingredientes (§. 300.), inter dominum territorii & peregrinum in eodem verſantem tacitum intercedit pactum, quo hic ſubjectionem temporariam, ille protectionem promittit (§. 555.), ſub qua etiam tutus comprehenditur abitus. Quoniam itaque pacta ſervanda ſunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); tacitæ etiam pactiones (§. 556.), ex pacto tacito præſtandus tutus abitus, cauſa emergente, cur dominus territorii peregrinum antea admiſſum in territorio ſuo tolerare diutius nequeat, peregrinus autem tenetur ad obedientiam, ut intra tempus ipſi præſcriptum abeat. Conveniunt hæc ſanctitati fidei tacitæ ſervandæ non minus, quam expreſſæ (§. 556.).

§. 836.

Quoniam *peregrinis, qui cives hoſtis ſunt,* ſeu ejus Gentis, cui bellum indicitur, quando bellum publicatur, concedendus eſt intra certum tempus tutus abitus (§. 835.); *iidem declarandi.* *Quomodo pro hoſtibus*

in publicatione belli discedere jubendi sunt intra definitum tempus, quo elapso pro hostibus habendi.

Nimirum subditi ejus, cui bellum indicitur, denunciatione facta, statim fiunt hostes, cum nil obstet, quo minus statim pro iisdem habeantur: ast si commorentur in territorio denunciantis, jus ex pacto tacito, quo in territorium admissi, quæsitum obstat, quo minus statim facta denunciatione pro hostibus haberi possint, cum, ut ante nominus (*not.* §. 835.), id liberum ac tutum abitum comprehendat, qui sine mora præstari nequit. Tutus aditus permissus nunquam intelligitur sine tuto abitu, sive expresse permittatur, sive tacite. Abitum itaque tutum tuetur in præsente quoque casu Jus Gentium, quo sanctam esse jubet Gentium fidem. Domini autem territorii, qui abitum tutum præstare debet, est definire tempus, intra quod ex terris suis abeundum, & quo elapso non amplius pro civibus temporariis, sed pro hostibus habendi sunt.

§. 837.

De iis, qui ultra tempus indultum in territorio hostili commorantur.

Quoniam cives ejus, cui bellum indictum, si intra tempus in publicatione belli definitum e terris denunciantis non abeant, pro hostibus habendi sunt (§. 836.), hostes autem quoscunque capere licet (§. 811.); *Qui ultra tempus in publicatione belli indultum in territorio hostis commorantur, in quod ante bellum venerunt, tanquam captivi detineri possunt, non tamen interfici* (§. 794.).

Censentur nimirum eodem jure, quod competit in cives hostis. Quamvis enim alias dominus territorii sub certa poena prohibere possit, ne peregrinus in terras suas ingrediatur, pro ratione damni quod Reip. ex accessu peregrinorum metuendum (§. 296. *h.* & §. 625. *part. 8. Jur. nat.*), & constet Sinenses olim ingressum prohibuisse exteris sub poena capitali (*not.*

(*not.* §. 296.); alia tamen eſt ratio in caſu præſenti, in quo ob bellum commorari non licet in territorio hoſtili negotii cujusdam cauſa, quod ad bellum reſpectum non habet, nec Reip. in ſe damnoſum. Aliud quoque eſt hujusmodi negotii cauſa verſari in territorio hoſtili; aliud in id venire eo animo, ut hoſtile quid machinetur: quæ ipſa differentia attenditur in hoſte, ubicunque in poteſtatem noſtram venit.

§. 838.

De eo, qui vi majore impeditus diſcedere nequit.

Cum cives hoſtis, qui in territorium civile ante bellum venerunt, facta publicatione belli, intra tempus præſcriptum diſcedere obligentur (§. 836.), nemo autem obligari poſſit ultra id, quod poſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ſi quis vi majore*, cui ſcilicet reſiſtere non poteſt, *impeditus intra tempus præſcriptum diſcedere non poſſit, mora ipſi indulgenda.*

Pertinet huc inprimis, ſi quis morbo laborans lecto incumbere cogitur. Tunc enim concedenda mora, donec convaleſcat. Loquimur hic de mora, quæ indulgeri debet, non vero de ea, quæ per modum beneficii impetratur negotiorum ſuorum expediendorum cauſa. Poſterius enim meræ voluntatis eſt (§. 27. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 839.

De confiſcatione rerum hoſtilium in territorio ejus, qui bellum juſtum habet.

Res hoſtiles mobiles in territorio ſuo intra debiti ac poenæ modum confiſcari poſſunt ab eo, qui bellum juſtum gerit. Etenim cum hoſti facere id liceat, ſine quo jus ſuum conſequi nequit (§. 781.), & ſubditorum hoſtilium bona omnia oppignorata ſint pro debito Gentis ſuæ (§. 495.), res autem hoſtiles tales manent, quocunque in loco ſint (§. 727.); evidens eſt, res hoſtiles mobiles in territorio ſuo confiſcari poſſe a bellatore juſto. Quoniam tamen ultra modum debiti, ſub

quo

quo etiam comprehenditur, quod in poenam debetur, captæ bello finito restituendæ sunt (§. 787.); res hostiles mobiles in territorio suo intra debiti ac poenæ modum confiscari posse a bellatore justo.

Debitum non tantummodo primarium hic intelligitur, cujus causa bellum susceptum; verum etiam in ipso bello subnascens, tum ex injuria in eodem facta, tum ex impensis in idem factis, quippe quas belligerator injustus restituere debet (§. 786.). Pertinent huc etiam pecuniæ, utpote quæ rebus mobilibus accenseri solent. Confiscatio ista juri naturæ convenit, quod a vi abstinere jubet, ubi sine ea consequi possumus, quod alias nonnisi vi consequi daretur (§. 782.).

§. 840.

De debito non solvendo hosti.

Cum in territorio suo, *qui bellum justum gerit*, res hostiles mobiles confiscare possit intra debiti ac poenæ modum (§. 839.), immo etiam ultra eundem eo animo, ut bello finito restituantur (§. 787.); *debitoribus* quoque *hostium*, *civibus suis*, *prohibere potest*, *ne creditoribus durante bello solvant debitum*, *immo ut veniente die solutionis solvant sibi imperare.*

Prohibitio hæc jam continetur sub prohibitione generali, quæ in publicatione belli fieri solet, scilicet ne cum hoste durante bello ullum sit commercium. Durum equidem accidit iis, quorum res confiscantur; sed malum hoc necessarium est, quod bellum post se trahit, & infortunium, quod evitatu possibile non est. Non tamen durius existimandum, quam si hostis terras, in quibus habitamus, invadit, & vel res nostras nobis eripit, vel contributionem exigit. Et ubi de jure agitur in bello, id non æstimandum ex damno, quod datur subditis hostis, nec ex eorum ægritudine, qua angetur animus, sed ex fine belli, ex quo illud tanquam ex fonte fluit, prouti ex iis, quæ hactenus demonstrata sunt, abunde patet. Bellum non est

eſt niſi calamitatum genetrix, quod ideo evitare ſtudet Rector civitatis, quantum datur, qui ſubditorum ſuorum felicitatem curæ cordique habet.

§. 841.

De bonis immobilibus a cive tuo in territorio hoſtili poſſeſſis,

Si belligerantium unius civis bona immobilia poſſidet in territorio alterius; eadem reſpectu illius res hoſtiles ſunt, reſpectu hujus non ſunt. Etenim qui in territorio alieno bona immobilia poſſident, quoad ea juri populi, aut ejus, qui jus populi habet, ſubjecti ſunt, etſi ipſi peregrini maneant (§. 167. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter qua poſſeſſores eorundem ſpectantur tanquam ſubditi ejusdem (§. 141. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum res omnes, quæ ſunt ſubditi alicujus partis unius belligerantium, reſpectu partis alterius ſint res hoſtiles (§. 726.); ſi belligerantium unius civis bona immobilia poſſidet in territorio alterius, eadem reſpectu illius res hoſtiles ſunt, reſpectu autem hujus non ſunt.

Quemadmodum non repugnat, ut, qui civis tuus ſeu ſubditus eſt, qua poſſeſſor ſit ſubditus ejus, in cujus territorio bona immobilia poſſidet; ita nec contradictorium eſt, ut bona ejus, qui tibi hoſtis non eſt, reſpectu tui ſint res hoſtiles, & qua eorundem poſſeſſor is habeatur pro hoſte. Poſſeſſor perſona moralis eſt, ultra poſſeſſionem non extendenda (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*), quam ab individuo phyſico ſalvis reſpectibus ceteris moralibus ſeparare licet.

§. 842.

& in genere a peregrino quocunque.

Immo in genere *bona immobilia in territorio hoſtili poſſeſſa a peregrino res hoſtiles ſunt.* Oſtenditur eodem modo, quo propoſitio præcedens.

Perinde nimirum eſt, ſive qui bona immobilia in territorio unius belligerantium poſſidet, ſit civis belligerantium alterius,

ſive alius, ad quem bellum non pertinet. Cur enim res ſint hoſtiles, non a perſona venit, ſed ab ipſis rebus, quæ poſſidentur, quatenus nimirum ſubſunt jurisdictioni ejus, cujus eſt territorium (§. 331.).

§. 843.

Contributiones militares quidnam ſint.

Contributiones militares dicuntur collatio pecuniarum aliarumque rerum fungibilium ad ſuſtentandum exercitum a ſubditis hoſtilibus facta.

Quando hoſtis ingreditur in territorium ejus, cum quo ipſi bellum eſt, aut ſaltem aditus patet, & a ſubditis ipſius exigitur pecunia, annona, pabulum equorum, & ſi qua alia ſunt, quibus ad ſuſtentandum exercitum opus habet, ea omnia ad contributiones militares referuntur, quia ſinguli pro rata contribuere tenentur.

§. 844.

De jure contributiones exigendi.

Quoniam contributiones militares imperantur & exiguntur exercitus ſuſtentandi cauſa (§. 843.), *qui* vero *bellum juſtum gerit*, ei etiam debentur impenſæ in bellum factæ (§. 786.), conſequenter etiam ea, quæ ad ſuſtentandum exercitum neceſſaria; eidem quoque *competit jus contributiones militares imperandi & exigendi.* Cum tamen nemo obligari poſſit ultra id, quod poſſibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & hoſtem quoque diligere debeamus tanquam nosmetipſos (§. 743.), neque habere inimicum in eum animum (§. 744.); *contributiones exigi debent pro modo facultatum eorum, qui eas præſtare tenentur.*

Cum in bello injuſto nihil jure fiat (§ 777.), in eodem quoque contributiones exigendi jus nullum eſt. Nemo autem miretur, nos requirere, ut in determinanda quantitate contributionum juſtarum ratio habeatur dilectionis hoſtium, quaſi

quasi quod juris est, confundamus cum eo, quod virtutis est: etenim determinatio quantitatis non pertinet ad ipsum jus, quod in se indefinitum est, sed ad exercitium juris, a quo virtus nunquam abesse potest, nisi abusum juris & rectum eorundem usum pro uno eodemque habere velis. Vide, quæ eam in rem supra annotavimus (*not.* §. 826.).

§. 845.

Direptiones sunt ablationes violentæ rerum mobilium ex hostilibus ædibus vel locis aliis, in quibus asservantur vel absconduntur, a militibus factæ. Idiomate patrio dicitur die Plünderung. *Direptiones quid sit.*

Ita urbem diripere dicuntur milites, si ipsis permittitur, aut si jubentur in domus quascunque irruere & res mobiles quasvis ex iisdem pro lubitu auferre: id quod sit subinde in expugnatione urbium. Dicuntur etiam diripi domus.

§. 846.

Direptiones licitæ sunt, si contributiones justæ non præstentur, vel etiam si fiant intra poenæ meritum. Etenim contributiones justæ sunt debitum, quod persequitur jure belli belligerator (§. 844.). Quamobrem cum unicuique naturaliter loco ejus, quod sibi debetur, ubi id a debitore consequi non potest, res quascunque alias, quæ tantundem valent, eidem auferre liceat (§. 1112. *part. 5. Jur. nat.*), in direptione autem domorum ex iisdem auferuntur res mobiles quæcunque in iis deprehensæ, vel etiam absconditæ (§. 845.); si contributiones justæ non præstentur, direptiones licitæ sunt. *Quod erat unum.* *Quando licitæ.*

Porro cum in poenam adimi possint res quæcunque corporales, quæ sunt in dominio ejus, a quo poena exigitur

 (§. 589.

(§. 589. *part. 8. Jur. nat.*), quando vero domus diripiuntur, res mobiles quæcunque a militibus inde vi auferantur (§. 845.); direptio quoque in poenam fieri poteſt, conſequenter cum poena gravior illicita ſit, ubi levior ſufficit (§. 1065. *part. 1. Jur. nat.*), direptiones licitæ ſunt, ſi fiant intra poenæ meritum. *Quod erat alterum.*

In direptionibus urbium ac ædium difficulter evitantur exceſſus, quia milites licentiam effuſam pro jure habent. Quamobrem ad eas vix procedendum, niſi ſumma exigat neceſſitas. Et ne jus in abuſum trahatur, tenenda ſunt ea, quæ modo de contributionum quantitate annotavimus (*not.* §. 844.), inprimis ubi in eorum locum ſuccedunt.

§. 847.

An in direptionibus res vaſtandæ ſint vaſtandit.

Si urbes & domus diripiuntur, res, quæ direptioni patent, vaſtandæ non ſunt, niſi quatenus vaſtatio fit in juſtam poenam. Etenim urbes & domus diripiuntur, ſi contributiones juſtæ non præſtentur, aut intra poenæ meritum (§. 846.), conſequenter ut ea conſequamur, quæ ad ſuſtentandum exercitum vel copias militares jure exiguntur ab hoſte (§. 843. 844.), vel quod poenæ nomine debetur. Quamobrem cum in vaſtatione res corrumpantur, ut damnum ſentiat hoſtis, nos autem nihil percipiamus commodi; ſi urbes & domus diripiuntur, res, quæ direptioni patent, vaſtandæ non ſunt. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen vaſtatio rerum hoſtilium fieri poteſt in juſtam poenam (§. 823.); ſi ultra direptionem poena extendi poteſt, cum vaſtatione conjungere eandem licet, nimirum ut vaſtentur, quæ auferri in ſuum uſum nequeunt. *Quod erat alterum.*

Dire-

Direptio & vastatio utique distinguendæ sunt tanquam duo actus diversi. In direptione res auferuntur, ut sint in lucro auferentis, in vastatione corrumpuntur, ut unice damnum domino detur. Quamobrem non res omnes, quæ in domo sunt, diripi; omnes autem vastari possunt. Vastare res, quæ auferri non possunt, præsertim necessarias, quando direptio saltem licita, ad injuriam omnino, non saltem ad defectum charitatis referendum. Quamvis enim charitas motivum sit, ut a vastatione abstineatur in direptione, non tamen abstinentia desinit esse juris, cum charitas saltem injuriam declinet.

§. 848.

Præda quid sit. *Præda* dicuntur res mobiles hostiles in bello captæ a militibus. Romani distinguebant prædam a *Manubiis*, quas vocabant pecuniam per quæstorem ex præda vendita contractam.

Notante *Gellio*, scriptores non ignobiles aut temere, aut incuriose prædam pro manubiis & manubias pro præda posuisse. Ita si in prælio victus hostis recedere cogitur, quæ fugiens relinquit, ea in præda sunt: ad quam etiam referuntur res, quæ ipsi auferuntur, dum victor fugientem persequitur. Similiter ad prædam pertinent, quæ ad hostem devehenda inintercipiuntur, vel alia quacunque occasione eidem eripiuntur.

§. 849.

An deprædatio sit licita. Quoniam in bello justo res mobiles quascunque hostiles capere licet, tum ad consequendum debitum, sub quo etiam comprehenditur poena (§. 781.), atque impensas in bellum factas (§. 786.), tum ad imminuendum vires agendi (§. 810.), præda autem in rebus hostium mobilibus in bello captis consistat (§. 848.), consequenter quantacun-

que præda fuerit, finibus istis non satisfacit; *deprædatio hostium in bello justo licita est, qualiscunque tandem deprædandi se offerat occasio*, consequenter *deprædatores habere in bello injustum non est* (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Deprædatore idiomate patrio dicuntur Partheygänger, nec alio fine in bello adhibentur, quam ut prædis agendis inhient: id quod fieri necesse non est nocendi animo, ut nocumentum per se intendatur, sed ob fines, qui legitime intenduntur, jure scilicet belli.

§. 850.

An ad prædam pertineant in direptionibus ablata.

Cum in direptionibus res mobiles hostiles auferantur (§. 845.), præda autem in rebus mobilibus hostilibus consistat (§. 848.); *Quæ in direptionibus auferuntur, in præda sunt.*

Differunt deprædatio & direptiones. Deprædatio enim fieri potest absque direptione, veluti si ad castra hostium advehenda manu militum capiuntur: eadem autem semper inest direptioni. Hinc & castra ab hoste relicta diripi dicuntur. In præda determinanda non respicitur tam ad actum, quo capiuntur res, quam ad qualitatem rei, quod nempe ea sit hostilis eademque mobilis (§. 848.).

§. 851.

De rebus, quæ hostium non sunt, apud eos repertis.

Res quæ hostium non sunt, etsi apud eos reperiantur, cum non sint hostiles (§. 728.), *in præda non sunt* (§. 848.), consequenter in deprædationibus manent eorum, *quorum sunt, iisque* adeo *restituendæ* (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*).

Jus ad deprædationem nascitur ex bello, quod ultra res hostiles extendi nequit (§. 722.).

§. 852.

§. 852.

Præda omnis est summarum potestatum, quorum est bellum. Geritur enim bellum auctoribus iis, qui summum imperium habent (§. 607.), consequenter a summis potestatibus (§. 368.). Harum itaque cum sit bellum, eorum quoque est omne jus in bello. Quamobrem cum deprædationes fiant jure, quod datur in bello justum gerenti (§. 849. 777.); præda quoque summarum potestatum est, quarum bellum est.

Cujusnam sit præda.

Deprædatio etsi fiat a militibus, non tamen fit jure militum, sed jure summæ potestatis, quæ iisdem utitur tanquam instrumentis in actibus bellicis, seu juris sui executione in bello.

§. 853.

Quoniam præda omnis summarum potestatum est, quarum est bellum (§. 852.); *jus ad prædam nullum competit singulis militibus, qui res hostiles manu sua capiunt, nec eorum præfectis*, consequenter *si quis eorum aliquid prædæ suum facit, is furtum facit* (§. 498. *part. 2. Jur. nat.*), *& assimilatur ei, qui pecuniam publicam surripit.*

An aliquid prædæ sit militum capientium, aut præfectorum eorundem.

Furtum, quo pecunia publica surripitur, *Peculatus* vocatur. hinc prædæ retentio peculatus crimini æquiparatur, sive deprædatio jussu ducum intra functionis limites aut mandato summæ potestatis facta fuerit, sive proprio motu, illis insciis. Tam milites, quam præfecti stipendio militant, quo contenti esse debent. Fortitudinis præmia expectanda a summa potestate, nemo autem sibi ipsi præmia dare potest ex re aliena. Peculatum itaque in præda commissum minime excusat, quod committens se fortem præstiterit & rem suam bene gesserit, ac per consequens præmium meruerit.

§. 854.

§. 854.

An præda quid sit auxiliarium eos mittentis.

Quoniam præda omnis summarum potestatum est, quarum est bellum (§. 852.), copiarum autem auxiliarium bellum non est, sed eæ illas saltem in bello adjuvant (§. 653.), consequenter nihil jure suo faciunt, sed jure ejus, quem adjuvant; *prædatione ab auxiliaribus facta, præda eorundem non est, neque etiam mittentis.*

Nihil in hisce omnibus difficultatis est, ut nulla sit disputatio, quam graviorem vocat *Grotius* l. 3. c. 6. §. 8. cui præda acquiratur, propterea quod recentiores Juris interpretes valde variant: id quod tamen non mireris, cum non ex ipsis rerum notionibus quæstiones definire soleant, sed per rationes extrinsecas opiniones præconceptas defendant.

§. 855.

Quomodo de ea disponere possit potestas summa.

Quia præda summarum potestatum est, quarum est bellum (§. 852.), quilibet autem de suo disponere potest, prouti sibi visum fuerit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); *summæ quoque potestates de præda pro lubitu disponere possunt*, consequenter *leges de ea in Jure militari condere, vel alio modo in casibus particularibus voluntatem suam significare, tum etiam in pactis cum auxiliaribus de ea convenire.*

Inde omnino est, quod olim Romani non eodem modo de præda disposuerint, prouti commemorat *Grotius* l. 3. c. 6. §. 16. Sed ea hic repetere evitandæ prolixitatis causa nolumus, etsi in Politica suum habere possint usum, qui in Jure nullus est.

§. 856.

De præda concedenda deprædatoribus.

Denique cum deprædatores habere in bello liceat (§. 849.), suprema autem potestas, cui serviunt, de præda dispo-

diſponere poteſt, prouti e re ſua viſum fuerit (§. 855.); *deprædatoribus* quoque *nullo alio ſtipendio conſtituto*, *prædam partam concedere poteſt.*

Nihil in eo eſt, quod per ſe injuſtum dici poſſit. Vix tamen evitabitur juris deprædatoribus conceſſi abuſus, quem lucri, cui inhiant, cupido ſuadet. Ceterum notandum eſt, *prædam* dici *dividi*, quando comportata vel ipſa, vel pecunia inde redacta pro ratione ſtipendiorum, aut meritorum inter milites ſingulos eorumque præfectos diſtribuitur, *diripi* autem, ſi unicuique relinquitur, quod manu ſua capit. Sed de iis, quæ ſumma poteſtas conſtituit, ex principiis politicis ferendum judicium.

§. 857.

Dolus in bello licitus, ſive in ſimulatione, aut falſiloquio extra ſermonem promittentem, ſive in diſſimulatione conſiſtat. Etenim ſi in bello ſine vi ea obtineri poſſunt, ad quæ belligeranti jus eſt, ad ea obtinenda a vi abſtinendum (§. 782.). Quodſi ergo dolo, hoc eſt ſimulatione, falſiloquio extra ſermonem promittentem, cum in caſu promittentis ad veritatem etiam hoſti dicendam obligemur (§. 790. 800.), vel diſſimulatione obtineri quædam poſſunt, ad quæ alias vi opus eſſet, dolo potius, quam vi utendum, conſequenter dolus in bello licitus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *An dolus in bello licitus.*

Dolus in ſe, ſive in actu poſitivo conſiſtat, veluti ſimulatio & falſiloquium, quod tanquam ſpecies illius conſiderari poteſt, ſive in actu privativo, ut diſſimulatio, nihil turpitudinis habet; ſed pro datis circumſtantiis nunc licitus, nunc illicitus eſt (§. 338. *& ſeqq. part. 3. Jur. nat.*). Unde & JCti Romani dolum in bonum & malum dividunt. Mirum videri poterat, difficultates faceſſere eos, qui vim omnem in bello licitam faciunt,

cum tamen dolus minus afferat nocumentum, quam vis, nisi perversa quæstiones definiendi ratio constaret (*not.* §. 854.), nec qui jus naturæ tractarunt veri systematis notione destituti continuo ratiociniorum nexu sequentia ex antecedentibus deducere sueverint.

§. 858.

Strategemata quid sint & quando licita.

Stratagemata sunt actus bellici improvisi astutiæ debiti. *Quando* igitur *actus bellici liciti sunt*, *stratagemata* quoque *licita sunt*, cumque actus bellici tam in vi (§. 782.), quam in dolo consistant (§. 852.), *stratagemata cum in vi, tum in dolo consistere possunt.*

Hinc *Cicero* stratagemata ad consilium imperatorium refert, quo nimirum actus bellici determinantur. Et dici solent exempla vel consilia militaria, quibus posteri ad similia facienda ducuntur. Exempla stratagematum apud Historicos leguntur, qui bella descripserunt, modum præsertim agendi, tum etiam apud autores, qui de re militari commentati sunt.

§. 859.

De acquisitione dominii rerum in bello captarum.

Rerum mobilium captarum in bello dominium acquiritur a summa potestate. Etenim eidem debentur impensæ in bellum factæ (§. 786.). Quamobrem cum eas esse ingentes constet, ut rerum mobilium captarum pretium eas non adæquet, consequenter in illas semper imputari possit, & vix ac ne vix quidem ratio habenda sit poenæ, ad quam injustus belligerator ob hostilitates singulas justo tenetur (§. 789.), expletione autem juris acquiratur dominium rei loco debiti sui ablatæ (§. 1119. *part. 5. Jur. nat.*); rerum mobilium in bello captarum dominium acquiritur a summa potestate, cujus capiuntur & cui impensæ debentur, cuique ad poenam ob singulas hostilitates tenetur belligerator injustus.

Pro-

Propoſitionem præſentem adeo addere viſum fuit, ne quis arguteretur, nos perperam tacite ſupponere, quod rerum captarum in bello dominium acquirat ſumma poteſtas, cujus eſt bellum, dum prædam ſummæ poteſtati antea vindicavimus (§. 852.), quamvis idem ex jure capiendi jam ſatis manifeſtum eſſe poterat.

§. 860.

Quando dominium incipiat.

Quoniam res mobiles non ante captæ in bello intelliguntur, quam ubi ita detinentur, ut libere de iis disponere poſſimus, rerum autem earundem dominium acquiritur a ſumma poteſtate (§. 859.); *res hoſtiles mobiles non ante in dominio poteſtatis ſummæ ſunt, quam ubi ita detinentur, ut eadem pro lubitu de iisdem disponere poſſit.*

Non dici potes rem cepiſſe, quando hoſtis eandem tibi adhuc eripere poteſt, veluti ſi re cum re ablata, vel vi erepta fugientem perſequitur. Actus enim capiendi tum demum perfectus eſt, ſi ab hoſte non amplius reſiſtitur, isque animum recuperandi abjecit. Quamobrem cum hoſtis te perſequi diutius non poſſit, ubi cum re ablata intra præſidia perveniſti, vel in locum, quem ingredi non audet; ideo patet, te in eo caſu rem cepiſſe & per conſequens dominium poteſtatis ſummæ in eadem ſubſiſtere.

§. 861.

Res captas vindicari non poſſe.

Res in bello captæ ab iis, quorum ante fuerant, adverſus nullum poſſeſſorem vindicari poſſunt. Etenim rerum mobilium in bello captarum dominium acquiritur a ſumma poteſtate, cujus eſt bellum (§. 859.), conſequenter ii, quorum illæ antea fuerant, domini eſſe deſinunt. Quamobrem cum jus rem ſuam vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem domino competat (§. 544. *part. 2. Jur. nat.*); res quoque captæ ab

iis, quorum ante fuerant, adversus nullum possessorem vindicari possunt.

Qui dominium amittit, is quoque amittit omne jus ex dominio fluens, consequenter etiam jus vindicandi rem: ea enim domino competit, qua domino, consequenter nemini præter dominum competere potest. Dominus omni jure suo in re excludit ceteros omnes (§. 120. *part. 2. Jur. nat.*), adeoque etiam jure vindicandi. Ponamus itaque rem captam vendi alicui in solo pacato, & ab hoc iterum alteri cuidam ejus Gentis, cum qua capienti bellum est; is, cujus ea antea fuerat, ab eo eandem vindicare nequit.

§. 862.

Occupatio bellica quid sit. *Res hostiles* omnes, inprimis tamen immobiles, & inter has urbes ac terræ, *occupari* dicuntur, quando ab hoste rediguntur in suam potestatem. Unde *Occupatio bellica* est actus, quo vi armorum res hostiles rediguntur in suam potestatem.

Quandonam res sit in potestate nostra, explicavimus alibi (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*), nimirum quando physice possibile est, ut de ea disponamus pro arbitrio nostro. Ita e. gr. urbs occupata est, quando vi armorum adigitur, ut se dedat, vel in eum redigitur statum, ut milites præsidiarii & incolæ diutius resistere non possint.

§. 863.

De occupatione imperii. Quoniam res hostiles occupantur, quando ab hoste rediguntur in potestatem suam (§. 862.), imperium vero civile res incorporalis est (§. 498. *part. 1. Jur. nat.*); *imperium* quoque *civile occupari potest, & occupatum est, vel totum, vel in partem quandam subjectivam* (§. 230. *part. 8. Jur. nat.*), *si vel*

Gens

Gens integra, vel quædam ejus pars exercitio imperii non amplius resistere potest, sed eidem sese subjicere tenetur, consequenter *urbibus ac terris occupatis imperium simul occupatum est.*

Urbes & terræ atque imperium in iisdem, seu in personas, quæ in locis istis habitant, ocupatur uno eodemque actu. Ita urbs non ante occupata est, quam vi armorum nemo eorum amplius resistit qui in ea sunt, & tum quoque victori sese subjicere tenentur, qui in ea sunt. Perinde vero est, sive se dedant, sive deficientibus viribus a resistendo desistere cogantur, sicque veniant victi (§. 1089. *part. 5. Jur. nat.*) in potestatem victoris.

§. 864.

Imperio occupato subditos fieri, qui erant hostes. Quoniam imperio civili occupato jus universis in civitate, consequenter Rectori civitatis (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), competens in singulos occupatum est (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*), subditi autem sunt, in quos imperium habemus (§. 141. 60. *part. 8. Jur. nat.*); *imperio civili vel toto, vel in partem quandam subjectivam occupato, vel totus, vel pars quædam populi subditi fiunt*, cumque vi occupatoris non amplius resistant (§. 863.), cessante pugna (§. 1088. *part. 5. Jur. nat.*), *hostes esse desinunt* (§. 722.), consequenter cum urbibus ac terris occupatis imperium civile simul occupatum sit (§. 863.), *urbibus ac terris occupatis, qui in iisdem habitant, subditi fiunt & hostes esse desinunt.*

Cum in bello jus nostrum persequamur (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*); non aliud agitur, quam ut hostem in eum redigamus statum, quo reparationi juris nostri non amplius resistere potest. Qui itaque non amplius eidem resistit, cum eo nec bellum est, consequenter nec hostis (§. 722.).

§. 865.

De jure in eos, qui fuerant hostes, imperio occupato.

Quia *imperio occupato qui fuerant hostes* subditi fiunt, hostes autem esse desinunt (§. 864.), consequenter cum iis bellum jam non est (§. 722.); *jus* quoque *belli in eos extinguitur*, consequenter *in eos eorum nihil licet, quæ licita erat in hostem, sed nonnisi ea licita sunt, quæ jure imperii in subditos licent.*

Hinc facile ex iis, quæ in parte octava de Jure naturæ demonstrata sunt, definitur, quale in quocunque casu jus competat in victos, imperio occupato. Oppido igitur falluntur, qui sibi persuadent, idem jus in victos adhuc sibi competere, quod in hostes, ad fontem hujus juris animum non attendentes (§. 790.), multoque magis a vero aberrant, qui plus sibi in victos, quam in hostes licere arbitrantur, omnem juris originem ignorantes.

§. 866.

De occupatione dominii eminentis & dominio Gentis.

Cum imperio simul occupatur dominium & potestas eminens & dominium Gentis. Etenim dominium eminens in res civium & potestatem eminentem in personas eorundem imperium continet tanquam partes potentiales (§. 111. 114. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter qui imperium occupat, dominium quoque eminens & potestatem eminentem occupat. Cum imperio igitur dominium & potestas eminens simul occupatur. *Quod erat unum.*

Similiter quoniam dominium Gentis cum imperio connexum est (§. 305.); cum imperio quoque dominium Gentis simul occupatur. *Quod erat alterum.*

Constat ex superioribus, dominium Gentis non confundendum esse cum dominio fundorum, qui sunt juris privati. Quamobrem si urbes & terræ hostiles occupantur, non occupatur dominium fundorum, qui sunt juris privati, sed hi manent

manent eorum, quorum sunt, nisi quatenus iidem dominio eminenti subjiciuntur, quæ vero in dominium privatorum deducta non sunt, cum sint in dominio Gentis, in iis saltem cum imperio dominium Gentis occupatum intelligitur. Quemadmodum vero occupatio imperii non tollit jus puniendi eum, ob factum, quod commisit, cum hostis esset; si id poenam confiscationis mereatur, ea imperio occupato adhuc locum habebit. Quod enim in poenam adimitur, id non jure belli occupatur, consequenter ad occupationem bellicam non pertinet (§. 862.).

§. 867.

De jure ex impossibilitate defensionis nato.

Quos Gens sua adversus vim hostilem defendere nequit, in eos imperium amittit & obligatio eorundem, qua ipsi tenebantur, exspirat. Etenim in civitatem coëunt homines, ut vi unita defendantur adversus vim externam (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem si Gens sua partem quandam sui adversus vim hostilem defendere nequit; pactum, quo civitas constituta (§. *civ.*), servare non potest, consequenter nec pars ista sui eidem amplius ex pacto tenetur (§. 827. *part. 3.* & §. 534. *part. 6. Jur. nat.*). Quod igitur Gens tota in partem acquisivit jus, imperium scilicet (§. 32. *part. 8. Jur. nat.*), amittit & hujus, qua ipsi tenetur, obligatio extinguitur.

Discessus a civitate licitus, si ea obligationi suæ vel satisfacere nolit, vel non potest: perinde nimirum est, sive pactum, quo societas contracta, non impleatur voluntarie, sive coacte; & pactum hoc non aliter contractum intelligitur nisi sub hac tacita conditione, si possibile sit, ut utraque pars obligationi, qua tenetur alteri, satisfacere possit, consequenter si res manserint in eo statu, quo nunc sunt. Quando igitur finis, cujus causa contracta societas, cessat, cessat etiam societas, consequenter jura & obligationes, quæ inde descendunt, extinguuntur.

§. 868.

§. 868.

Quando hostis se subjicere licitum. Quoniam *illi, quos Gens sua adversus vim hostilem defendere nequit*, non amplius eidem obligantur, & imperium ejusdem in ipsos extinguitur (§. 867.); *jure se subjicere possunt imperio hostis & ejus fieri cives*, consequenter cum pars Gentis victa a sua defendi amplius nequeat (§. 1089. *part. 5. Jur. nat.*), *victus victoris imperio jure se subjicit, sive id fiat pacto, sive ipso facto, quatenus eidem non resistit, seu animum resistendi deponit, vel deponere cogitur.*

Invitum hic æquiparatur voluntario, cum necessitati sit parendum.

§. 869.

Quale imperium in victos acquiratur a victore. *Urbibus & terris expugnatis imperium in victos acquiritur, quale est in populo, nisi pacto aliter fuerit conventum.* Etenim urbibus & terris occupatis occupatur quoque imperium in victos (§. 863.), cumque victi a suis amplius defendi nequeant, jure sese imperio ejus subjiciunt (§. 868.). Quodsi ergo sine ulla pactione sese subjiciunt, imperium, quod acquirit in eos hostis, aliud esse nequit, quam in se est, consequenter quale originarie in populo est (§. 33. *part. 8. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Enimvero cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), si subjectio pactione facta, cum standum sit iis, de quibus in ea conventum (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*); imperium, quod victor in victos acquirit, tale erit, quale fuit conventum. *Quod erat tertium.*

Dici non potest, imperium tale acquiri, quale habuit Rector civitatis: jus enim ejus extinguitur, quamprimum suos non amplius defendere potest (§. 867.). Multo minus autem

tem dici poteſt, imperium tale acquiri in victos, quale victor habet in ſuos: jus enim, quod acquirit, inhærere debet perſonis, quæ ipſi ſubjiciuntur, & vi ſubjectionis in eum tranſit. Et quamvis jus in perſonas in bello juſto naſcatur ex defenſione ſui & rerum ſuarum (§. 790.); id tamen ad imperium non pertinet, &, ſi vel maxime pertinere ſumatur, quod tamen ſine manifeſta abſurditate ſumi nequit, nulla tamen foret ratio, cur tale eſſe deberet, quale victor in ſuos habet. Quodſi ſupponas, imperium auferri in poenam victorum, cum æſtimatio poenæ tum pendeat a voluntate victoris (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 783. *b.*), nulla adeſt ratio, cur tale auferri debeat, quale is habet in ſuos (§. 56. *Ontol.*). Nil igitur reſtat, quam ut tale acquirat, quale eſt in populo, niſi in pacto ſubjectionis aliquid fuerit immutatum.

§. 870.

Idem ſpecialius exponitur.

Quoniam urbibus & terris expugnatis imperium in victos acquiritur, quale eſt in populo, niſi pacto aliter fuerit conventum (§. 869.), imperium vero originarie eſt res populi propria (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*), idemque ſummum (§. 57. *part. 8. Jur. nat.*) atque plenum (§. 62. *part. 8. Jur. nat.*); *urbibus & terris expugnatis victor in victos acquirit imperium plenum & ſummum tanquam rem ſibi propriam, niſi pacto aliter fuerit conventum.*

Intelligitur hoc tam de imperio in totam Gentem, quam in partem ejus victam.

§. 871.

De ortu regnorum patrimonialium.

Cum *victor* in victos acquirat *imperium* plenum & ſummum quoad proprietatem (§. 870.); idem *in patrimonia habet* (§. 40. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter cum regnum patri-

patrimoniale ſit, ſi imperium fuerit in patrimonio Regis (§. 155. *part. 8. Jur. nat.*); *jure belli patrimonialia regna oriuntur.*

Sunt qui exiſtimant, ortum regnorum patrimonialium ſoli juri belli deberi: ſed alibi oſtendimus, non repugnare, ut voluntate quoque populi oriantur (§. 40. *part. 8. Jur. nat.*); quamvis non facile id contingat, nec ideo regnum patrimoniale in caſu dubio præſumatur (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 872.

De jure victoris in Rep victa immutanda.

Si victor in victos ſine ulla pactione imperium acquiſivit, formam Reip. quæ antea fuerat, pro lubitu mutare poteſt. Etenim ſi victor in victos ſine ulla pactione imperium acquiſivit, id in patrimonio habet & regnum patrimoniale eſt, quod ex occupatione bellica oritur (§. 871.). Enimvero ſi regnum fuerit patrimoniale, Rex formam Reip. mutare poteſt (§. 291. *part. 8. Jur. nat.*). Quodſi ergo victor in victos ſine ulla pactione imperium acquiſivit, formam Reip. quæ ante fuerat, pro lubitu mutare poteſt.

Non eſt, quod excipias, ſi in partem quandam populi imperium acquiritur; non oriri regnum. Regnum enim non conſtituitur per multitudinem ſubditorum & territorii magnitudinem, ſed per Reip. formam (§. 139. *part. 8. Jur. nat.*), quæ eadem eſſe poteſt in territorio magno & parvo. Quantacunque igitur territorii hoſtilis pars occupata fuerit, cum ea diſtincta ſit a territorio victoris, quod ante habuerat, nec ad idem per ſe pertineat; ea ſeſe habebit per modum regni.

§. 873.

De mutata Reip. victæ forma.

Quoniam victor, qui imperium in victos ſine ulla pactione acquiſivit, formam Reip. quæ ante fuerat, pro lubitu mutare poteſt (§. 872.); *arbitrii victoris eſt, num imperium*

rium suo jungere, num separatum servare, & num in altero hoc casu idem esse velit, quale fuerat in Rege, cui ademtum, an de ejus exercitio & successione in eodem leges certas fundamentales, prouti visum fuerit, condere voluerit.

Victoris nimirum, qui pleno jure imperium acquisivit (§. 870.), est pro arbitrio suo disponere tam de modo habendi imperium, quam de exercitio imperii: quod jus quam late pateat, ex iis intelligitur, quæ de jure publico universali in parte octava Juris naturæ demonstrata sunt.

§. 874.

Occupatione bellica non acquiritur regnum herile nisi intra poenæ justæ modum. Etenim in regno herili subditi omnes subeunt servitutem personalem (§. 270. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum captivi, quibus æquiparantur, qui urbibus ac terris occupatis imperio hostis subjiciuntur, naturaliter non fiant servi, juri tamen naturæ non repugnet, ut in servitutem redigantur ob delictum intra poenæ meritum (§. 814.); occupatione bellica non acquiritur regnum herile nisi intra poenæ justæ modum.

Quando imperium herile acquiratur.

Confunditur a multis imperium absolutum cum herili, qui, cum non esse deberent, juris naturæ ignari sunt, distinctis notionibus eorum, quæ ad imperium pertineat, destituti. Atque ideo contingit subditos haberi pro servis & potestatem eminentem & dominium eminens confundi cum potestate dominica. Maxima omnino poena est, quæ in Gentem quandam statuitur, si ab internecione discesseris, imperium herile, ut ideo rarissimus sit casus, quo imperium herile in Gentem acquiritur jure. Datur vero etiam imperium mixtum ex civili atque herili: id quod diversis modis variare potest, cum imperium plurimas contineat partes potentiales.

§. 875.

Quando hosti non competat vis in personam.

Qui se vi hosti non opponit, in eum vis nulla hosti competit. Etenim qui vi hosti se non opponit, contra eum nulla defensione is indiget (§. 972. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in personam jus in bello justo non nascatur nisi ex defensione sui & rerum suarum (§. 790.); qui se vi hostis non opponit, in eum vis nulla competit hosti.

Vis hosti licita est, quatenus sine ea jus suum consequi nequit. Quodsi ergo quis ei se non opponit, nulla sane ratio est, cur vi eundem impetat. Non desunt exempla eorum in annalibus veterum, qui vi bellica rite uti noverunt. Pertinent huc, qui agricolas juxta castra sua agrum colere permiserunt.

§. 876.

De stupris violentis in bello commissis.

Quoniam qui se vi hostis non opponit, in eum vis nulla hosti competit (§. 875.), foeminæ autem ac puellæ vi hostili non resistunt, inprimis ubi in potestatem hostis venerunt (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*); *stupra* quoque *violenta foeminis ac puellis inferenda militibus permitti non debent ab eorum præfectis, nec ea, cum per se illicita sint* (§. 335. *part. 7. Jur. nat.*), *jus belli excusat, multo minus tuetur.*

Valet idem, sive foeminæ captæ in castra deducantur, ut a militibus prostituantur, sive stupra committantur, urbibus ac terris captis, aut militibus in loca muro aut vallo non cincta irruentibus. Foedum omnino facinus est, ab omnibus detestandum, qui non omnem honestatis sensum exuerunt, idque a vi bellica, qua jus nostrum persequimur, prorsus alienum. Confer, quæ supra annotavimus (*not.* §. 808.). Nec est quod excipias, stupra ista non permitti, nisi quando terrore opus sit. Eadem enim hic militat ratio, cur permittenda non sint, qua supra evicimus, terroris causa corpora captivorum, aut

aut deditorum, vel dedere ſe volentium male tractanda non eſſe (§. 802.).

§. 877.

An naturaliter hoſtem veneno interimere liceat.

Naturaliter hoſtem veneno interimere licet. Quamdiu enim hoſtis eſt, reparationi juris noſtri reſiſtit (§. 722.), conſequenter tantundem in ejus perſonam licet, quantum ad vim ejus a nobis, vel rebus noſtris depellendam ſufficit (§. 791.). Quamobrem ſi eum e medio tollere poſſis, id illicitum non eſt. Quoniam vero perinde eſt, num gladio, an veneno eundem interimas, quod per ſe patet, quia ſcilicet in utroque caſu e medio tollitur, ne nobis diutius reſiſtere poſſit ac nocere; naturaliter hoſtem veneno interimere licet.

Non eſt, quod excipias, hoſtem veneno clam interfici, ut ab eo minus ſibi cavere poſſit, quam a vi aperta: neque enim ſemper vi aperta occiditur, qui gladio aut alio armorum uſu interficitur. Etenim ponamus, te clam ingredi in eum locum, in quo dux hoſtilis exercitus dormit, eumque gladio interficere. Nemo ſane diffitebitur, id jure belli illicitum eſſe, & perinde eſſe ac ſi globo transfodiatur ex improviſo e longinquo ſpectatus. Ex eo igitur, quod veneno clam ſtruantur inſidiæ vitæ hoſtis, jus eum e medio tollendi occaſione commoda oblata non variatur. Generoſo animo eorum tribuendum, qui hoc medio, cum poſſent, uti noluerunt fortitudinis gloria ducti, cui opinione communi maculam adſpergere noluerunt. Jure itaque naturali ſi factum æſtimes, ſcelus non eſt, quo nomine idem appellant ſcriptores Romani. Conſiderandum præterea bellum geri non propter ſe, ſed propter pacem, ac ideo quoque non illicita eſſe media, qui ad bellum finiendum conferre quid poſſunt, modo in ſe illicita non ſint (§. 71.), quale non eſt e medio tollere hoſtem. Sæpe autem ad finem belli haud parum confert, ſi hoſtis in-

terficiatur, & num ex nece ejus ſperandus ſit eventus, qui intenditur, ad rationes ſuaſorias hoc medium eligendi pertinet (§. 621.): quæ enim de rationibus ſuaſoriis belli ſuſcipiendi diximus, ea quoque intelliguntur de negotio alio quocunque, ad quod nobis jus competit.

§. 878.

An liceat globis vel ſagittis venenatis uti.

Quoniam naturaliter hoſtem veneno interimere licet (§. 877.), *globis vel ſagittis venenatis in bello uti, illicitum naturaliter non eſt.*

Hoſtis interficitur ad imminuendas vires ejus, quod virium decrementum intenditur, non cædes ejus. Quodſi ergo venenatis utaris globis, vel ſagittis, ut, ſi non ex vulnere, ex veneno tamen pereat hoſtis, conſequenter interitus ejus tanto certior ſit; quod cædem hoſtis facit licitam, id etiam veneni uſum licitum efficit. Perinde nimirum eſt, ſive uno, ſive gemino mortis vulnere hoſtem a te amoveas.

§. 879.

An fontes veneno inficere liceat.

Fontes veneno inficere naturaliter non licet. Aquarum enim uſus communis eſt, quod per ſe patet, conſequenter non minus contingit eos earum hauſtu necari, qui vi hoſtili ſe opponunt, quam qui eidem ſe non opponunt. Quamobrem cum in eum, qui vi hoſtili ſe non opponit, vis nulla licita ſit (§. 875.), conſequenter nec licitus ſit uſus veneni, quod in locum vis ſuccedit; fontes veneno inficere naturaliter non licet.

Quos interficere non licet gladio, eos nec interimere licet veneno. Sed eos, qui vi noſtræ ſe non opponunt, interficere non licet (§. 792.). Eosdem igitur nec interimere licet veneno. Jus in bello non extendendum eſt ultra ſuos limites. Quodſi objicias, ex eadem ratione illicitum fore bombarum in urbem

bem obsessam jactum; tenendum est, dispares admodum esse casus, qui pares existimantur. Urbs enim obsessa vi hostili se opponit & jactu bombarum, quo inprimis intenditur ædium vastatio, utimur tanquam medio adigendi hostem ad dedendum urbem. Ast si fontes veneno inficiantur, non ita intendi potest hostis interemtio, ut non interitus immineat inde etiam iis, quos jure belli interficere minime licet. Immo cum factum diu latere nequeat, fieri potest, ut noceatur non ei, quem veneno interficere licet (§. 877.), quam aliis, in quos idem jus nobis non erat.

§. 880.

De aquis veneno corrumpendis, ut bibi nequeant.

Aquas sine veneno ita corrumpere, ut bibi nequeant, naturaliter licet. Etenim si hoc modo corrumpuntur aquæ, earum usu sitim restinguere nequit hostis, ac ideo siti compellitur, ut vi nostræ non amplius resistat. Quamobrem cum a vi abstinendum sit, si sine ea id, quod intenditur, obtineri possit (§. 782.), veluti in præsenti casu siti; aquas sine veneno ita corrumpere, ut bibi nequeant, naturaliter licet.

Factum hoc & olim, & recentiori ævo, prouti cum *Grotius* l. 3. c. 4. §. 17. tum commentatores in hunc locum referunt. Corrupta autem fuit aqua vel helleboro, vel scoriis & aliis purgamentis metallicis, vel cadaveribus, asbesto, calce. Corruptionem aquæ prodit sapor, nisi eadem in oculos incurrat, ut ab ejus potu abstinendum sit, consequenter sitim pati cogatur, qui aquam puram aliunde haurire nequit. Fames ac sitis pari passu ambulant. Quemadmodum itaque non improbatur, fame adigere hostem, ut v. gr. se dedat, aut a bello desistens pacem faciat; ita nec improbari potest, si siti ad idem faciendum compellatur. Aquas igitur veneno inficere & sine veneno eas corrumpere, ut bibi nequeant, non unum idemque existimari potest.

§. 881.

§. 881.

Percussor quinam dicatur.

Percussor dicitur, qui mercede conductus ex insidiis & dolo hostem interficit. Convenit quodammodo cum *Assassino*, qui alterum accepta pecunia mandato alterius occidit.

Differentia percussoris & assassini in eo sita est, quod percussor habeat mandatum ab eo, qui jure belli alterum occidere potest; assassinus vero ab eo, qui alterum occidere prohibetur, ut factum ejus sit homicidium dolosum, seu crimen capitale.

§. 882.

An immisso percussore hostem interficere liceat.

Cum dolus in bello licitus sit (§. 857.), consequenter hostem quoque ex insidiis & dolo interficere liceat, ac perinde sit sive hoc fiat per unum, sive plures, percussor autem ex insidiis & dolo hostem interficiat (§. 881.); *hostem interficere immisso percussore naturaliter illicitum non est.*

Parum refert, quod percussor pecunia accepta hoc faciat: datur enim pecunia, ut periculum vitæ subeat percussor. Quodsi quis se sponte offerret, & absque mercede percussorem agere vellet; factum propterea non variaret. Quemadmodum etiam perinde est, sive plures fuerint percussores, sive tantummodo unus.

§. 883.

Exploratores quinam sint.

Exploratores dicuntur ut inquirant, quonam in statu sint res hostis & quidnam in nos moliatur. Idiomate Germanico, dicuntur Spionen. Patet itaque, *exploratores utilem præstare operam mittentibus, nocere autem hosti, ad quem mittuntur.*

Nihil magis usu receptum est in bello, quam ut exploratores

res

res mercede conducantur, cum plurimum intersit, ut quid agitet hostis nobis exploratum sit.

§. 884.

An exploratores mittere liceat.

Quoniam exploratores mittentis interest nosse, quonam in statu sint res hostis & quid in ipsum machinentur, ut actus bellicos ad persequendum jus suum facientes prudenter determinare possit, quod vero ad hunc finem necessarium est, id eidem licitum (§. 781.); *exploratores mittere licet ei, qui bellum justum gerit* (§. 883.).

Exploratores haud raro majus nocumentum afferunt, quam percussores, & facilius illi satisfaciunt, quam hi; expectationi mittentis. Causa tamen illorum minus odiosa habetur, quam horum. Quamobrem & in hos severius animadvertitur, quam in illos, si deprehendantur. Ceterum quod exploratorum opera uti liceat, nemo dubitat: an itidem percussoribus, dubium videri poterat ex eo, quod juri interficiendi hostem necessitas locum faciat, si vim ejus aliter depellere non detur (§. 791.), consequenter hostis interfici posse non videtur nisi in pugna. Enimvero quamvis speciosum videatur hoc dubium, species tamen eidem haud difficulter detrahitur. Quamdiu bellum durat, hostis vim inferre vel vi justæ se opponere meditatur, expectans saltem occasionem, qua propositum suum exequi datur. Vim itaque inferenti, aut vi justæ se opponenti constanter æquiparatur, quamdiu bellum manet, consequenter jus, quod in eum competit bellum justum gerenti, continuum est, quantum sufficit, ut eundem redigas in eum statum, quo vi justæ se opponere amplius non possit. Quodsi ergo cædi locum facit necessitas, ea quavis occasione data licita. Necessitas vero adesse intelligitur, si capi nequit.

§. 885.

De jure puniendi exploratores & percussores.

Naturaliter ei, cujus justa sunt arma, competit jus puniendi exploratores & percussores ab hoste suo missos, immo mittens præsertim percussores injuriarum ipsi tenetur. Quicquid enim facit belligerator injustus in præjudicium ejus, cujus arma justa sunt, nullo fit jure (§. 777.), sed in injuria consistit (§. 778.), consequenter & actus illorum, quorum opera utitur, mera sunt injuria. Quamobrem cum unicuique naturaliter competat jus puniendi eum, qui ipsi injuriam facit (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*); naturaliter quoque ei, cujus justa sunt arma, competit jus puniendi exploratores & percussores ab hoste suo missos, ac mittens ipse præsertim percussores injuriarum tenetur ei, cujus justa arma.

Cum naturaliter belligeratori injusto nullum competat jus in bello (§. 777.), consequenter nec actibus bellicis justis sese opponendi; naturæ jure defendi nequit jus puniendi exploratores, vel percussores a bellatore justo missos, nisi quatenus hi excedunt in usu juris, veluti interficientes eum, quem capere poterant. Qui enim in defensione, cui æquiparantur omnes actus bellici justi, modum excedit, alterum lædit (§. 1002. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter læso jus est eum puniendi (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*). Nullibi magis a jure naturæ receditur, quam in bello: quod cur aliter fieri non possit, mox ostensuri sumus. Durum equidem videtur ipsorum summorum ducum vitam exponi insidiis ac violentiæ percussorum, attamen cum culpa hæreat in ipsis, non in mittente eosdem, ipsi sibi imputare debent, quod se insidiis ac violentiæ exponere maluerint, quam cedendo vi justæ omne periculum atque damnum a se avertere.

§. 886.

De exitu negotiorum &

Omnia negotia & ipsum etiam bellum exitum inter Gentes habere

habere debent & ut habere possint curandum. Etenim omne negotium, quod suscipitur, exitum habere debet, & ut habere possit curandum (§. 70. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem etiam omnia negotia, ipsum quoque bellum, exitum inter Gentes habere debent, & ut habere possint curandum. *belli inter Gentes.*

Ostendimus idem de negotiis privatorum in civitate & litibus eorundem in foro (§. 983. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes in civitatem coivisse intelligantur, cujus singula membra sunt singulæ Gentes (§. 9.); ad eas quoque applicari poterat, quod de privatorum negotiis ac litibus in civitate, cujus ipsi membra sunt, demonstratum fuit.

§. 887.

Quoniam omnia negotia & ipsum etiam bellum exitum inter Gentes habere debent, & ut habere possint curandum (§. 886.); *si impossibile fuerit, ut negotia Gentium & ipsum etiam bellum exitum habere possint, servato rigore Juris naturæ, ab eo recedendum, & per consequens determinationes Juris naturæ ita immutandæ, quantum ad finem istum obtinendum necesse est, & in hoc Gentes omnes consentire tenentur.* Quamobrem cum Jus Gentium voluntarium ex necessario, seu naturali eodem modo efficiatur, quo civile ex naturali efficitur (§. 22.), in jure civili autem exitus negotiorum & litium finiendarum causa determinationes, quæ legi naturæ insunt, immutantur, quantum ad finem istum obtinendum sufficit (§. 986. *part. 8. Jur. nat.*); *si exitus negotiorum inter Gentes & belli finiendi causa determinationes Juris naturæ immutantur, quantum ad finem istum obtinendum necesse est, ex Jure Gentium necessario efficitur voluntarium.* *Quomodo ea de causa Jus Gentium voluntarium fiat.*

Quodsi hoc modo jus Gentium voluntarium demonstretur, dici non potest, esse fabulam gratis confictam, quemadmodum dici nequit leges civiles, quatenus a rigore Juris naturæ recedant necesse est, pro figmentis habendas esse. Neque etiam verendum, ut ultra suos limites Jus Gentium voluntarium extendatur, & in effrænatam licentiam vertatur, sicuti & ipsas leges civiles hoc modo intra justos limites continentur, ne voluntas legislatoris exorbitet, vi eorum, quæ de theoria naturali legum civilium in parte octava Juris naturæ demonstravimus. Gentium quoque consensus, quam Jus naturæ imperat, pro ficto haberi nequit, quippe quem, si is vel maxime deficiat, ipsum jus naturæ supplet (*not.* §. 9.), felicitati Gentium consulens, quantum ob earum infirmitatem, vel pertinaciam atque malitiam instar zizaniorum eradicari nesciorum tolerandam datur. Quodsi ob consensum tacitum, quem Jus naturæ imperat & deficientem supplere diximus, Juris naturæ dicere velis, quod nos Juris Gentium voluntarii dicimus, quamvis in nominibus simus faciles, modo re ipsa conveniamus, non tamen fert methodus demonstrativa, ut, quæ diversa sunt, eodem nomine insigniantur (§. 145 *Disc. præl.*), præsertim ubi verendum, ne id fiat in præjudicium veritatis (§. 631. *Log.*) & admisso uno errore sequantur plures.

§. 888.

Quodnam bellum jure Gentium voluntario pro justo habendum.

Jure Gentium voluntario quoad effectus bellum utrinque habendum pro justo. Etenim Gentes omnes naturaliter liberæ sunt (§. 558 *part. 1. Jur. nat.*), consequenter nulli naturaliter jus ullum in actiones alterius competit (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*) & vi libertatis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus ipsius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec Genti ulli competit jus exigendi, ut rationem actionem suarum

rum sibi reddat (§. 158. *part. 1. Jur. nat.)*. Quoniam itaque Gens nulla judicis partes sibi arrogare potest (§. 580. *part. 8. Jur. nat.)*, consequenter nec de justitia belli pronunciare (§. 540. *part. 8. Jur. nat.)*; etsi jure naturali bellum ex utraque parte justum esse nequeat (§. 633.), cum tamen uterque belligerantium se justam belli causam habere prætendat, permittendum est, ut utraque suam sequatur opinionem, consequenter jure Gentium voluntario bellum utrinque habendum pro justo, non quidem in se, quippe quod implicat (§. 634.), sed quoad effectus belli (§. 887.).

Non igitur dici potest, suspensam esse quæstionem de causæ justitia, donec per ultimam victoriam, sententiam Dei bellorum arbitri, constet, quinam causam justam habuerit, ita ut victus habendus sit belligerator injustus, tam Deo, quam victori jure poenas daturus. Bellum non est modus aptus decidendi controversias Gentium (*not.* §. 632.). Et quemadmodum fallit opinio eorum, qui putant, Deum ita dirigere sortem, ut indicet voluntatem ipsius (*not.* §. 295. 296. *part. 5. Jur. nat.*); ita nec errore vacat opinio illorum, qui existimant, Deum arma ita dirigere, ut, qui injustam habet causam vincatur, & victoria ultima, quæ bello finem facit, hoste in eum statu redacto, ut vi alterius resistere diutius non possit, stet semper penes justum belligeratorem. Constat plerumque victoriam deberi viribus hostis prævalentis, vel etiam consilio ac circumspectioni bellantis. Ecquis vero dixerit, ejus esse justam causam, qui armis prævalet, aut consilio, vel qui majore circumspectione usus? Multo minus autem statuere fas est, Deum ob istiusmodi rationes justitiam causæ vindicare ei, qui non habet, ac alterum poenæ fontem declarare, hostique ejus conferre jus, quo omnia in hostem licent.

§. 889.

Quodnam jure Gentium voluntario in bello licitum.

Quoniam *jure Gentium voluntario* quoad effectus bellum utrinque habendum pro justo (§. 888.); *quod jure in bello uni licitum, id etiam licitum est alteri belligerantium parti.*

Jure igitur Gentium voluntario æquo jure censetur utraque belligerantium pars. Atque ideo non audias, belligerantium partem unam accusare alteram violationis juris Gentium, quamdiu nil facit, quod in bello illicitum putatur. Jus Gentium voluntarium non facit actus bellicos licitos, qui jure naturali tales non sunt, sed tantummodo utrique belligeranti communes, cum jure naturæ non competant nisi bellum justum gerenti.

§. 890.

De limitibus Juris Gentium voluntarii in bello.

Quia quod jure in bello uni belligerantium licitum, id jure Gentium voluntario etiam licitum est alteri (§. 889.), nulla habita ratione justitiæ belli (§. 888.); naturaliter autem belligeratori injusto jus nullum competit (§. 777.), jus vero belligeratoris justi metiendum ex eo, quod ad consequendum jus suum ab adversa parte necessarium, judicio ipsius (§. 783.); nec ultra hunc finem extenditur (§. 781.); *jus Gentium voluntarium nihil permittit, nisi quod justo belligeratori jure naturæ permissum, aut permittendum*, consequenter *si ultra hos limites, intra quos in bello jus belligeratoris justi coërcet lex naturæ, moribus Gentium extenditur, id ad jus consuetudinarium referendum* (§. 24.).

Nimia igitur illa licentia, quam in Jure Gentium voluntario admittit *Grotius*, ac nonnulli pro ipso Jure naturæ venditant, passim a nobis notatam in annotationibus anterioribus, ad perversos Gentium mores referenda. Pertinet huc e. gr. jus promiscue interficiendi foeminas, pueros, infantes, senes alias-

aliasque personas, quæ vi hostili sese non opponunt, & jus diripiendi urbes ac domus atque vastandi res quascunque hostiles in infinitum extensum, ut liceat, quantum libuerit.

§. 891.

Jus Gentium voluntarium bellum injustum gerenti non verum jus dat ad actus bellicos, sed saltem impunitatem agendi. Etenim injustum bellum gerenti ad actus bellicos jus nullum competit (§. 777.), jure autem Gentium voluntario saltem permittendum, ut faciat, quod justo belligeratori licet (§. 889.), quamvis naturaliter ab eo abstinere deberet (§. 778.). Quamobrem cum impune saltem agat, cui ab aliis permittendum, ut agat, quamvis naturaliter ad contrarium obligetur (§. 418. *part. 3. Jur. nat.*); Jus Gentium voluntarium bellum injustum gerenti non verum jus dat ad actus bellicos, sed saltem impunitatem agendi.

Quale sit jus Gentium voluntarium in bello.

Jus igitur Gentium voluntarium, quod belligerantem injustum justo adæquat, ex parte ipsius nonnisi abusive jus appellatur (*not.* §. 419. *part. 3. Jur. nat.*). Nec opinio de justitia causæ suæ, quam fovet belligerator injustus, impunitatem agendi in jus vertit, cum hoc non ex opinione ipsius, sed ex veritate nascatur (*not.* §. 823.), licet necessario aliquid dandum sit opinioni in Jure Gentium voluntario, ut bellum exitum habere possit (*not.* §. 887.), consequenter eodem finito non remaneant belli novi semina. Qui conscientia erronea agit, hac non obstante peccat, cum error ipsius non faciat, ut actio legi naturæ contraria talis non sit, sed eidem conformis (§. 441. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nisi quatenus error invincibilis eidem imputari nequit (§. 552. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut excusationem mereatur. Minime autem excusandi sunt, qui scientes injustam Principis sui causam defendunt, ejusque animum in errore obfirmant.

§. 892.

§. 892.

Modus acquirendi in bello.

Jure Gentium voluntario occupatio bellica est modus acquirendi dominium & imperium belligerantium communis. Etenim rerum mobilium in bello captarum dominium acquiritur a summa potestate (§. 859.), cujus nimirum est bellum, & urbibus ac terris expugnatis imperium in victos (§. 869.), una cum dominio Gentis (§ 868.), tum etiam jus in captivos (§. 814. & *seqq.).* Quoniam vero res hostiles omnes, consequenter etiam incorporales (§. 497. *part. 1. Jur. nat.),* qualia sunt jura in personas (§. 498. *part. 1. Jur. nat.),* non ante acquisitæ intelliguntur, quam in potestatem acquirentis fuerint redactæ (§. 461. *part. 2. Jur. nat.),* consequenter vi bellica occupatæ (§. 862.), jure autem Gentium voluntario quoad effectus bellum utriusque partis habendum sit pro justo (§. 888.); occupatio bellica jure Gentium voluntario est modus acquirendi dominium & imperium belligerantium communis.

Occupatio bellica ideo inter modos acquirendi, qui juris Gentium dicuntur, refertur in Jure Romano §. 17. I. de R. D. quamvis jus Gentium, quod voluntarium dicimus, cum jure naturæ hominum proprio in eundem censum referatur, dubio procul ea de causa, quod juris naturalis habeatur etiam id, quod vi libertatis naturalis aliis permittendum, etsi in se jure naturæ non fuerat licitum, qualis est abusus dominii & libertatis naturalis seu juris in actiones suas, quatenus non vergit in alterius injuriam. Sane ex hisce actibus etsi in se illicitis respectu agentis verum tamen jus nascitur alteri, cujus actus vitio caret. E. gr. quamvis in se illicitum sit vendere libros, quibus maxime indiges, luxu & libidine nummos profusurus; ex emtione tamen acquiritur dominium, si ea in se nihil vitii habeat. In bello etiam justo abusus juris in bello ab usu distinguitur, per ea, quæ de limitibus illius passim demon-

monstrata sunt; sed de eo judicium est penes belligerantem (§. 783.), quo aliis standum (*not.* §. *cit*). Abusus vero dat jus etiam illi, cujus arma alias sunt injusta, ad certos actus bellicos, quemadmodum excessus defensionis aggressori (§. 1004. *part. 1. Jur. nat.*) & punientis ei, qui punitur (§. 1067. 972. 973. *part. 1. Jur. nat.*), cujus resistentia alias illicita (§. 1088. *part. 1. Jur. nat.*). Belligerantium igitur jura ex causis subnascentibus ita intricantur, ut ea extricari a nemine possint, si vel maxime arbiter constitueretur, nedum sine judice, aut arbitro, qualem Gentes natura liberæ (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*) agnoscere non tenentur. Cum obligatio naturalis extendi nequeat ultra id, quod possibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); necessitas ipsa exigit, ut quoad effectus ab actibus bellicis pendentes utriusque belligerantium partis bellum habeatur pro justo, quemadmodum nec in translatione dominii aut juris cujusdam proprii vitium inhærens animo partis alterutrius, quod comitatur actum ad transferendum requisitum, trahitur in ipsum hunc actum. Non vero propterea jus & virtus sibi tanquam hostes opponuntur, prouti jam antea annotavimus (*not.* §. 826.). Virtus ab exercitio juris nunquam abesse potest, nisi peccare velis: vitium tamen inhærens animo partis unius inquinare nequit effectum juris ex parte aliorum, qui illius non sunt participes. Quodsi in bello justitia intrinseca in singulis actibus discerni deberet, innumeræ inde nascerentur controversiæ ac lites nullum exitum habituræ. Ceterum sicuti nulla Resp. sine magna injuria regitur; ita quoque bellum geri absque injuria nequit. Talia tolerari jubet ipsa lex naturæ, ut justitia conservetur in universis, sicuti natura ejusque autor permittit imperfectionem in parte, ut conservetur perfectio, vel etiam major obtineatur in toto. In casu enim collisionis totum ut parti præferatur, nihil magis naturale est. Spectantur autem Gentes universæ, utpote civitatem maximam constituentes (§. 9. 10.), tanquam totum & singulæ tanquam partes, consequenter singuli, qui

de Gente quadam sunt, tanquam partes partis. Sed ne prolixiores simus, quam necesse videri poterat, quæ præterea dici poterant, propriæ lectorum meditationi relinquimus.

§. 893.

De jure puniendi exploratores & percussores jure belligerantium communi.

Jure Gentium voluntario exploratores & percussores ab utroque belligerante puniuntur: immo nec jus naturæ obstare videtur, ut is, cujus arma sunt injusta, illos tanquam injuriam sibi facientes hos tanquam assassinos puniat. Bellator justus exploratores & percussores ab hoste suo missos punire potest jure, quod naturaliter habet in bello (§. 885.). Enimvero jure Gentium voluntario quod uni licitum, id etiam licitum est alteri (§. 889.). Quamobrem jure Gentium voluntario exploratores & percussores ab utroque belligerante puniuntur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum percussores mercede conducantur, ut ex insidiis & dolo hostem interficiant (§. 881.); exploratores vero, ut prodendo consilia hostium, in quo res eorum sunt, eidem noceant (§. 883.), non vi imperii, cui subditi sunt, ad id compellantur; factum eorum duplici modo spectari potest, tum quatenus proprium est idque liberrimæ voluntatis, quod nullum jus tuetur, tum quatenus pendet a voluntate committentis, vel in idem consentientis. Priori respectu, factum exploratorum consideratur tanquam actus, quo injuria committitur in eum, in cujus præjudicium vergit, (§. 530. *part. 2. Jur. nat.*), percussorum vero tanquam assassinium. Quamobrem cum non minus injuria facta (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*), quam assassinium puniri possit (§. 881. *h.* & §. 1061. *part. 1. Jur. nat.*); jus naturæ non obstare videtur, ut is, cujus arma sunt injusta, exploratores tanquam inju-

riam

riam ſibi facientes, percuſſores tanquam aſſaſſinos puniat. *Quod erat alterum.*

Bellator injuſtus etſi jure belli, quale naturaliter non habet (§. 777.), exploratores & percuſſores punire non poſſit (*not.* §. 885.); cum tamen propterea ipſi non auferatur jus alias natura competens, quin eodem utatur nihil obſtare videtur. Etſi enim ſe non jure opponat vi juſtæ; huic tamen non æquiparatur factum exploratorum & percuſſorum, utut bellator juſtus eorum opera ipſorum periculo licite utatur. Ea igitur differentia intercedit in puniendo exploratore & percuſſore inter belligeratorem juſtum & injuſtum, quod illi geminum ſit jus ad poenam, huic nonniſi unum. Unum cum ſufficiat, ne opus quidem eſt, ut a Jure Gentium voluntario præſidium petat.

§. 894.

De rebus & perſonis captis ad Gentem ſuam redeuntibus.

Si res & perſonæ captæ ad ſuam Gentem revertuntur, tam naturæ, quam voluntario Gentium jure in priſtinum ſtatum reſtituuntur, hoc eſt, res reſtituendæ ſunt ſuis dominis, quorum ante fuerant, & perſonis reſtituenda ſunt omnia jura, quæ ante habuerant, omnia quoque jura in ipſas. Qui bellum injuſtum gerit, tam res (§. 788.), quam perſonas captas naturaliter reſtituere obligatur (§. 809.), cumque ſumma poteſtas ſubditos ſuos eorumque jura contra vim externam hoſtium defendere teneatur (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), eadem naturaliter obligatur res ab hoſte vi injuſta captas ſubditis ſuis vindicare & captivos liberare. Quodſi ergo res, vel perſonæ captæ revertuntur ad ſuos, cum perinde ſit, ac ſi vel ab hoſte redditæ, vel ab eodem vindicatæ fuiſſent; res omnino ſuis dominis, quibus vi injuſta ereptæ fuerant, reſtituendæ, & perſonæ reſtituuntur ſibimetipſi, conſequenter & omnia, quæ ante habue-

 rant,

rant, jura iisdem restituuntur, omnia quoque jura in ipsas. *Quod erat primum.*

Enimvero etsi in rebus vi justa captis dominium acquirat belligerator justus (§. 1119. *part. 5. Jur. nat.* & §. 781. *h.*), saltem amissibiliter (§. 787.), quod posterius vero ob subnascens in bello debitum definiri nequit; quando tamen eædem ad gentem suam revertuntur, ut spes recuperandi vel nulla sit, vel saltem anceps, æquiparandæ sunt rebus, quæ a Gente una alteri injuria ereptæ & pro quibus huic oppignorata sunt bona subditorum illius promiscua (§. 495.), consequenter novum debitum contrahitur, cujus causa expletio juris eidem competit (§. 586.). Dum vero ad Gentem suam revertuntur res, cui ab hoste ablatæ fuerant in compensationem debiti (§. 781. 586.), pro quo perinde bona quæcunque ceterorum subditorum obligata erant (§. 495.), & etiamnum obligata manent *per demonstrata;* nulla sane ratio est, cur res istas acquirere debeat summa potestas (§. 56. *Ontol.*), inprimis cum in casu præsente nullum prorsus ipsius jus sit in bello (§. 777.). Restituendæ igitur sunt dominis suis, quorum ante fuerant, tanquam quæ ipsis ab hoste non fuissent ereptæ. Et idem non absimili modo intelligitur de captivis, in quos belligeratori jus quoddam competit (§. 814. & *seqq.*), ac ideo & ipsi sibi restituuntur, omnibus eorum juribus ipsis & aliorum juribus in ipsos restitutis. *Quod erat secundum.*

Denique jure Gentium voluntario quoad effectus bellum utrinque pro justo habetur (§. 888.), consequenter perinde est, ac si bellator injustus jure ageret in bello. Enimvero si justum fuerit bellum, jure naturæ res & personæ, dum ad Gentem suam revertuntur, in pristinum statum restituun-

ſtituuntur, *per demonſtrata n. 1.* Ergo jure Gentium voluntario promiſcue res atque perſonæ captæ ad Gentem ſuam redeuntes in priſtinum ſtatum reſtituuntur. *Quod erat tertium.*

In rebus vi injuſta ablatis dominium naturaliter retinent domini, quippe quod invitis auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quando igitur quocunque modo redeunt ad ſuos, ab iis, in quorum poteſtatem veniunt, iisdem ſunt reſtituendi (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*). Jus Gentium voluntarium jus belligerantibus æquale facit (§. 889.). Quamobrem non aliud jus in res captas revertentes ad Gentem, cui fuerant ablatæ, tribuere poteſt belligeratori injuſto, quam juſto competit, præſertim cum ipſius judicio res per injuriam captæ cenſeantur ab hoſte. Jure igitur Gentium voluntario res captæ ad Gentem ſuam revertentes, non attenta differentia inter bellum juſtum & injuſtum, reſtituuntur dominis, quorum antea fuerant. Ac idem quoque intelligitur de captivis ad ſuos redeuntibus. Qui ex judicio civitatis ſuæ reſtitutionem rerum & perſonarum captarum, dum ad ſuos revertuntur, in ſtatum priſtinum derivatam juris naturæ eſſe contendunt, non juris Gentium voluntarii, non re, ſed verbis ſaltem diſſenſentiunt. Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 887.).

§. 895.

Quomodo res iſtæ ſpectandæ ſint.

Quoniam *res & perſonæ captæ, dum ad ſuam Gentem revertuntur*, in priſtinum ſtatum reſtituuntur (§. 894), *eodem modo ſpectari poſſunt, ac ſi in poteſtate hoſtis nunquam fuiſſent.*

Etenim quod fuerunt in poteſtate hoſtis res & perſonæ captæ, in eorum juribus nihil immutatur (§. 894.). Quare quia idem obtinuiſſet, ſi in poteſtate hoſtis nunquam fuiſſet; dum ad Gentem ſuam redeunt, cum ceteris, quæ in hoſtis poteſtatem nunquam venerunt, eodem loco habendæ.

§. 896.

De postliminio & cujus sit juris.

Restitutio rerum & personarum ab hoste captarum & in potestatem Gentes suæ venientium in statum pristinum *Postliminium* appellatur. Atque ideo patet, *postliminium non minus Juris naturæ, quam Juris Gentium voluntarii esse* (§. 894.).

Postliminium defendit jus naturæ, quatenus dantur rationes ejus ex principiis Juris naturæ desumtæ, quæ enim juris naturæ sunt, ea rationes naturales, ex ipsis nimirum notionibus rerum desumtas, habere debent; jus vero Gentium voluntarium, quatenus Jure naturæ non repugnante permittendum, ut a rigore ejus in agendo recedatur. Alia igitur cum sint, quæ juri naturæ ad amussim conveniunt, alia vero, quæ eodem non repugnante, toleranda, quia mutari nequeunt, aut ut injuria major evitetur; convenientius nobis visum fuit ea a se invicem nominibus quoque discerni, non vero communi nomine appellari, ne quis existimet, ab exercitio juris abesse unquam posse virtutem, si recte agere velis, prouti naturaliter obligaris (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & agendi impunitatem inter Gentes, quæ nonnisi abusive jus dicitur, cum vero jure confundas (§. 891.). Cum bellum summa religione gerendum urgeat lex naturæ, cujus obligatio est prorsus immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non ideo peccare licet, quia ut pecces ferendum ab aliis.

§. 897.

Quænam postliminio redeant, quænam recipiantur.

Postliminio redire dicuntur personæ, quæ in bello captæ ab hoste iterum veniunt in potestatem Gentis suæ. *Postliminio* autem *recipi* dicuntur res, quæ in bello ab hoste captæ iterum veniunt in potestatem Gentis suæ. Indiscrete tamen etiam tam res, quam personæ & redire, & recipi postliminio dicuntur.

Pomponius l. 14. ff. de Capt. & postl. duas species postliminii

minii distinguit, sc. ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus: *Paulus* tamen *Pomponio* posterior l. 18. ff. de Capt. & postl. postliminio recipi dicit etiam homines. Distinctio ista in Jure naturæ usum habet nullum, ut ideo perinde sit, sive res & personæ recipi & redire indiscrete, sive discrete dicantur. Quando vero *Grotius* l. 3. c. 9. §. 2. postliminium, ait, est jus, quod nascitur ex reditu in limen, id est, fines publicos; id quidem definitionis vicem tueri nequit, propterea quod non adsunt omnes determinationes, per quas hoc jus in esse suo constituitur, ut inde demonstrari possint cetera, quæ ex jure isto fluunt, si tamen reditus ita explicetur, ut redire idem sit, ac venire in potestatem Gentis suæ ex potestate hostis, in qua fuerant, quemadmodum capere idem significat ac redigere in suam potestatem, & potestas in sensu physico accipiatur (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*), a veritate alienum non est, si dicatur, jus, quo res dominis, personæ sibi restituuntur, hoc est postliminium nasci ex reditu, quatenus nimirum a reditu dependet, ut ejus particeps fias (§. 851. *Ontol.*). Aliam enim esse juris hujus originem, sive ut jus naturæ, sive ut jus Gentium voluntarium illo non repugnante spectetur, ex demonstratione superiori patet (§. 894.). Ceterum non uno modo res & personæ ab hoste captæ in potestatem Gentis suæ iterum redire posse, satis manifestum est: diversitas tamen ista in postliminio non attendenda, cum independenter ab ea jus hoc fuerit demonstratum (§. *cit.*).

§. 898.

An apud Gentes socias postliminium sit.

Apud Gentem sociam postliminium est. Quoniam qui bello se associat, cum eo, cujus bellum, pro una persona habendus (§. 161. *part. 7. Jur. nat.*), consequenter Gens socia quoad bellum alteri, cui associatur, æquiparatur; perinde est, sive res & personæ in bello captæ redeant ad Gentem suam, sive ad sociam. Quamobrem cum postliminium sit apud Gentem suam

ſuam (§. 894. 896.); erit idem etiam apud Gentem ſociam.

Demonſtratio, quam dedimus de poſtliminio tum quoad jus naturæ, tum quoad jus Gentium voluntarium, applicari quoque poteſt ad Gentem ſociam; ſed non opus eſt, ut eadem repetatur, cum Gens ſocia alterius cauſam ſuam faciat, conſequenter jus quod belli cauſa huic competit, etiam ipſi competere debet, cumque hujus judicium ſequatur, quod hæc pro jure agnoſcit, etiam illa pro jure agnoſcere debet. Idem nimirum de cauſa belli & actibus bellicis in ſe non illicitis, ac inde quocunque modo reſultantibus judicium eſt, vi libertatis naturalis a Gentibus ceteris utrique permittendum.

§. 899.

An apud Gentes medias ſit poſtliminium.

Apud Gentes medias & pacatas poſtliminium non eſt. Gentes enim mediæ neutri belligerantium parti adhærent (§. 672.), ac cum iis conveniunt pacatæ, quæ bello ſeſe non immiſcent, etſi ſeſe non declaraverint belligerantibus, quod neutri parti adhærere velint. Quoniam itaque Gentibus, ad quas bellum non pertinet, bellum utrinque habendum pro juſto (§. 888.); actus quoque bellici jure facti ab utraque parte habentur, ac per conſequens cum jure Gentium voluntario occupatio bellica ſit modus acquirendi dominium & imperium belligerantium commune (§. 892.), quæ a parte una, vel altera in bello capta ſunt, a capientibus acquiſita intelliguntur. Quodſi ergo res & perſonæ in bello captæ ad eas veniunt, propterea non reſtituuntur in eum ſtatum, in quo fuerant, antequam caperentur, ut res ſuis dominis, perſonæ ſibi ipſis ſint reſtituendæ, ac per conſequens poſtliminium apud Gentes medias & pacatas nullum eſt (§. 896.).

Ita

Ita si res captæ vendantur apud Gentem mediam vel pacatam, dominus, cujus ante fuerant, eas vindicare nequit. Inter Gentes medias & pacatas nulla datur intrinseca differentia. Utraque enim Gens bello sese non immiscet & vi libertatis naturalis unicuique permittit, ut suum de actibus bellicis & causa belli judicium sequatur, consequenter necessario factum utriusque pro jure agnoscere tenetur, alias enim injustitiæ utrumque accusare deberet, quod absurdum (§. 634.), aut saltem alterutram, & sic unius judicium in bello secuta parti ejus adhæreret, atque ideo non esset media (§. 672.), vel pacata. Differentia igitur inter Gentem mediam & pacatam non alia est, nisi quod illa se declaret vel utrique, vel uni belligerantium parti, quod bello sese immiscere nolit, vel etiam foedus neutralitatis ineat (§. 673.); hæc autem solo facto a bello abstineat. Quamobrem cum respectu Gentium mediarum & pacatarum bellum nullum sit, nec jura ex bello orta, quæ ad belligerantes qua tales spectant, ad eas producenda. Sunt equidem, qui postliminium ad Gentes quoque medias & pacatas extendunt, quantum tamen fallantur, ex iis, quæ modo dicta sunt, abunde patet.

§. 900.

Postliminio carent, qui armis victi hostibus se dederunt. *An dediti postliminium habeant.*

Qui enim armis victi hostibus se dedunt, eo ipso declarant, se velle apud eum manere, consequenter fidem dant (§. 758. 427. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum fides hosti data servanda sit (§. 800.); cum in pristinum statum restitui nequeant, qui sese dederunt hostibus, nisi violata fide, postliminio carent (§. 896.).

Proprio nimirum facto hostis potestati se subducere & ad suos redire nequit deditus. Perinde nimirum est, ac si a suis ad hostes fugeret, eorumque causam sequeretur, ac propterea pro transfuga jure habetur (§. 803.). Fides inter Gentes quomodo-

modocunque data sancta esse debet (§. 550. 556.), adeoque nec postliminium adversus eam valere potest, nec is idem agnoscere tenetur, cujus potestati se subduxerunt dediti.

§. 901.

An urbes & provinciæ deditæ hosti se eximere possint.

Quoniam postliminio carent, qui armis victi sese dederunt (§. 900.); *nec urbes & provinciæ, quæ se hosti dederunt, postliminio uti, ideoque hosti se eximere possunt* (§. 896.).

Non aliud jus esse potest universitatum, quam singulorum, cum a singulis in universitatem transeat jus, ita ut jus universitatum sit jus singulorum omnium conjunctim sumtum. Et fidem datam non minus servare debet universitas quædam, qualis est urbs & provincia, quam singuli.

§. 902.

De postliminio vi bellica recuperatorum.

Quæ ab hoste vi bellica recuperantur, postliminium habent. Etenim quando recuperantur, ad Gentem suam revertuntur, quod per se patet. Quamobrem cum in bello capta postliminium habeant, quæ ad Gentem suam revertuntur (§. 894. 896.); postliminium quoque habere debent, quæ vi bellica ab eodem recuperantur.

Gens quælibet jura subditorum suorum adversus vim externam hostium defendere tenetur (§. 4. 28. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo operam dare, ut, si possit, ab hoste capta recuperet. Nulla igitur ratio est, cur in bello recuperata ab hoste sibi acquirere debeat, sed ea acquirit ipsis, quorum ante fuerant, adeoque vindicat in pristinum statum, quam ante habuerant.

§. 903.

De deditis ab hoste dimissis, vel

Personæ sibi debitæ ab hoste dimissæ, & res aut urbes deditæ ab eodem desertæ, aut pactis a nobis recuperatæ postliminium habent.

bent. Etenim si ab hoste personæ sibi deditæ dimittuntur, & res aut urbes deditæ ab eodem deferuntur, is jus suum in eas remittit (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*). Fiunt igitur ejus juris, cujus ante fuerant, consequenter in eum statum ipso facto restituuntur, in quo ante fuerant (§. 894.). Quamobrem cum hæc restitutio sit postliminium (§. 896.); si personæ deditæ ab hoste dimittantur, & res aut urbes deditæ ab eodem deferantur, postliminium habent. *Quod erat unum.*

desertis, aut pactis a mo-bis recupe-ratis.

Porro cum Gens quælibet subditorum suorum jura defendere (§. 4. 28. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter operam dare debeat, ut, quæ hosti dedere tenebatur, si id fieri possit, recuperet ac in statum pristinum vindicet; quin dedita pactis recuperata postliminium habeant dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

Cessat in hypothesi propositionis præsentis ratio, cur in deditis cesset postliminium, violatio nempe fidei (§. 900.). Quamobrem etsi dediti se & res suas juri hostis se eximere non possint, ut propterea postliminio locus esse nequeat; id tamen non amplius obstat, ubi hostis jus suum remittit. Quando deditio remittitur, perinde est, ac si ea nunquam fuisset facta, consequenter salva quoque sunt deditorum jura, quæ cur facto nostro ipsis adimi possint, ratio nulla est, quin potius repugnat obligationi, qua subditis nostris tenemur, quemadmodum ex demonstratione palam est. Qui jus remittit, ejus jus extinguitur (§. 97. *part. 3. Jur. nat.*). Absurdum igitur foret statuere, id transmitti in Gentem, cujus antea fuerant ab hoste deserta, vel reddita.

§. 904.

Si servi recipiuntur postliminio, dominis suis restituendi sunt. *De servis postliminio receptis.*

Postliminio enim quæ recipiuntur, in pristinum statum restituun-

ſtituuntur (§. 896.). Qui igitur fuerat ſervus tuus, poſtliminio receptus ſervus tuus eſt. Quamobrem ſi ſervi poſtliminio recipiuntur, dominis ſuis reſtituendi ſunt.

Nimirum qui poſtliminio redeunt vel recipiuntur, ſpectandi ſunt, tanquam ſi nunquam in poteſtate hoſtis fuiſſent (§. 895). Quoniam igitur manſiſſent dominorum ſuorum, erunt etiam eorundem, ubi poſtliminio recipiuntur. Utut fingatur, eos in hoſtium poteſtate nunquam fuiſſe; fictio tamen non obſtat, quo minus ea in demonſtrando utamur. Quamvis enim lex *Cornelia* fingat, captos in bello nunquam captos fuiſſe, non tamen fictio Juri Romano debetur, ſed juri naturæ convenit (§. 895.), & ideo quoque in eo demonſtrando tanquam principium adhiberi poteſt. Qui in methodo demonſtrandi & arte inveniendi verſatus eſt, ei abunde conſtat, quantus ſit iſtiusmodi fictionum in demonſtrando & inveniendo uſus, quæ cum veritate conſentiunt.

§. 905.

An captivi jura ſua amittant & jura in eos extinguantur.

In bello capti jura ſua non amittunt, nec jura in ipſos extinguuntur: utraque ſaltem in ſuſpenſo ſunt. Quando enim in bello capti ad ſuos revertuntur, omnia jura, quæ habuerant, ipſis & jura quoque omnia in ipſos reſtituenda ſunt (§. 894.). Quoniam vero jura amiſſa & per conſequens aliorum facta ipſorum amplius non eſſent, adeoque iisdem reſtituere eadem non tenerentur poſſeſſores ceſſante reſtitutionis ratione (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*), nec jura extincta, quæ jam nulla forent, in ipſos reſtitui poſſent; in bello capti jura ſua non amittunt, nec jura in ipſos extinguuntur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum jura ipſis ſua, nec aliorum in ipſos jura reſtitui poſſint, niſi ubi ex captivitate fuerint reverſi,

nemo

nemo autem sibi arrogare ea possit, antequam spes redeundi defecerit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); tam jura captivorum, quam jura in ipsos in suspenso manent, donec vel revertantur, vel certum fuerit, eos nunquam reversuros. *Quod erat alterum.*

In captivitate nulla continetur ratio, cur captus jura sua amittere debeat, cum naturaliter absenti sit comparandus, qui redire prohibetur, & de quo certo constare nequit, utrum rediturus sit, nec ne. Neque ulla adest ratio, cur in eo a jure naturæ recedatur, ut jure gentium voluntario contrarium statuatur. Nil igitur superest, quam ut in suspenso maneant.

§. 906.

De testamento in captivitate condito.

Quoniam in bello capti jura sua non amittunt (§. 905.), cum libera de rebus suis disponendi potestas non sit ipsis ademta, etsi durante bello nihil rerum suarum ad ipsos committere liceat, dum ab hoste detinentur, *naturaliter valet testamentum in capivitate conditum* (§. 994. 999. *part. 7. Jur. nat.*).

Jura nimirum captivorum tantummodo suspenduntur quoad exercitium, non ex ratione morali, quippe quæ nulla est, sed ex impossibilitate physica, quæ cum non obstet testamenti factioni, nulla sane est ratio, cur testamentum in captivitate conditum valere non debeat. Naturaliter captivi non fiunt servi, etsi ob delictum in servitutem redigi possint (§. 814.), nec repugnat naturaliter, ut servi res proprias pleno jure habeant (§. 1108. *part. 7. Jur. nat.*), cumque naturaliter domino non competat jus nisi in operas a servo præstandas & in actiones ceteras, quatenus respectum quendam ad illas habent (§ 1096. *part. 7. Jur. nat.*), vi servitutis, in quam quis redigitur, dominus non acquirit omnia jura, quæ servi ante statum servilem erant, consequenter nec bona, si quæ habet, & dum in servitute est, domini non sunt, nisi quæ per operas ipsius ac-

quiruntur (§. 1107. *part. 7. Jur. nat.*). Quæ iis contraria sunt, ea moribus Gentium barbararum introducta ad moratiores postea venerunt, vel etiam ab his per ignorantiam Juris naturæ superaddita, aut immutata, cum dato uno errore sequantur plures.

§. 907.

De legibus civilibus & moribus ac pactis Gentium circa postliminium.

Quæ de postliminio lege civili definiuntur, ea non valent, nisi apud Gentem suam: quæ vero inter certas Gentes moribus introducta, vel pactionibus determinata sunt, ea inter illas Gentes pro jure consuetudinario, vel pactitio habenda. Leges enim civiles non obligant nisi membra ejus civitatis, a qua feruntur (§. 967. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo de postliminio leges quædam in civitate quadam conditæ fuerint; eædem non valent nisi apud Gentem suam. *Quod erat unum.*

Porro cum jus consuetudinarium sit, quod longo usu introductum & instar juris observatum (§. 24.), pactitium vero, quod oritur ex pactis inter Gentes diversas initum (§. 23.); quæ de postliminio inter certas Gentes moribus introducta, vel pactionibus determinata sunt, ea inter Gentes istas pro jure consuetudinario, vel pactitio habenda. *Quod erat alterum.*

Ex Jure igitur Romano de postliminio statui nequit, si vel maxime cum Jure naturæ consentiat. De hoc enim consensu constare nequit, antequam aliunde demonstratum fuerit, hoc esse juris naturæ, vel etiam Juris Gentium voluntarii, eo sensu accepti, quo nos idem accipimus, & quod Jure naturæ non repugnante in ejus locum succedit (§. 887). Ubi vero Jus Romanum cum Jure naturæ, aut Jure Gentium voluntario convenit; de postliminio non valet, quia Juris Romani est, sed quia Juris naturæ, vel Juris Gentium voluntarii, æque valiturum,

liturum, si vel in Jure Romano nihil de eo dictum fuisset, vel dictum esset contrarium. Idem valet in omni casu alio. Nec sufficit ut probetur Juris Romani cum Jure naturæ consensus, si omnia, quæ de postliminio in eodem traduntur, ex principio quodam generali deducere queas, nisi ante demonstratum fuerit, principium istud esse Juris naturæ, nec quæ præterea ad alia inde deducenda assumuntur, ejusdem juris esse. Et, si necessitati non invito Jure naturæ aliquid tribuendum, accurate dispiciendum, ne pro Jure naturæ habeatur, quod ad Jus Gentium voluntarium referendum (*not.* §. 887.). Quæ de postliminio in pace & in induciis tenenda sunt, ea suo loco demonstrabuntur.

§. 908.

Matrimonium in postliminio est. Quoniam enim in bello capti jura sua non amittunt (§. 905.); nec jus in conjugem amittunt, consequenter per captivitatem matrimonium non dissolvitur. Quamobrem cum redeunti postliminio restituantur omnia jura, quæ is ante captivitatem habuerat (§. 894.); redeunti quoque postliminio restituitur uxor. *De matrimonio.*

Atque hinc patet, quamdiu spes redeundi est, foeminam alii viro nubere non posse.

§. 909.

Subditus belligerantis sine mandato, aut concessione summæ potestatis vim bellicam hostibus, aut rebus hostilibus inferre non possunt. Etenim bellum geritur auctoribus iis, qui summum imperium habent (§. 607.), consequenter summis potestatibus autoribus (§. 368.), quibus jus belli competit (§. 613. 614.). Quoniam itaque summæ potestatis est statuere de actibus bellicis seu hostilitatibus, quibus vis infertur hostibus (§. 785.); nemo quoque subditorum sibi jus arrogare pot- *De jure privatorum in bello.*

est

eſt ad hoſtilitates, ac per conſequens ſine mandato, aut conceſſione ſummæ poteſtatis vim bellicam hoſtibus, aut rebus hoſtilibus inferre poteſt.

Jus belli eſſe partem potentialem imperii civilis nemo eſt, qui dubitat. Quemadmodum itaque ſubdito nullum competit jus ad actum quendam, qui ad exercitium imperii civilis ſpectat, niſi voluntate ſummæ poteſtatis; ita quoque ſubdito nullum per ſe jus in bello competere poteſt, ſed ſi hoſtilitates inferre licitum eſſe debeat privato, jus aliunde habere nequit niſi a poteſtate ſumma. Fallitur itaque *Grotius*, qui hoſtilitates omnes jure naturæ privatis licitas eſſe contendit, & jus naturæ in eo ſaltem jure Gentium voluntario immutatum eſſe exiſtimat, cum jus Gentium voluntarium ultra eos limites, intra quos admittendum, extendat, propterea quod ex factis Gentium, quorum memoriam conſervarunt annales veterum, idem deducere voluit, lubrico ſane fundamento.

§. 910.

De navibus in hoſtem armandis.

Quoniam ſubditus belligerantis ſine mandato, aut conceſſione ſummæ poteſtatis vim bellicam hoſtibus, aut rebus hoſtilibus inferre non poteſt (§. 909.); *nec privata autoritate naves in hoſtes armare licet.*

Naves iſtiusmodi armatas qui exercent, eos quamvis vocabulo origine minime Germanico Capers appellare ſolemus. Qui itaque privato auſu iis ſe aſſociant, piratis æquiparantur, quia nullo jure agunt ac ratio civilis obſtat, quo minus promiſcue uni cuivis naves armare concedatur, propter abuſum facile metuendum, cum cupidine lucri ducti non minus in amicos, vel eos, qui hoſtes non ſunt, quam in hoſtes graſſari poſſint, & ſemper periculoſum ſit, auſpiciis privatis aliquid in bello geri.

§. 911.

§. 911.

De iis, quæ tacite conceduntur.

Quia privato concessione summæ potestatis vim hostibus, aut rebus hostilibus inferre licet (§. 909.), consensus vero tacitus verus consensus est (§. 662. *part. 1. Phil. pract. univ.*), haud difficulter autem prævidetur, *si quid privato ausu fiat, quod in bello magnum præsertim momentum habet*, quia scilicet hosti valde nocet, nobis vero plurimum prodest, summæ potestatis judicio occasionem oblatam captandam esse; in tali casu ratihabitio summæ potestatis recte præsumitur, consequenter *jus ad tale factum potestas summa tacite concedere intelligitur.* Et ex eadem ratione *licitum est privato factum, quod jus defensionis*, homini cuilibet natura competens (§. 973. *part. 1. Jur. nat.*), quod auferri ipsi non potest (§. 64. *part. 1. Jur. nat.*), *tuetur.*

Exempli loco est, si res, quæ in bello usum habent & hosti advehuntur, aut dux quidam summus capiatur, & in casu posteriori, si deprædationi resistatur.

§. 912.

De privatis hostilitatibus militum.

Milites hostilitates committere nequeunt sine jussu aut concessione expressa, vel tacita præfectorum, quas intra limites functionis suæ imperare possunt. Etenim eorum, qui militibus præficiuntur, est judicare de hostilitatibus necessariis easque imperare, quippe qui intra limites functionis suæ jure summæ potestatis agunt, ut perinde sit ac si ipsa easdem imperasset (§. 771.). Quamobrem patet ut ante (§. 900.), milites hostilitates committere non posse sine jussu, aut concessione expressa præfectorum, vel etiam concessione eorundem tacita, aut defensionis causa, prouti idem de privatis aliis ostendimus (§. 911.).

Exempla, quæ ante dedimus de concessione tacita (*not.* §. 911.), etiam hic locum habent. Nimirum quamvis milites hostilitatum causa fuerint conscripti, vel conducti, in ministerio tamen non dependent a seipso, sed a voluntate eorum, qui ipsis præfecti sunt: si quid extra ministerium faciunt, id non qua milites faciunt, ac ideo subditis privatis æquiparantur. Haud difficulter itaque de ipsis intelliguntur, quæ de his demonstrata sunt. Et eodem modo idem intelligitur de præfectis, qui aliis subsunt. Eventus omnes in bello admodum dubii sunt & alios non prævisos post se trahunt, ut ideo consensum ejus, qui requiritur, non facile præsumere liceat. Manifesta adesse debet utilitas & damnum hostis manifestum, ut præsumtio tueatur factum privatum. Per se autem patet, si in Jure militari prohibitum sit, ne miles pugnet sine mandato, præsumtioni nunquam esse locum, & sine mandato pugnantem quocunque eventu tanquam transgressorem legis teneri ad poenam. Etsi enim juris naturæ sit, ne sine mandato pugnet miles; cum tamen lex qua positiva etiam habere debeat aliquem effectum, si etiam simpliciter vel addita comminatione dictum sit, ne militet sine mandato, aut prohibitio in castra proficiscentibus facta, ideo necesse est, ut libertas sine mandato pugnandi arctioribus limitibus coërceatur.

§. 913.

Induciæ quid sint.

Induciæ dicuntur suspensio actuum bellicorum ab utraque parte belligerantium intra tempus conventum, consequenter *induciæ fiunt pactione* (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*).

Ita induciæ panguntur mortuorum sepeliendorum, item colloquii causa, ut de conditionibus pacis tractetur.

§. 914.

An per inducias bellum finiatur.

Quoniam tempore induciarum actus bellici tantummodo suspenduntur (§. 913.); *per inducias bellum non finitur, sed manet, etiamsi ad longius tempus fuerint contractæ.*

Induciæ

Induciæ plerumque ad breve tempus panguntur, pro diversitate negotii, cujus causa contrahuntur. Quodsi vero in plures annos contrahantur, quælibet belligerantium pars jus, quod habere prætendit, sibi reservat, nec propterea bellum finitum est. Aliud nimirum in negotiis moralibus est jus, aliud exercitium juris. Hoc illo salvo suspendi potest. Apud *Livium* lib. 1. c. 15. & lib. 7. c. 20. habemus exempla induciarum centum annorum, apud *Justinum* l. 3. annorum quinquaginta. Ita quoque Reges inducias pangere possunt ad dies vitæ, successoribus reservato jure controverso.

§. 915.

Quid non liceat tempore induciarum.

Similiter quia induciæ pactione fiunt & in iis ab utraque parte suspensio actuum bellicorum promittitur (§. 913.), pacta vero etiam inter hostes servanda sunt (§. 799.); *induciarum tempore nihil hostile committendum*, consequenter *si quid tale ab alterutra parte committatur, parti alteri ad actus bellicos repetendos sine mora statim jus est* (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*), *nisi aliter fuerit conventum* (§. 799.).

§. 916.

An induciis finitis bellum de novo indicendum.

Quoniam per inducias bellum non finitur (§. 914.); *induciis finitis nova indictione non est opus.*

Vi pactionis actus bellici non suspenduntur ultra tempus conventum, cum nemo plus juris acquirere possit ab altero, quam is in eum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Finito igitur induciarum tempore utraque pars jam per se novit, actus bellicos non amplius suspendi, sed sibi licitos esse: utraque etiam novit, partem alteram ad eos procedere velle. Nova igitur denunciatio absque ulla ratione fieret.

§. 917.

De publicatione induciarum. Quoniam tempore induciarum actus bellici suspendi debent (§. 913.); *quamprimum de iis conventum, ab utraque belligerantium parte publicandæ sunt.*

Ac ideo subinde adjici solet dies, a quo induciæ incipere debent.

§. 918.

Effectus induciarum. Quia tempore induciarum bellum non finitur (§. 914.), sed actus bellici saltem suspenduntur (§. 913.); *omnia manere debent in eo statu, in quo sunt, nec in iis quicquam immutandum, quæ hostem respiciunt.*

Induciæ neutri parti debent esse damnosæ. Quæ igitur ea intentione fiunt, ut hosti noceatur; ab iis abstinendum.

§. 919.

Quando induciæ obligare incipiant. *Induciarum contractu perfecto contrahentes statim obligantur; subditi utrinque a momento publicationis.* Obligatio enim contrahentium oritur ex pacto (§. 789. *part. 3. Jur. nat.* & §. 799. *h.*). Contractu igitur perfecto contrahentes statim obligantur. *Quod erat unum.*

Cum potestas summa pactionibus suis obliget subditos, quibus imperantibus obedire iidem tenentur (§. 1043. *part. 3. Jur. nat.*), potestates autem minores inferiores obligent intra eos actus, quos imperare solent (§. 775.), nemo autem obligari possit ad id, quod ignorat, quod per se patet; ideo subditi contrahentium obligari nequeunt, nisi postquam induciæ ipsis fuerint publicatæ. Quamobrem cum a publicatione dependeat ipsorum obligatio (§. 851. *Ontol.*), a momento publicationis statim obligantur.

Obligatio

Obligatio contrahentium venit a voluntate propria; subditorum autem a voluntate superiorum, quorum juri subjecti sunt. Hinc induciæ publicatæ respectu subditorum accipere dicuntur formam legis & subditi obligati tanquam ex lege. Facile autem patet, contrahentes sine mora inducias publicare debere, ut obligationi suæ satisfaciant.

§. 920.

Si pactæ sint induciæ in certum tempus, veluti in centum dies aut in tres annos; a momento contractus perfecti computandis sunt dies aut anni: si pactæ usque ad certum diem, veluti ad calendas Martii; die illucescente, induciæ finitæ: si dictum fuerit, eas incipere debere a certo die, eodem illucescente statim incipiunt induciæ. Induciæ enim valent intra tempus conventum (§. 913.) & contractu perfecto statim obligant (§. 919.), nisi expresse aliter fuerit conventum, cum tum standum sit pacto (§. 789. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si pactæ fuerint v. gr. in centum dies, cum tunc conventum fuerit, ut per centum dies durare debeant; a momento contractus perfecti computandi sunt centum dies, quorum scilicet quilibet constat ex viginti quatuor horis, hora ex 60. minutis. *Quod erat primum.*

De computando tempore induciarum.

Quodsi dictum fuerit, inducias durare debere usque ad calendas Martii; facile patet, mentem paciscentium eam fuisse, ut calendis Martiis illucescentibus non diutius durare debeant: si enim illo die adhuc valere debuissent, dicendum fuerat, eas non ultra calendas Martii durare debere. Posterior locutio cum manifesto calendas Martii includat, prior utique eas excludit. Die igitur illucescente, ad quem induciæ pactæ sunt, eædem finiuntur. *Quod erat secundum.*

Denique si dictum fuerit, eas incipere debere a certo die, veluti a calendis Martii; verba contrahentium sufficienter indicant, eam ipsis fuisse mentem, ut calendis Martii illucescentibus incipiant induciæ. *Quod erat tertium.*

Ubi verba paciscentium satis indicant, quænam mens eorundem fuerit, nulla prorsus ratio est, ut aliunde definiatur, utrum dies tanquam terminus ad quem adjectus exclusus, an comprehensus esse debeat. Disputationem igitur istam tanquam supervacaneam prætermittimus. Computatio tamen temporis induciarum pro supervacanea haberi nequit. Ponamus enim inducias fuisse pactas, dum urbs obsidetur, usque ad calendas Augusti, & obsessionem suspensam propter illas calendis Augusti fuisse reassumtam urbemque captam: quæritur an urbs jure, an injuria capta fuerit, secunda Augusti mane adventante exercitu, qui sufficiebat cogendo hosti, ut ab obsidione desisteret?

§. 921.

An induciarum tempore res & personæ hostium capi possint.

Res aut personæ hostium induciarum tempore capi nequeunt. Etenim induciarum tempore cessare debent omnes actus bellici, qualescunque tandem fuerint (§. 913.). Quamobrem cum res aut personas hostium capere utique sit actus bellicus (§. 785.), tam illas, quam has tempore induciarum capere non licet.

Induciarum tempore hostis pro hoste non habendus, nec res ejus habendæ pro rebus hostilibus, cum exercitium omnis juris belli jam sit suspensum & vi pactionis illicitum, quod in bello alias erat licitum.

§. 922.

An in induciis sit postliminium.

Induciarum tempore nullum est postliminium. Quamdiu enim durant induciæ, omnia manere debent in eo statu, in quo

quo sunt, nec quicquam in iis immutandum (§. 918.). Quamobrem quæ ante inducias ab hoste capta sunt, in ejus potestate manere debent, consequenter in statum pristinum in induciis restitui nequeunt. Quoniam itaque res & personæ postliminio restituuntur in statum pristinum (§. 894. 896.); induciarum tempore postliminium esse nequit.

Atque hinc patet, si vel maxime casu res aut personæ captæ in induciis ad nos revertantur, eas hosti esse restituendas.

§. 923.

De subditis deficere volentibus & de locis non custoditis.

Induciarum tempore subditos deficere ad hostem volentes recipere non licet, multo minus corruptis hostium præsidiis loca invadere, quæ ipsi tenebant. Durantibus enim induciis nihil in iis immutandum, quæ hostem respiciunt (§. 918.), consequenter qui ante eas erant subditi hostis, durantibus iis manere debent. Quodsi ergo deficere velint, recipiendi non sunt. *Quod erat unum.*

Eodem modo patet, per inducias licitum non esse, ut pecunia vel promissis ad defectionem sollicitentur præsidia, consequenter iis corruptis invadere loca hostium, quæ ipsi tenebant, *Quod erat alterum.*

Quando subditi hostis deficere volentes recipiuntur, hosti omnino adimitur imperium, quod in ipsos habet. Receptio igitur ista æquipollet occupationi rei incorporalis hostilis (§. 862.), ac respectu ejus, cujus est, quasi vi facta intelligitur, quatenus si ea de re constitisset, restiturus erat, ut sine vi armorum occupari non potuisset. Ista igitur receptio pro actu bellico, qui per inducias suspenditur (§. 913.), utique habendus. In bello hostilitatibus accensentur actus omnes, quibus idem consequimur, quod ordinarie non nisi vi armorum consequi dabatur, propterea quod circumstantiæ particulares actum

actum vi subducunt. Hostis, quicquid in personas vel res hostium molitur, vim inferre semper intendit: ubi vero eidem sese nemo opponit, ea cessat quoad actum. Sed in præsenti causa non opus est hisce scrupulositatibus, cum ex fine induciarum, quem intendunt atque intendere debent paciscentes, satis pateat, quænam fuerit mens eorum, ac inde definiri possit, quid sit licitum, quid illicitum.

§. 924.

De locis ab hoste derelictis & in custoditis.

Loca derelicta ab hoste per inducias occupare licet; non incustodita. Quæ enim hostis dereliquit, ea esse sua amplius noluit (§. 249. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam igitur loca ab ipso derelicta nullum respectum ad ipsum habent, si ea occupantur, nihil in iis mutatur, quæ respectum ad ipsum habent, consequenter nec fit, quod contra inducias est (§. 918.). Quamobrem per inducias occupare licet loca ab hoste derelicta. *Quod erat unum.*

Enimvero etsi loca sint incustodita, sunt tamen adhuc res hostis. Quamobrem cum res hostis per inducias capi nequeant (§. 921.); nec loca hostium incustodita occupare licet. *Quod erat alterum.*

Non attendenda est differentia, utrum custodia ante inducias, an iis factis fuerit omissa: neque enim custodia omissa indicium sufficiens derelictionis est, & multo minus male cucustodita pro derelictis habenda, si aliunde apparet, quod hostis ea esse sua velit.

§. 925.

De tuto itu & reditu.

Per inducias ire & redire ultro citroque licet. Etenim durantibus induciis res aut personæ hostiles capi nequeunt (§. 921.), ac omnes hostilitates, quæ quomodocunque committi

committi possunt, cessant (§. 913.). Quoniam itaque induciæ securitatem & rebus, & personis præstant; per inducias ire & redire ultro citroque licet.

Euntis tamen ac redeuntis animus liber esse debet ab omni proposito nocendi hosti. Quamobrem si hostis sibi metuit, ne itus ac reditus sibi sit damnosus; in pactione induciarum convenitur, ne sit permissus.

§. 926.

Quæ intra fines suos, quæ extra eosdem durantibus induciis licita sint.

Durantibus induciis intra fines suos non controversos quilibet facere potest, quicquid lubet; intra controversos vero nihil, quod in præjudicium hostis fit. Etenim cum per inducias omnia manere debeant in eo statu, in quo sunt, nec quicquam in iis immutandum, quod hostem respicit (§. 918.); nemo non videt, intra fines controversos induciis durantibus nil quicquam fieri posse, quod in hostis præjudicium fit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum contra promissorem pro vero haberi nequeat, quod non sufficienter indicavit (§. 428. 382. *part. 3. Jur. nat.*); mens paciscentium non eo extendenda, ne quis intra fines suos minime controversos faciat quicquam, quo securitati suæ prospicere possit, cum nec continuato bello id prohibere potuisset hostis. Quamobrem nisi de hisce specialiter quid fuerit conventum, per inducias intra fines suos minime controversos quilibet facere potest, quicquid lubet. *Quod erat alterum.*

Induciæ non contrahuntur eo fine, ut hosti prosint, nobis noceant. Ubi vero nostræ securitati prospicere non possumus, nisi id fiat in præjudicium hostis, ut durior fiat ejus conditio, bello continuato; id saltem omittendum est in locis controversis. Quando enim status in induciis idem manere debet, qualis ante eundem erat; neutrius conditio durior evadere

dere debet, quam ante erat, ut iisdem finitis perinde sit ac si induciæ nullæ fuissent, nec bellum per eas interruptum fuisset, sed continuum mansisset. Quæ igitur securitatis suæ causa intra fines suos minime controversos fieri possunt, quando bellum non est, ea etiam fieri possunt, quando bellum suspenditur, consequenter in induciis (§. 913.).

§. 927.

Casus particulares. Quoniam *durantibus induciis* intra fines suos non controversos facere quilibet potest, quicquid lubet (§. 926.); *intra fines suos cum exercitu interius recedere, moenia reficere & militem conscribere licet:* ast cum extra eosdem nil facere liceat, quo hostis conditio deterior redditur (§. *cit.*), *ab omni actu abstinendum, qui ad urbem obsessam occupandam, vel ex parte altera ad eandem defendendam facit.*

Patet posterius ex actibus bellicis per inducias suspensis (§. 913.); hi enim si continuantur, bellum actu continuatur, id quod pactioni induciarum maxime adversatur.

§. 928.

Casus alii. Quoniam *durantibus induciis* nil facere licet, quod ad urbem ante inducias obsessam defendendam facit (§. 427.); *nec vallum tormentis hostis labefactatum reficere, nec auxilia aliaque necessaria urbi laboranti mittere licet.*

Obsidio non tollitur per inducias, sed saltem non continuatur, & omnia ex utraque parte manere debent in eodem statu, in quo sunt eo ipso momento, quo induciæ incipiunt.

§. 929.

De iis, qui fato suo finitis induciis *Qui vi majore, veluti morbo, impeditus, quo minus recederet extra fines hostiles & quicumque alius intra eos deprehensus; finitis*

tis induciis jus redeundi non habet. Etenim induciis finitis statim actibus bellicis locus est (§. 916.). Quamobrem cum in bello hostem capere liceat (§. 811. 889.); quamprimum induciæ finitæ, jus quoque suum exercere potest hostis, ac ideo quascunque personas hostiles intra terras suas deprehensas captivas detinere, consequenter eædem jus redeundi non habent. *intra fines hostis deprehenduntur.*

Non obstat, quod, quando bellum publicatur, concedendus sit peregrinis, qui cives hostis sunt, intra certum tempus abitus tutus (§. 835.) & quod vi majore impeditis indulgenda sit mora (§. 838). Alia enim longo ratio est, si bellum exoritur, alia si finitis induciis continuatur. De illius ortu certo constare non poterat, cum quis in territorium ejus ingrederetur, cum quo postea bellum exortum est cum Gente sua, & abitus tutus saltem tacite promissus, cum ingrederetur, sine ulla restrictione (§. 836.). Ast tempore induciarum in territorium hostis, vel loca hostilia ingrediens, non ignorat, finitis induciis bellum statim continuari, ut indictione nova non sit opus (§. 916.), consequenter non ignorat, se in terris hostilibus ab hoste deprehensum capi posse, nec impossibile esse, ut vi majore impeditus redire tempestive nequeat. Suo periculo induciarum tempore in loca hostilia it: id quod de eo dici nequit, qui ante bellum in terras hostiles venit. Accedit, quod etiam norit, per inducias tutum reditum non esse tacite promissum, nisi quamdiu eædem durant,

§. 930.

Induciæ universales sunt, quibus omnes actus bellici suspenduntur; *particulares* autem, quibus saltem suspenduntur certæ, de quibus conventum. Quoniam induciæ fiunt pactione (§. 913.), quæ servanda (§. 799.), plus autem juris acquirere ex pactione ista neutra pars potuit, quam vel *Divisio induciarum.*

expresse dictum, vel ex iis necessario fluit (§. 382. 427. *part. 3. Jur. nat.*); *induciæ particulares non extendendæ sunt ultra hostilitates, de quibus expresse conventum fuit, & actus bellicos cum iis necessario connexos.*

Ita si sepeliendorum mortuorum causa induciæ in obsidione urbis conceduntur, cessare tantummodo debent actus ad obsidionem continuandam ex una parte, & ad defendendam urbem ex parte altera facientes, non vero id extendendum est ad actus alios, quibus continuatio obsidionis & defensio urbis contra eandem non obstitisset. Neque durantibus induciis in castra & urbem ire & redire utrinque licet, cum itus & reditus durante obsidione, quæ per inducias non finitur, non sit innocuus.

§. 931.

De jure pactitio induciarum.

Si in pactione induciarum expresse fuerit conventum, ut quædam fieri possint, quæ alias non licent, aut ut quædam fieri nequeant, quæ alias licent; erunt illa intra tempus induciarum licita, hæc illicita. Nemo enim plus juris ab altero acquirere potest, quam transferens in eum transferre voluit, nec ultra voluntatem suam alteri obligari (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem si expresse fuerit conventum, ut quædam fieri possint, quæ alias non licent, erunt ea licita, & ex adverso si conventum fuerit, ut quædam fieri nequeant, quæ alias licent, ea illicita erunt.

Quemadmodum de jure induciarum disponunt paciscentes, id inter ipsos jus erit. Tum enim quid liceat, quid non liceat, ex pacto definiendum, non ex natura induciarum, unde deducuntur, quæ jure naturæ per inducias licita, vel illicita, quatenus id inducias regit, quemadmodum ceteros quoscunque actus humanos. E. gr. per inducias ire & redire ultro citroque

que licet (§. 925.): aſt non licebit, ſi expreſſe fuerit conventum, ne liceat, ac per conſequens, ſi quis contra facit, tanquam captivus detineri poteſt.

§. 932.

Quinam inducias facere poſſint. *Induciæ univerſales pangi nequeunt niſi a ſummis poteſtatibus; particulares intra limites functionis a ſummis ducibus poſſunt, ubi eas neceſſarias faciunt circumſtantiæ præſentes.* Etenim in induciis univerſalibus omnes actus bellici ad certum tempus, de quo conventum, ſuſpenduntur (§. 913. 930.). Quamobrem cum bellum geratur auctoribus iis, qui ſummum imperium habent (§. 607.), conſequenter auctoribus ſummis poteſtatibus (§. 368., earumque ſit omne jus in bello (§. 613. 614.); ab ipſorum quoque voluntate unice dependet, utrum bellum continuari, an actus bellici per aliquod tempus ſuſpendi debeant. Inducias igitur univerſales pangi nequeunt niſi a ſummis poteſtatibus. *Quod erat unum.*

Enimvero ducibus ſummis certæ in bello partes demandatæ ſunt, & ipſis competit jus, quod ex natura functionis demandatæ fluit, ſeu ad eam rite obeundam requiritur (§. 771.). Quamobrem cum in induciis particularibus certi ſaltem actus bellici ſuſpendantur (§. 930.); ubi circumſtantiæ præſentes eas neceſſarias faciunt, duces quoque ſummi inducias pangere poſſunt. *Quod erat alterum.*

Ita in obſidione urbis duces, qui actus bellicos utrinque dirigunt, ſepeliendorum mortuorum cauſa de induciis convenire poſſunt, vel ut conſenſus ſummæ poteſtatis in deditionem urbis ſub duris conditionibus haberi poſſit. Prior caſus etiam exiſtit poſt aciem. Major autem circumſpectio eſt dantis, quam petentis: hunc enim tuetur neceſſitas, & penes eum eſt commodum, ut in exemplis, quæ modo dedimus. Poteſt

est tamen ex utraque parte eadem esse necessitas & idem commodum penes utramque, veluti si post aciem pars utraque mortuos suos sepelire debet. Quæ dux etiam summus intra fines functionis suæ facit, si magnum in bello momentum habeant, id facere non debet nisi in consilium adhibitis potestatibus minoribus, ne qua culpa ipsi imputari possit, cum absentes ex eventu de iis, quæ in bello facta sunt, judicare soleant. Ast hæc prudentiæ sunt, cum jure non confundenda.

§. 933.

Qua fide induciæ nitantur. Quoniam induciæ universales pangi nequeunt nisi a summis potestatibus, particulares vero subinde etiam a ducibus summis (§. 932.), qui jure summæ potestatis faciunt, quicquid intra limites functionis suæ faciunt (§ 368.), ac ideo pactione sua summam potestatem obligant (§. 772.); *induciæ nituntur fide summarum potestatum* (§. 758. *part. 3. Jur. nat.* & §. 915.).

Sancta est fides summarum potestatum (§. 550. 369.). Eadem igitur sanctitas tenet etiam fidem in induciis. Ac ideo haud levem poenam meretur privatus, qui contra inducias quid facere audet.

§. 934.

De factis privatis, quæ sunt contra inducias. *Si privatus faciat, quod est contra inducias; fides induciarum non violatur, nisi id factum fuerit jussu summæ potestatis, aut ab ea ratihabeatur: privatus vero puniendus & res ab eodem raptæ restituendæ.* Etenim si privatus faciat, quod est contra inducias, sine consensu summæ potestatis, consequenter si nec ante accesserit jussus, nec secuta fuerit, ratihabitio, factum privati, quod nullo modo dependet a voluntate summæ potestatis, eidem imputari nequit (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

univ.). Quamobrem cum induciæ nitantur fide summarum potestatum (§. 933.); si privatus facit, quod est contra inducias, nec potestas summa jusserit, aut ratihabuerit, fides induciarum violata non est. *Quod erat primum.*

Enimvero si potestas summa jusserit, factum privati eidem imputandum (§. 654. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque perinde sit, sive jusserit, sive ratihabuerit, idem eidem quoque imputandum, ubi ratihabuerit. Quoniam itaque fide summarum potestatum nituntur induciæ (§. 933.); ea utique violatur, si privatus quid faciat jussu summæ potestatis, aut postquam fecit, id ipsa ratihabuerit. *Quod erat secundum.*

Denique si privatus, qui contra inducias quid fecit, a summa potestate non puniretur, nec res raptæ per injuriam (§. 921. *h.* & §. 859. *part. 1. Jur. nat.*), restituerentur, summa potestas ratihaberet, consequenter fidem, qua nituntur induciæ, ipsamet violaret, *per demonstrata n. 2.* privatus, qui contra inducias quid fecit, puniendus & res raptæ restituendæ sunt. *Quod erat tertium.*

Factum privatum ideo non dat jus parti alteri ad actus bellicos insuper habitis induciis statim continuandos, nisi de consensu summæ potestatis constiterit, qui inde quoque apparet, si delinquentem punire nolit, nec res raptas restituere velit. Quamdiu nimirum de consensu ejus certo non constat, præsumtio pro ea militat. Injuriam itaque committit pars læsa, si ob factum privatum a pactione induciarum statim recedit, antequam jus ipsi denegatur (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Haud levem poenam meretur, qui contra inducias quid facere audet (*not.* §. 933.). Quamobrem jure eum punit summa potestas tanquam criminis reum (§. 581. 626. *part. 8. Jur. nat.*), nec minus

minus jure poenam deposcit pars læsa ob injuriam sibi factam (§. 549. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 935.

De poena pactioni induciarum adjecta.

Si pactioni induciarum adjecta fuerit poena; poena soluta induciæ subsistunt. Etenim si poena fuerit pactioni induciarum adjecta; convenisse omnino intelliguntur paciscentes, ut poena soluta induciæ subsistant, cum alias adjectione poenæ non fuisset opus (§. 915.). Quamobrem cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); si is, qui contra inducias quid fecit, poenam solvit, induciæ subsistere debent.

Quodsi ergo induciis violatis pars læsa vim infert, injuria agit, cum ex pacto nonnisi poenam stipulatam a lædente poscere debeat (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Ast ubi poenam solvere nolit, cum tunc a pacto recedat lædens, nec eodem amplius tenetur læsus, atque sic eidem jus est ad actus bellicos repetendos (§. 915.).

§. 936.

Si alternative conveniatur, ut vel poena solvatur, vel ad arma veniatur.

Si alternative conventum, ut vel poena solvatur, vel ad arma veniatur; optio est læsi. Etenim si alternative convenitur, ut vel poena solvatur, vel ad arma veniatur, violatis scilicet a parte altera induciis; non in arbitrio lædentis posita intelligi potest electio, cum poenam solvere detrectans a pacto recedat, consequenter ad actus bellicos repetendos læso jus sit (§. 915.). nec ideo opus sit, ut alternative contrahatur. Quamobrem necesse est, ut optio sit læsi.

In læsi igitur arbitrio est, an velit salvis induciis deposcere poenam, aut a lædente oblatam accipere, an vero ipse quoque a pactione recedere.

§. 937.

§. 937.

Commeatus dicitur jus ſecure hinc inde eundi, conceſſum vel perſonis, vel rebus. Quoniam hoc jus non promiſcue unicuique competit, ſed ſaltem certæ perſonæ, aut certis quibusdam perſonis, ſive reſpectu ipſarummet, ſive reſpectu rerum transportandarum conceditur, iſtiusmodi autem conceſſio privilegium eſt (§. 853. *part. 8. Jur. nat.*); *conceſſio commeatus privilegium eſt.* *Commeatus quid ſit.*

Cum in bello & perſonas, & res hoſtium capere liceat (§. 811. 889.), & judicium de iis, quæ in bello fiunt, relinquendum ſit bellum gerentibus (§. 783.); ſecuritas eundi in bello nemini competere poteſt niſi ex ſingulari conceſſione. Ac ideo privilegium quoddam eſt (§. 853. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 938.

Quoniam conceſſio commeatus privilegium eſt (§. 937.), privilegium vero perſonæ datum ita ad eandem reſtringitur, ut ab ea in aliam transire nequeat (§. 864. *part. 8. Jur. nat.*); *ſi commeatus perſonæ qua perſonæ datus, non poteſt alia perſona eodem commeatu uti.* Cum vero perinde ſit, ſive per hunc, ſive per alium res deferantur, *ſi commeatus rebus datus, eædem per alium, cujus merces non ſunt, transferri in locum poſſunt, in quem deferendæ.* *An is, cui commeatus conceſſus, alium ſibi ſubſtituere poſſit.*

Nimirum videndum eſt, quid actum fuerit: id quod inde manifeſtum eſt, cur ſecuritas fuerit petita & conceſſa. Ita ſi ſecuritas promiſſa mercibus, ea etiam promiſſa perſonis, per quas deferendæ, cumque de iis, per quas deferendæ, nihil expreſſe dictum, liberum fuit relictum ei, cujus merces ſunt, ut in iis transferendis utatur eorum opera, quos voluerit.

§. 939.

An is, cui venire concessum, mittere possit, & contra.

Quoniam si commeatus personæ qua personæ datus, persona alia eodem uti nequit (§. 938.); *si cui venire concessum, is mittere alium non poterit, nec contra.*

Nemo scilicet plus juris sibi arrogare potest, quam ipsi concessum fuit. Plus autem concessum non est, quam quod expresse dictum (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 940.

Quomodo præstanda securitas.

Quoniam securitatis causa datur commeatus (§ 937.); *securitas præstanda est etiam extra territorium concedentis, & tam personis, quam rebus, quibus is datus, donec eo pervenerint, ubi in tuto sunt.*

Eo nimirum fine conceditur commeatus, ut a vi hostili nihil sit metuendum, donec pervenerint sive personæ, sive res eo, ubi in tuto sunt.

§. 941.

Unde æstimandum jus commeantis.

Similiter quia commeatus totus pendet a voluntate concedentis (§. 937.); *jus ejus, cui commeatus datus, metiendum est ex voluntate concedentis, & hæc intelligitur ex fine, cujus causa datus*, consequenter *cui abire, vel transire datum, non & redire, & cui negotii cujusdam causa concessa securitas, ea concessa intelligitur, donec negotium fuerit finitum.*

Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 939.).

§. 942.

An itinere concesso concessus sit reditus.

Si itineris causa conceditur commeatus, in ea etiam comprehenditur reditus. Etenim cum iter non ante finiatur, quam ubi redux factus fueris; ad iter quoque pertinet reditus. Quodsi

Quodsi ergo itineris causa concedatur commeatus; reditus quoque concessus intelligitur (§. 941.).

Quamvis satis pateat, quid actum sit, dum petenti commeatus concessus; consultius tamen est, ut reditus expressa mentio fiat, ne in controversiam trahatur, quantum juris fuerit concessum.

§. 943.

An sub commeatu comprehendantur res & famuli.

Si commeatus itineris causa personæ datus, sub eo etiam comprehenduntur res, quæ solitæ sunt ad iter assumi, & famulus unus atque alter, sine quo ire indecorum foret. Per se patet, iter facientem carere non posse rebus, quibus is in itinere indiget, scilicet vel in via, vel in loco, ad quem tendit, neque etiam iter facere sine famulis eum, cujus dignitati convenit, ut sine famulis non eat, & qui famulorum opera opus habet. Quamobrem si itineris causa conceditur commeatus, sub eo etiam comprehenduntur res, quibus iter faciens in itinere indiget, consequenter quæ solitæ sunt ad iter assumi, & famulus unus atque alter pro conditione personæ, sine quo ire indecorum foret.

Consultius tamen est, ut ante (*not.* §. 942.), ut rerum expressa fiat mentio, & numerus atque nomen personarum designetur.

§. 944.

An patri datus commeatus filium & uxorem comprehendat.

Patri datus commeatus non filium & uxorem comprehendit. Etenim per se patet, filium & uxorem non sequi solere patrem in itinere, quasi is sine iis iter facere non possit. Quamobrem si pater solus pro se commeatum petiit, concedens de filio & uxore non cogitare potuit. Quoniam itaque ex volun-

voluntate concedentis metiendum jus patris (§. 941.); commeatus ad filium & uxorem extendi nequit, consequenter patri datus filium & uxorem non comprehendit.

Privilegium est commeatus concessio (§. 937.), quod ultra personam, cui concessum est, extendi nequit. Alia est ratio in famulis, prouti ex propositionis præcedentis demonstratione liquet, quippe qui privilegio comprehensi intelliguntur.

§. 945.

De commeatu ad certum tempus dato.

Commeatus ad certum tempus datus expirat, tempore elapso: si dictum fuerit, donec voluero, tamdiu valet, donec noluntatem declaraverit concedens, ejus tamen morte extinguitur. Etenim cum jus ejus, cui commeatus datus, metiendum sit ex voluntate concedentis (§. 941.); si ad certum tempus datum, evidens est, concedentem noluisse ut ultra istud tempus valeat. Tempore igitur, ad quod concessus, elapso, extinguitur. *Quod erat primum.*

Enimvero si dictum est, quamdiu voluero; non minus patet, commeatum tamdiu valere debere, donec voluntatem contrariam declaraverit concedens. Quodsi ergo noluntatem suam is declaret, commeatus diutius non valet. *Quod erat secundum.*

Denique cum mortuus velle desinat, voluntas ejus non amplius durat, consequenter perinde est, ac si noluntatem declarasset concedens, consequenter ejus morte commeatus extinguitur. *Quod erat tertium.*

Si dictum fuerit, quamdiu voluero, privilegium precarium est (§. 1124. *part. 5. Jur. nat.*), pro lubitu quovis tempore revocabile (§. 1125. *part. 5. Jur. nat.*). Cum tamen commeatus detur securitatis causa (§. 937.); revocatione ea tolli nequit,

nequit, antequam in loco tuto fuerit is, cui concessus, consequenter injustum est, si revocetur, ut capiatur, vel res ejus intercipiantur. Ceterum si commeatus ad certum tempus datus, ex eo solo colligi nequit, ut durante termino iterato venire liceat, cum etiam eo fine adjici possit tempus, ne in infinitum differatur adventus, vel reditus. Aliunde igitur de fine desumendum est judicium, ut de mente concedentis constet (§. 941.).

§. 946.

An commeatus morte concedentis extinguatur.

Commeatus non extinguitur morte concedentis. Commeatus enim concessus est jure concedentis, quod nemo in dubium vocat. Ex hac igitur concessione verum jus acquisivit is, cui commeatus datus (§. 937.), quod ipsi auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque id non amplius pendet a voluntate concedentis, quemadmodum si dictum fuerat, quamdiu voluero (§. 945.); nec morte concedentis extingui potest.

Quæ jure facta sunt a vivente, ea non fiunt nulla morte ejusdem, sed tanquam jure facta subsistunt. Solet autem commeatus in literis concedi, ut probari possit, quod sit datus, & quomodo sit datus.

§. 947.

An commeatus contineat morandi securitatem in loco quodam.

Commeatus non comprehendit securitatem morandi in aliquo loco. Commeatus enim est jus eundi secure ultro citroque (§. 937.). Quoniam itaque aliud est jus eundi, aliud jus commorandi; cui illud datum est, eidem simul hoc datum non intelligitur. Commeatus itaque non comprehendit securitatem morandi in aliquo loco.

Ponamus e. g. urbem, in qua commoratur, qui commeatum habet, ab hoste capi; si in eadem & ipse capiatur, nihil fit, quod est contra commeatum.

§. 948.

An pretium redemtionis captivi in alium transscribi possit.

Jus pretium redemtionis conventum exigendi a capto ab eo, qui captum tenet, in alium transscribi potest. Quilibet enim pro lubitu jus suum in alium transferre potest (§. 12. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum ei, qui captum tenet, competat jus pretium redemtionis exigendi, quamprimum de eo conventum est (§. 789. *part. 3. Jur. nat.* & §. 799. *h.*); jus exigendi pretium redemtionis conventum a capto ab eo, qui captum tenet, in alium transscribi potest.

Cum naturaliter captivi non fiant servi (§. 814.), nec eos interficere liceat (§. 794.); eorum redemtio juri naturæ maxime convenit, nisi utrinque capti permutari possint. Quamobrem cum de pretio redemtionis convenire liceat; pactio de eo facta illicita non est, atque ideo ei, qui captum tenet, verum jus parit pretium exigendi conventum, de quo ut de quocunque jure alio pro lubitu disponere potest citra injuriam capti (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 949.

An conventio de pretio rescindi possit ob divitias captivi ignoratas.

Conventio de pretio non potest rescindi, quia captus intelligitur locupletior, quam credebatur. Etenim pretii quantitas mutuo consensu paciscentium determinata fuit, cumque pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.* & §. 799. *h.*), ex pactione nascitur jus exigendi pretium conventum ex parte una, & obligatio solvendi ex parte altera. Pretium igitur majus exigere nequit qui captum tenet, quam quale fuerat conven-

conventum, nec conventio de pretio rescindi potest, quia captus intelligitur locupletior, quam credebatur.

Pactio valorem suum habet a voluntate paciscentium, non vero a quantitate bonorum capti, quæ ignorabat eum tenens, cum de pretii quantitate conveniretur. Alia est ratio, si dolus intercessit, de quo separatim tenetur ad id, quod interest.

§. 950.

An pretium redemtionis debeatur, mortuo ante liberationem captivo.

Si captus, pretio redemtionis non soluto, moriatur, antequam facultas abeundi ipsi data, vel si ad hostes conducendus fuit, in itinere moriatur; pretium conventum non debetur. Pretium enim redemtionis debetur pro libertate, quam captivo præstare tenetur qui eum tenet. Quoniam vero in utroque casu propositionis præsentis hic libertatem præstare nequit, quod per se patet; nec redemtionis pretium eidem debetur.

Mutuæ sunt præstationes in pactione de pretio redemtionis. Qui captum tenet, præstare tenetur eidem libertatem; captivus autem solvere pretium. Præstationes hæ ad se invicem referuntur, ut, si una deficiat, altera quoque deficiat.

§. 951.

An debeatur, mortuo redemto in libertate.

Si qui captus fuerat moriatur in libertate, pretio nondum soluto; idem debetur. Etenim tum pactum adimplevit, qui captum tenebat. Quamobrem idem quoque adimplere tenebatur captus eo ipso momento, quo libertatem fuerat consecutus (§. 789. *part. 3. Jur. nat.* & §. 799. *h.*). A momento igitur liberationis pretium redemtionis non amplius spectatur ut tale, sed ut debitum ex justa causa. Quamvis itaque liberatus moriatur, antequam pretium solverit; non tamen morte ipsius debitum extinguitur.

In libertate esse intelligitur captivus, quamprimum facultas abeundi ipsi concessa. Quodsi in redeundo moram nectat, & antequam redeat moriatur, culpa in ipso hæret.

§. 952.

Si captivus pro pretio redemtionis se oppignoret.

Si ita fuerit conventum, ut pretium redemtionis statim debeatur, & qui fuerat captivus, in securitatem debiti tantummodo detineatur; eo mortuo, pretium nondum solutum adhuc debetur. Etenim tum vi conventionis pactione perfecta pretium redemtionis non amplius spectatur ut tale, sed ut debitum ex justa causa, pro quo seipsum seu libertatem suam oppignoravit, qui antea erat captivus (§. 1142. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum mortuo captivo, antequam pretium solveretur, perinde sit, ac si pignus periisset; eo mortuo, debitum adhuc subsistit (§. 1188. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter pretium nondum solutum adhuc debetur.

Qui captum tenet, is obligationi suæ satisfacit, quamprimum eundem a captivitate liberat & abeundi facultatem concedit. Quamobrem si pignoris loco remanet, hæc alia causa est, unde non debitum, sed debiti securitas venit.

§. 953.

De termino solutionis adjecto.

Si ita conventum, ut pretium solvatur certo die & ante eundem moriatur, qui captivus fuerat; pretium debetur: si vero additum fuerit, ut die solutionis adhuc sit in vivis, non debetur. Cum enim standum sit eo, quod fuerat conventum (§. 789. 430. *part. 3. Jur. nat.*), utrumque patet ex modo conventionis.

In casu nimirum primo dies adjectus est tanquam terminus solutionis, qui jus exigendi debitum non suspendit per modum conditionis, sed ejus executionem differt: ast in casu altero, si die solutionis dimissus adhuc fuerit in vivis, conditio

hæc

hæc adjecta jus exigendi pretium suspendit, ut non certum sit idem deberi, nisi conditione existente.

§. 954.

Si quis dimittitur sub pacto, ut faciat dimitti alterum; is in carcerem redire tenetur, si alter ante dimissionem moriatur, non tenetur, si post dimissionem. Etenim si sub pacto quis dimittatur, ut faciat dimitti alterum; dimissio alterius habet se per modum conditionis, a qua dependet liberatio promissa. Quamobrem cum promissio conditionata non ante adimplenda sit, quam conditione existente (§. 468. *part. 3. Jur. nat.*), & quamdiu hoc certum non est, promissarius dicere non possit, sibi aliquid deberi, veluti in casu præsenti liberationem (§. 479. *part. 3. Jur. nat.*); si quis dimittitur sub pacto, ut faciat dimitti alterum, in carcerem redire tenetur, si alter ante dimissionem moritur, non tenetur, si post dimissionem.

De eo, qui dimittitur sub pacto, ut dimitti faciat alterum.

Exempli loco esto, si unus captus fuerit ab Hispanis, alter a Gallis, & ille ab Hispanis dimittatur, ut alter etiam dimittatur a Gallis. Quodsi conventum fuerit, ut in certo loco uterque tradatur suis & unus moriatur ante traditionem; quid tum sit juris, ex propositione præsente definiendum. Facile autem patet, in præsenti casu moram in tradendo imputari, ut traditus intelligatur, qui propter moram alterius tradi non potuit, etsi ante traditionem fuerit mortuus.

§. 955.

Si quis dimissus, pretio redemtionis nondum soluto, capiatur ab alio; pretium utrique debet. Qui enim dimittitur ab eo, qui captivum tenet, is saltem præstare tenetur securitatem reditus ad suos, qua obtenta, is satisfecit obligationi suæ: libera-

De eo, qui denuo capitur pretio redemtionis nondum soluto.

beratus enim est a captivitate, in qua detinebatur. Quamobrem pretium redemtionis jam est debitum ex justa causa. Quoniam igitur in pactione de pretio redemtionis non id actum, ut durante bello in posterum tutus sit ab omni vi hostili; ea quoque non obstat, quo minus oblata occasione ab alio capiatur. Quodsi ergo hoc fiat, pro liberatione sua perinde pretium redemtionis solvere tenetur, ac si antea non fuisset captus. Quamobrem si quis dimissus, pretio redemtionis nondum soluto, capitur ab alio; pretium redemtionis conventum utrique debet.

Nisi pacto inter belligerantes pretium istud fuerit definitum (§. 217.); utrique non idem solvendum pretium, sed unicuique id, de quo cum eo conventum fuit.

§. 956.

An cum persona capiatur, quod secum habet. *Si hostis captum non spoliat, vel captus clam aliquid penes se habet; id capti manet.* Quodsi enim hostis captum non spoliat, vel captus clam aliquid penes se habet; quod secum habet, id ille non redigit in suam potestatem (§. 461. *part. 2. Jur. nat.)*, consequenter non occupat (§. 862.). Quamobrem cum res hostiles ab hoste non captæ maneant eorum, quorum sunt, quod per se patet; si hostis captum non spoliet, vel captus clam aliquid penes se habeat, id capti manet.

Quoniam naturaliter captivi non fiunt servi (§ 814.), nec juris naturalis sit, ut servus res proprias habere non possit (§. 1108. *part. 7. Jur. nat.*); propositio præsens juris naturæ est, nec tantum locum habet inter Gentes, apud quas servitus recepta non est. Si quarundam Gentium moribus introductum, ut capti fiant servi & cum eorum persona acquirantur omnia eorum bona, quæ secum habent, id ad Jus Gentium consuetudina-

tudinarium (§. 24.), idque iniquum referendum (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 957.

Quoniam captivi manet, quod secum habet, *si captivum hostis non spoliet, vel si is clam quid penes se habeat* (§. 956.); *id in pretium redemtionis imputari potest.* *An id in lytrum imputari possit.*

Tenenti enim captivum perinde est, sive pretium solvatur ex eo, quod captivus secum habet, sive aliunde, cum is solvat de suo. Pretium redemtionis a nonnullis vocabulo Græco *Lytrum* appellari solet, Germanice das Löse-Geld.

§. 958.

Si quis obses datus, ut captivum redimat; hoc mortuo, ille liberatur. Qui enim obses datur, ut captivum redimat, pro eo redimendo oppignoratur (§. 497.). Quamobrem cum eo mortuo cesset causa oppignorationis; oppignoratio quoque cessat. Quodsi ergo quis obses datur, ut captivum redimat; hoc mortuo, ille liberatur. *De obside dato ut captivum redimat.*

Captivus considerari debet tanquam persona vicaria captivi. Jus igitur, quod ei competit, qui captum tenebat, in obsidem, idem est, quod habet in captum. Si captus moritur, jus ipsius in eum extinguitur. Capto igitur mortuo, extingui etiam debet jus in obsidem.

CAPUT VIII.
De Pace & Pactione pacis.

§. 959.

Pax dicitur status, in quo nobis cum nemine bellum est. Quamobrem cum in bello vi jus nostrum persequamur adversus alterum, qui idem nobis tribuere *Pax quid sit.*

non vult (§. 1102. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in pace consequendi vel tuendi juris nostri causa cum nemine per vim certandum*, consequenter *jure nostro quiete fruimur.*

Pax opponitur bello, ita ut quando bellum est, pax non sit, ac ideo pax sit, quando bellum non est. Quodsi itaque intelligatur, qualis sit status, in quo bellum est; simul intelligitur qualis idem sit, quando pax est. Significatus hic generalis est, quemadmodum & belli, ita ut non minus intelligatur de hominibus singulis in statu naturali viventibus, quam de Gentibns. Quoniam injuria omnis naturaliter prohibita (§. 911. *part.* 1. *Jur. nat.*), belli autem justa causa non est nisi injuria facta, vel facienda (§. 1109. *part.* 1. *Jur. nat.*); naturaliter pax bello prior est: ast ubi finito bello pactio de pace fit, pax bello posterior. Dum enim a bello receditur, ad pacem reditur. Equidem subinde pax nonnullis sumitur pro transactione de causa belli & iis, quæ in bello facta sunt; non tamen usui loquendi communi convenienter, quo Genti pacem esse dicimus, quæ bello implicita non est, & durante quoque bello pacatas Gentes appellamus, quæ bello sese non immiscent ac nulla ex parte suum faciunt. Immo cum his pacem esse dicimus ipsis etiam belligerantibus. Nulla igitur ratio suadet, neque nos cogit, ut æquivocationem vocabuli introducamus, a qua inprimis in scientiis, qualis esse debet Jus naturæ ac Gentium, abstinere debemus.

§. 960.

An in induciis pax sit.

Quoniam per inducias bellum non finitur, sed manet (§. 914.), in pace autem bellum non est (§. 959.); *tempore induciarum pax non est.* Cum tamen per inducias actus bellici omnes ab utraque belligerantium parte cessent, ut, si eædem pangantur in longum tempus, veluti in viginti, immo quinquaginta, vel centum annos, perinde sit, ac si bellum

bellum non esset, quod per se satis patet; *si induciæ pangantur in longum tempus*, cum interea a bello sit discedendum, *eædem paci æquiparantur*.

Differunt tamen adhuc induciæ in longissimum quodlibet tempus factæ a pace. Factis enim induciis a bello saltem disceditur ad certum tempus, quo elapso patet ad idem regressus ob eandem causam: ast pace facta, de causa belli transigitur, ita ut id finiatur, nec ea de causa, ob quam gestum fuerat, denuo suscipi possit (§. 890. 891. *part. 5. Jur. nat.*). Induciæ igitur in longum tempus factæ sunt status quidam veluti intermedius inter bellum & pacem, qui propius ad pacem, quam ad bellum accedit, cum a pace non differat, nisi quod cum expectatione belli conjunctus sit, quæ in pace abest.

§. 961.

Gentes ad pacem inter se colendam naturaliter obligantur. Gens enim unaquælibet alteri jus suum tribuere debet (§. 264.), & in causa dubia controversias inter se vel amicabiliter, vel per transactionem, vel per mediationem, vel per arbitrum componere debent (§. 570.), consequenter Gens unaquælibet sibi cavere debet, ne sit in causa, ut altera jus suum adversus ipsam vi persequi cogatur, adeoque ut bello sit locus (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.* & §. 572.). Quamobrem cum pacem inter se colant, inter quos bellum non est (§. 959.); Gentes ad pacem colendam inter se naturaliter obligantur. *De pace colenda.*

Jus naturæ, quod ad felicitatem generis humani tanquam ad metam tendit (§. 396. & *seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), non minus prospicit securitati singulorum, quam Gentium, quæ non datur, nisi in pace. Qui itaque alteri justam belli

causam dat, in jus naturæ graviter delinquit. Naturæ hominum nihil magis adversatur, quam bellum, cui saltem per modum defensionis Jus naturæ locum facit, tanquam malo inevitabili. Ortum vero trahit ab eorum injustitia, qui jus suum aliis tribuere nolunt, vel iniquitate, quia media leniora aversantur, quibus controversia in causa dubia componi poterant, vel denique malitia, quia alias lædere non verentur. Quodsi ergo injustitia, iniquitas & malitia exosa essent nomina; bellum omne ex orbe terrarum exularet, ac Gentes & singuli quivis homines pace perenni fruerentur.

§. 962.

Obligatio Rectoris civitatis ad pacem conservandam respectu subditorum.

Rector civitatis hoc debet subditis suis, ut pacem omni modo conservare studeat. In civitate enim coiverunt homines, ut jure suo quiete fruantur & tuto ab alio id consequantur (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*) & universi singulis obligantur pro virili ad id conferre, quod possunt (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum ex antecedentibus abunde pateat, & obvia experientia unicuique notum sit, quantum fini isti adversetur bellum; universi singulis obligantur, omnem dare operam ut bellum vitetur, consequenter pax servetur (§. 959.). Quoniam itaque imperium in Rectorem civitatis translatum est (§. 42. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo quoque cum eo omnis, quæ cum eodem cohæret, obligatio; Rector civitatis curæ habere debet, ut pax conservetur, consequenter subditis suis hoc debet, ut pacem omni modo conservare studeat.

Debitum hoc perfectum est, cum veniat ex pacto, quod inter Regem & subditos intercedit, vi translationis imperii in eundem factæ, & quod dependet a pacto originario, quo civitas constituta (§. 403. *part. 3. Jur. nat.*). Cum salus Reip. suprema in civitate lex sit (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*), ex ea metienda est regendi obligatio. Qui vero novit, quid sit salus

lus publica (§. 17. *part. 8. Jur. nat.*), nec ignorat, quantum malorum post se trahat bellum; is facile perspiciet, nihil magis saluti Reip. adversari quam bellum, nihil vero magis convenire, quam pacem, ut de eo disertius dici non sit opus. Hinc porro consequitur, si temere bellum suscipiat Rector civitatis, quod vitare poterat & debebat, eum jus perfectum civium violare & injuriam ipsis facere (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), quamvis ob irresistibilitatem summi imperii (§. 1041. *part. 8. Jur. nat.*) eam tolerare teneantur, ad obedientiam cum patientia obligati male imperanti (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter bono publico, seu saluti civitatis adversa facienti (§. 85. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 963.

Quilibet Rector civitatis Gentibus aliis hoc naturaliter debet, ut pacem omni modo conservare studeat. Etenim Gentes ad pacem inter se colendam naturaliter obligantur (§. 961.), consequenter unicuique curæ esse debet, ut Gentium quoque aliarum causa pax conservetur. Quamobrem cum jus Gentis suæ habeat superior (§. 39.), consequenter in eundem quoque cadat omnis obligatio, quæ eidem cohæret, ut quod Gens una alteri facere debeat, ad id eidem teneatur Rector civitatis; quilibet civitatis Rector Gentibus aliis hoc naturaliter debet, ut pacem omni modo conservare studeat.

Et respectu Gentium aliarum.

Rector civitatis & subditis suis (§. 962.), & Gentibus aliis *vi præsentis* naturaliter hoc debet, ut pacem conservare studeat, sed non eodem modo. Respectu enim subditorum debitum perfectum est (*not.* §. 962.); respectu hujus imperfectum (§. 402. *part. 3. Jur. nat.*). In priori casu injuria toleranda ex officii necessitate (*not.* §. 962.); in posteriori neglectus officii vi libertatis naturalis etiam Gentibus (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter eorum Rectoribus (§. 39.) com-

competentis (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), ferendus, denegatione imperfecte debiti justa belli causa non existente (§. 409. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 964.

Quotuplici modo id fiat. Quoniam quilibet Rector civitatis Gentibus aliis hoc naturaliter debet, ut pacem omni modo conservare studeat (§. 963.), ad quam inter se colendam Gentes omnes obligantur (§. 961.); *non modo ipse bellum vitare debet, quantum potest, verum etiam operam dare, ut dissuadeat aliis, ne temere bellum suscipiant.*

Abstinentia a bello duplicem habet inspectionem. Rector nimirum civitatis non modo ab eo ipse abstinere debet, verum etiam operam dare, ut abstineant alii. Priori respectu se probat amantem felicitatis subditorum; posteriori autem Gentium aliarum. Atque hoc pacto satisfacit non minus officio erga Gentes alias (§. 162.), quam erga Gentem suam (§. 1010. *pat. 8. Jur. nat.*). Quodsi ea observarentur, quæ de modo componendi controversias inter Gentes & de jure belli demonstrata fuerunt, & ea prudentia uterentur Rectores civitatum, qua regenda est Resp. juxta ea, quæ in Politica demonstranda; rara foret belli occasio, atque Gentes perpetua fruerentur pace.

§. 965.

Turbator quietis publicæ quinam sit. *Turbator quietis publicæ* dicitur, qui bellis temerariis atque injustis lacessit Gentes alias. Idiomate patrio dicitur ein Friedens-Stöhrer. Quoniam mala, quæ ex bello oriuntur, non modo premunt Gentes belligerantes, verum etiam ad Gentes vicinas, immo etiam dissitas obscure serpunt; *turbator quietis publicæ non modo iis, cum quibus ipsi bellum est, verum etiam Gentibus vicinis, immo dissitis nocet.*

Variant

Variant nocumenta pro diversitate circumstantiarum. Exempli loco unius saltem mentionem facere lubet. Ponamus Gentes pacatas inter se commercia exercere, vel etiam cum iis, quas inter bellum est, eaque bello difficilia fieri; cum jam subditi Gentium pacatarum merces carius emere cogantur, haud levem pecuniæ jacturam belli causa faciunt, ita ut perinde sit ac si ad belli sumtus contribuere teneantur. Atque ita damnum haud leve datur a belligerantibus Gentibus etiam pacaris (§. 488 *part. 2. Jur. nat.*), utique culpa turbatoris quietis publicæ, qui bellum evitare vel poterat, vel debebat.

§. 966.

De iisdem compescendis.

Quoniam *turbatores quietis publicæ* bellis temerariis atque injustis lacessunt Gentes alias & non modo his, verum etiam pacatis aliis nocent (§. 965.), cum tamen omni modo studere debeant, ut pax inter Gentes conservetur (§. 963. 964.); *obligationi suæ, qua ad commune bonum promovendum sibi invicem tenentur Gentes tanquam membra civitatis maximæ* (§. 12.), *minime satisfaciunt*, consequenter *Gentibus quibusvis competit jus turbatores quietis publicæ cogendi, ne turbent* (§. 13.).

Jus naturæ saluti communi Gentium non minus prospicit, quam singulorum, atque ideo permittere nequit, ut unus quidam quietem publicam licentiosa libidine turbet. Et quamvis studium conservandæ pacis per se sit imperfecte debitum (§. 963.); id tamen tale non manet in turbatore quietis publicæ. Hic enim aut vi aperte injusta agit, aut imprudenter. In casu priore non dolo (§. 705. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in posteriori non culpa vacat (§. 777. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque Gentes lacessat bellis sola utilitate sua, vel vana gloria ductus, consequenter avaritiæ, vel ambitioni suæ cum dispendio salutis Gentium communis litet; hostilem animum in omnes prodit, ut non vanus sit, sed justus injuriarum faciendarum metus. Periculum itaque Gen-

tibus promiscue imminens absque injuria a quibusvis conjunctis viribus depellitur.

§. 967.

Quomodo jure hoc utendum. Quoniam Gentibus quibusvis competit jus turbatores quietis publicæ cogendi, ne turbent (§. 966.), consequenter vis in eosdem licita, sine qua cogi nequeunt, ne turbent; *Qui a turbatoribus quietis publicæ armis lacessuntur, iis jure se adversus eosdem associant Gentes quæcunque*, ut scilicet potentia eorum imminuatur, ne turbare amplius possint.

Interest Gentium omnium, præsertim vicinarum, ne sint turbatores quietis publicæ, qui potentia sua confisi jure belli manifesto abutuntur. Quamvis itaque injuria directe ipsis non facta, quæ sola justa belli causa est (§. 617.), nec talis sit metus ex vicina potentia (§. 640.); si vel maxime deficiat justa causa, ut ipse bellum inferas, ratio tamen suasoria non deest, cur iis, qui armis lacessuntur, auxilium feras, & subsidia mittas, aut eos quocunque modo alio in bello adjuves: id quod in se licitum est (§. 656.). Accedit, quod levissima injuria det jus vi armata potentiam crescentem labefactandi, si quis manifesta consilia agitat de aliis Gentibus sibi subjiciendis (§. 650.) & promiscue Gentibus quibusvis jus sit potentiam ejus diminuendi, qui eadem confisus injustis armis securitatem communem Gentium turbare non veretur (§. 652.). Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 650. & *seqq.*).

§. 968.

De foederibus belli contra turbatorem quietis publicæ. *Si Gentes a turbatore quietis publicæ sibi metuunt; tempestive foedera belli pangere debent.* Etenim Gentes jure sese associant adversus turbatorem quietis publicæ illi, qui armis ab eodem lacessitur (§. 967.). Quamobrem cum foedera belli ineantur de auxiliis & subsidiis mittendis, aliisque quibuscun-

cunque, quæ respectum ad bellum habent (§. 655.), per se autem pateat, foedera belli pangi posse, quocunque tempore visum fuerit, etiam quando nondum de bello inferendo cogitatur, & vis unita deterrere potest eum, qui alias potentia sua confisus in arma rueret, ut ab iis abstineat, media autem leniora durioribus semper sint præferenda & certiora dubiis; si Gentes a turbatore quietis publicæ sibi metuunt, foedera belli tempestive pangere debent.

Nimirum foedera in præsenti casu duplicem habent effectum. Aut enim turbator quietis publicæ a bellandi proposito deterretur, aut, si in arma prorumpit, vi ejus statim fortiter resisti potest, ne vires ejus, qui lacessitur, ante atterantur ac diminuantur, quam ipsi succuratur: quod quantum in bello momentum habeat experientia satis loquitur, nec difficulter a priori probatur. Licita vero esse foedera, de quibus hic sermo est, patet ex ante demonstratis (§. 967.).

§. 969.

Bellum justum tamdiu continuare licet, donec jus tuum fueris consecutus, nec alter sese vi justæ amplius opponit. Etenim bellum geritur juris consequendi causa (§. 1102. *part. 1. Jur. nat.*), adeoque id agitur in bello, ut idem consequaris. Quamobrem cum tamdiu jus tuum persequaris, donec id fueris consecutus, quod per se patet; bellum quoque justum tamdiu continuare licet, donec jus tuum fueris consecutus. *Quod erat unum.* *Quamdiu bellum justum continuare liceat.*

Enimvero quamvis nulla amplius justa causa tibi esse videatur belli continuandi, quam primum consecutus fueris id, cujus causa bellum susceptum; non tamen a voluntate tua dependet finire bellum, nisi quoque hostis consentiat

& arma deponat. Quodsi igitur animo recuperandi ea, quæ ipsi jure eripuisti, bellum continuat, & vi justæ sese adhuc opponit; bellum quoque adversus vim injustam continuare licet, donec hostis justæ se non amplius opponit. *Quod erat alterum.*

Constat ex antecedentibus in bello non modo nos persequi id, quod ante idem debebatur, sed & in ipso bello subnascens, quale sunt sumtus, & quale oritur ex damnis ab hoste durante bello datis atque ex injuriis novis factis. Justas autem pertinaciæ dat poenas, si ab armis desistere nolit, etiamsi causa belli jam cesset. Bellum ut inchoëtur, ab unius dependet voluntate, nisi sit defensivum, quod evitare in potestate nostra positum non est: ast idem finiri nequit nisi utriusque belligerantium partis consensu. Quodsi ergo in finem belli consentire nolit, qui debebat, is sibi imputandum habet, si majus sentiat damnum, quam passus fuerat, ubi statim alteri jus suum tribuisset. Ceterum me vel tacente patet, hic tantum agi de jure bellum continuandi; non vero quæstionem esse de eo, num conducat bellum tamdiu continuare, donec jus tuum ex asse fueris consecutus. Fortuna non semper favet causæ justæ, ut ideo haud raro de jure suo remittere tenearis, ne majoribus periculis te tuosque exponas. Ac ideo haud raro evenit, ut bellum justum sit gerenti damnosum, & lucrum ejus, cujus injusta erant arma.

§. 970.

Quamdiu in causa dubia.

In causa dubia bellum tamdiu continuare licet, donec alter vel transactionem offerat, vel oblatam acceptat. In causa enim dubia bellum licite geris, ut alterum ad transactionem, in quam consentire non vult, vi armorum adigas (§. 631.). Quodsi ergo durante bello eidem denuo offers transactionem & is eandem acceptat, vel si ipse tibi eandem offert; nulla

nulla amplius ratio eſt, cur bellum geratur. Quare cum ceſſante ratione, quæ bellum licitum facit, bellum quoque diutius continuare non licet. In cauſa igitur dubia bellum tamdiu continuare licet, donec alter vel transactionem offerat, vel oblatam acceptet.

Quando dicitur, transactio offerri, non ſufficit, ut offerens declaret, ſe ad transigendum eſſe paratum, ſed exprimendæ ſunt pacis conditiones, aut colloquium interea, dum bellum continuatur, inſtituendum, in quo de modo transigendi tractetur. Alias enim dubitatur, transactionem perfectum iri, qua nonniſi perfecta bellum finitur. Cumque in bello non modo dolus ſit licitus (§. 857.), verum etiam non inſolens ſit ejus uſus; ſi transactio non expreſſis conditionibus offeratur, doli ſuſpicio non abeſt, inprimis ſi aliæ circumſtantiæ eandem augeant.

§. 971.

Bellum adverſus turbatorem quietis publicæ tamdiu continuare licet, donec ſecuritati futuræ ſufficienter fuerit proſpectum. Etenim cum Gentibus promiſcue omnibus competat jus coërcendi turbatorem quietis publicæ, ne turbet (§. 966.); ſi quæ ei ſe aſſociant, quæ armis ejus laceſſitur (§. 967.), bellum geritur ſecuritatis communis cauſa. Quamobrem bellum adverſus eum tamdiu continuare licet, donec ſecuritati futuræ ſufficienter fuerit proſpectum. *Quamdiu bellum continuare licitum adverſus turbatorem quietis publicæ.*

Judicium de eo, quod ſufficit, ut ſecuritati Gentium communi poſthac ſit proſpectum, a circumſtantiis particularibus pendet. Etenim aut id agitur, ut turbator quietis publicæ animum turbandi mutet; aut ut adimantur vires. Major fiducia eſt in modo poſteriori, quam in priori, non modo quia mutatio animi difficulter præſumitur, verum etiam quia facile redeunt veteres mores. Pertinet dijudicatio ad prudentiam,

quæ omnem regit juris usum, jure naturæ non dissentiente, quippe quo etiam ad prudentiam obligamur (§. 258. *part 1. Jur. nat.*). Quamobrem quæ passim de iis, quæ prudentiæ sunt, annotare visum fuit; non alio fine a nobis commemorantur, quam ut appareat, ad recte agendum requiri, ut cum jure naturæ prudentia civilis, quæ in Politica tradenda, constanter conjungatur. Urget hanc conjunctionem ipsa lex naturæ non solum, quatenus nos ad prudentiam (§. *cit.*), verum etiam quatenus ad recte agendum obligat (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 972.

Quando bellum continuare liceat, donec alter fuerit victus.

Quodsi belligerator unus ad offerendum, vel acceptandum æquas pacis conditiones permoveri nequit; bellum tamdiu continuare licet, donec is victus fuerit totaliter, ne scilicet resistere diutius possit. Etenim bellum justum tamdiu continuare licet, donec jus tuum fueris consecutus, nec alter vi justæ sese amplius opponit (§. 969.), & in causa dubia, donec alter transactionem vel offerat, vel oblatam acceptet (§. 970.), consequenter donec alter æquas pacis conditiones acceptet, vel offerat. Quodsi ergo neutrum ab eo obtineri nequit, nec a voluntate tua dependet, ut a bello desistatur. Quamobrem id tamdiu continuandum, donec deficientibus viribus vi tuæ amplius resistere non possit, sed a bello desistere cogatur, consequenter si totaliter victus fuerit (§. 1089 *part. 5. J. n.*).

Aliud est vinci in prælio, aliud vinci in bello. In prælio victus idem continuare nequit, aut fuga saltem declarat, seu recedendo cum exercitu, se id continuare nolle; ast in bello is demum victus dici potest, qui bellum continuare nequit, aut saltem verbis declarat, se id continuare nolle (§. 1089. *part. 1. Jur. nat.*) & pacem petit. Victoria in præliis anceps est, nec semper victoriam habet idem. Quamobrem etiam contingit,

tingit, ut victoriam unus alteri cedat, ne vires consumantur, in meliorem eventum conservandæ, consequenter belli continuandi causa. Enimvero si cujus vires ita prostratæ sunt, ut resistere amplius non possit, aut saltem ita diminutæ, ut se adversus alterum viribus superiorem nihil effecturum prævideat, consequenter in casu priori ad incitas redactus a bello desistere cogatur, in posteriori sibi metuens, ne ad incitas prorsus redigatur, a bello desistere velit, tum demum in bello victus dici potest & *ultima* hæc dicitur in bello *victoria*, qua tandem bellum finitur & pax restituitur. Enimvero cum vis armorum non sint medium aptum ad decidendas controversias Gentium (*not.* §. 632.); sicuti victoria ultima, si eam consequatur is, cujus arma injusta sunt, causam manifesto justam non efficit injustam, ita quoque declarare nequit in causa controversa justitiam belli fuisse penes eum, qui eandem reportavit, consequenter victoria ultima victori nullum dare potest jus, quod aliunde non habet. Et, si ponamus quarundam Gentium hunc esse errorem, tantum abest, ut is pro jure naturæ haberi possit, ut ne quidem pro voluntario Gentium jure habendum (§. 992. *part. 8. Jur. nat. &* §. 22. *h.*), sed pro consuetudinario iniquo (§. 24. *h. &* §. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod per errorem pro jure habetur, cum non sit, & quo stare non tenentur rectius sentientes, nec illæsa conscientia adversus alterum uti possunt erroris sibi conscii.

§. 973.

De belli injusti continuatione. *Qui injustum gerit bellum, ei jus nullum est ad bellum continuandum.* Qui enim injustum gerit bellum; ei jus nullum in bello competit (§. 777.). Quamobrem nec jus ullum ad bellum continuandum esse potest.

Injustum bellum gerens prædo, invasor ac latro est (§. 778.). Ecquis ergo quærere potest, num liceat rapinas, invasiones ac latrocinia continuare?

§. 974.

§. 974.

Quando belligerator justus fit injustus.

Si is, cujus bellum justum erat, ab eo discedere nolit, etiamsi consecutus fuerit jus suum; ex justo belligeratore injustus fit. Idem obtinet, si in causa dubia æquas pacis conditiones acceptare nolit. Etenim cum belligeratori justo tamdiu bellum continuare liceat, donec jus suum fuerit consecutus, nec alter diutius vi ejus sese opponere velit (§. 969.); si consecutus jus suum a bello discedere nolit, nullum ipsi jus est ad bellum continuandum. Quodsi ergo idem continuet, nullo jure agit, consequenter ex justo belligeratore fit injustus. *Quod erat unum.*

Similiter quia in causa dubia bellum tamdiu continuare licet, donec alter transactionem offerat (§. 970.); eodem modo patet, ex justo belligeratore fieri injustum, si transactionem oblatam acceptare nolit. *Quod erat alterum.*

Injusta omnino arma sunt, quæ nullum jus tuetur, & quamprimum causa belli justa cessat, jus quoque ad bellum cessat. Qui bellum sine causa justa continuat, ei belli continuandi rationes aliæ esse nequeunt, quam suasoriæ (§. 621.). Bellum autem, quod non alias habet rationes, quam suasorias, injustum est (§. 622.). A vero nimis aberrant, qui bellum tamdiu licite continuari posse putant, donec ultima victoria finem imponat, vel eadem in causa dubia jus controversum decidatur, præsertim si juris naturæ esse sumatur, ut quælibet belligerantium pars stet judicio suo de causæ justitia. Sicuti notorium est, in defensione ex defensore fieri aggressorem, si modum excedit (§. 1003. *part. 1. Jur. nat.*); ita non minus exploratum est, in hypothesi propositionis præsentis ex belligeratore justo fieri injustum, cum in bellando modum excedat, utpote excedens modum defendendi jus suum, quod ab altero sibi denegatur.

§. 975.

§. 975.

Pace facta, bellum finitur. Cum in pace bellum sit nullum (§. 959.); si de pace convenitur, in id consentitur, ut bellum non sit. Quamobrem cum pactione de pace perfecta, belligerantes statim obligentur ad servandum, quod utrinque promissum est (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); pace facta, bellum finitur. *Quando bellum finiatur.*

Bellum & pax sibi mutuo repugnant, ut simul esse nequeant (§. 959.). Quamdiu igitur bellum durat, pax esse nequit, & quamprimum pax est, bellum durare nequit. Quando igitur de pace convenitur, eo ipso quoque convenitur, quod bellum finitum esse debeat.

§. 976.

Quoniam pace facta, bellum finitur (§. 975.), hostes vero sunt, quibus inter se bellum est (§. 722.), & hostilitates sunt operationes bellicæ, quibus hosti vel rebus ejus vis actu infertur (§. 785.); *pace facta qui fuerant hostes, hostes esse desinunt ac omnes hostilitates utrinque cessant.* *Effectus pacis factæ.*

Tempore induciarum cum pax non sit (§. 960.), qui hostes fuerant ante inducias, manent quoque hostes in induciis. Quod vero tuti sint ab hostilitatibus, non inde venit, quod hostes non sint, nec eorum res sint hostiles, sed quod hostilitates suspendantur quoad actum, donec tempus induciarum fuerit elapsum, reservato jure ad easdem (§. 913. 914.). Aliud est jus non habere, aliud non exercere. Jus igitur habere cum possit, qui non exercet; ad non exercendum per certum tempus se alteri obligare potest, qui idem retinet. Pace autem facta extinguitur ipsum jus ad hostilitates, ut nullus sit iisdem locus ob defectum juris, non vero ob ademtum exercitium juris.

§. 977.

Quinam pactiones de pace inire possint.

Pactiones pacis inire nequeunt, nisi qui imperium summum habent. Etenim bellum publicum geritur auctoribus iis, qui summum imperium habent (§. 607.), consequenter ipsorum est de bello disponere, prouti visum fuerit, adeoque etiam statuere, utrum bellum sit finiendum, an continuandum, quemadmodum ipsorum erat determinare, utrum bellum sit suspiciendum, an ab eo abstinendum. Quamobrem cum facta pace bellum finiatur (§. 975.); pactiones quoque pacis inire nequeunt, nisi qui summum imperium habent.

Ad jus belli omnino pertinet sicuti jus belli inchoandi & actus bellicos determinandi sive per se, sive per alios; ita etiam jus belli finiendi, consequenter etiam jus pacem pangendi. Quemadmodum itaque jus belli ad jura majestatica pertinet (§. 943. *part. 8. Jur. nat.*); ita ad eadem quoque spectat jus pacem pangendi.

§. 978.

Idem specialius expenditur.

Quoniam pactiones pacis inire nequeunt, nisi qui imperium summum habent (§. 977.), in democratia autem imperium summum est penes populum (§. 131. *part. 8. Jur. nat.*), in monarchia (§. 133. *part. 8. Jur. nat.*) penes monarcham, in aristocratia penes optimates (§. 135. *part. 8. Jur. nat.*), in regno autem certo modo limitatum, vel diminutum esse potest (§. 139. *part. 9. Jur. nat.*); *in statu populari pactiones pacis iniri nequeunt nisi a populo, in monarchia a monarcha, in aristocratia ab optimatibus, in regno a Rege vel cum populo, aut certorum aliorum consensu, vel sine eo, prouti legibus fundamentalibus fuerit definitum.*

Mixtarum Rerump. formæ legibus fundamentalibus continentur ac ideo ex iis patet, quantum jus Regis sit impeditum,

ne

ne in adminiſtranda Rep. facere poſſit, quod ſibi viſum fuerit. Jus pangendi pacem maximi momenti eſt, non quatenus bellum finitur, quod eſt votum omnium civium, quamdiu bellum durat, cum nulla ſit ſalus bello, pacem poſcant omnes; ſed quatenus transigendum de iis, quæ ad civitatem ſpectant, in transigendo vero multa fieri poſſunt in præjudicium civitatis. Ac ideo quoque non committitur aliorum judicio, ut pax pangatur ſine expreſſa ſummæ poteſtatis ratihabitione vi mandati generalis. Clarius id eluceſcet ex ſubſequentibus, ubi modus pangendi pacem fuerit explicatus.

§. 979.

Cum pacem inire nequeant niſi qui imperium ſummum habeat (§. 977.), conſequenter nonniſi ſummæ poteſtates (§. 368.); poteſtas minor vero nulla imperium ſummum habeat (§. *cit.*); pacem quoque *inire nequit ulla poteſtas minor*, veluti *magiſtratus*, *belli dux*, *licet ſummus*, *Gubernator a poteſtate ſumma conſtitutus*, *neque etiam privatus alius ullus*, *veluti proceres in ſtatu populari*, *aut monarchico*. *Quinam non poſſint.*

Gubernatores idiomate patrio vocamus Stadthalter, proceres autem die Stände. Lege autem fundamentali introduci poteſt, ut ne ſine conſenſu Gubernatoris, aut procerum pax fieri queat. Alia vero ratio eſt, ſi Rex ultro ſine conſenſu Gubernatoris, aut procerum pacem facere nolit. Tunc enim nec illi, quorum conſenſum requirit, conſiliariorum tantum munere funguntur, nec ipſe ad eum requirendum obligatur, nec diſſenſus eorum obſtat, quo minus faciat, quod ſibi viſum fuerit. Vide, quæ alias demonſtravimus & annotavimus (§. 79. 80. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 980.

Si Rex eſt infans, vel impubes, aut imminutæ mentis, veluti furioſus, aut mente captus; pacem facere nequit. Per ſe patet, *De Rege infante, impubere, aut*

imminutæ mentis. Regem infantem, vel impuberem ob immaturitatem judicii, si vero imminutæ mentis fuerit, ob defectum judicii imperium administrare non posse. Quamvis ergo jus faciendi pacem habeat, idem tamen exercere nequit, consequenter nec pacem facere.

Quinam pro puberibus & majorennibus habendi sint jure naturæ, docuimus alias (§. 767. 768. *part.* 7. *Jur. nat.*). Quemadmodum vero lege civili certa ætas definitur, ut pro puberibus & majorennibus habeantur privati; ita etiam legibus fundamentalibus in regnis certa definiri solet ætas, qua ad imperii administrationem apti habendi sunt, quos judicii immaturitas ab ea arcet. Quando vero Reges ipsi imperium administrare nequeunt, dantur ipsis tutores vel curatores, qui eorum nomine administrant.

§. 981.

Quinam tum pacem facere possint. *Si Rex administrationis imperii non fuerit capax; pacem facere eorum est, quibus imperii administratio competit.* Etenim si Rex ipse administrationis imperii non fuerit capax; administratio imperii necessario committenda aliis, sive id fiat per leges fundamentales, sive voluntate populi, sive patris in testamento, sive alio quocunque modo. Quamobrem cum hi, quibus administratio imperii competit, idem facere possunt, quod Rex facere poterat, siquidem ipse imperium administraret; pacem, quam Rex facere poterat (§. 978.), & ipsi facere possunt.

Facile patet, non majus jus competere imperii administratoribus, quam Regi, cujus nomine ac jure faciunt, quicquid ab ipsis fit. Quamobrem si per leges fundamentales jus pangendi pacem certo modo restrictum sit; nec aliter eodem uti possunt administratores. Per se quoque patet, si certa lege de pangenda

pangenda pace, vel jure pangendi tempore administrationis fuerit quid definitum, contra id facere nil posse administratores. Ita ipsi pacem facere nequeunt, si dictum sit, ut faciant proceres, vel certæ, quæ nominantur, personæ; nec facere possunt, nisi eorum consensu, quorum consensum requirit lex fundamentalis.

§. 982.

Quando Rex captivus pacem facere possit.

Si regnum fuerit patrimoniale, Rex captivus pacem facere potest. Quodsi enim regnum sit patrimoniale, imperium jure proprietatis possidet (§. 40. 155. *part. 8. Jur. nat.*), & per consequens de eo sicuti toto, ita etiam de singulis juribus ad id spectantibus disponere potest, prouti sibi visum fuerit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum in pace disponatur de juribus in imperio civili comprehensis, id quod ex subsequentibus clarius elucescet; Rex captivus, etiamsi juri ejus subsit qui captum tenet, ac ideo non prorsus liber (§. 135. *part. 1. Jur. nat.*), cum nihil agat contra jus alterius, adeoque nemini injuriam faciat, quomodocunque disponat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), pacem facere potest.

Equidem non desunt, qui contendunt, nulla regna in patrimonio aut dominio esse posse; cum tamen contrarium ostenderimus (§. 39. *part. 8. Jur. nat.* & §. 871. *h.*), non finguntur ea, quæ ex notione regni patrimonialis necessario consequuntur. Quæ contra regna patrimonialia objiciuntur, ex confusione imperii & modi habendi imperium veniunt. Distinguenda sunt in ipso dominio rerum jus proprietatis, jus fruendi & utendi. Quamobrem cum proprietas imperii faciat regnum patrimoniale (*not.* §. 39. *part. 8. Jur. nat.*); eidem saltem propria sunt, quæ ex jure proprietatis; hoc est, ex jure disponendi de ipsa substantia imperii (§. 131. *part. 2. Jur. nat.*), necessario fluunt. Imperium omne cum exerceri

 debeat,

debeat, ut bonum publicum promoveatur, quantum fieri potest (§. 809. *part. 8. Jur. nat.*); id non minus valet in regno patrimoniali, quam usufructuario, modus enim exercendi imperium minime dependet a modo habendi imperium sed ex fine, cur imperia introducta sunt, seu civitates constitutæ, derivandus, qui per modum habendi minime immutatur. Sane in ipso regno herili jure naturæ permissa non sunt, quæ felicitati subditorum repugnant (§. 275. 276. *part. 8. Jur. nat.*), ut cum tyrannide sit comparandum; id quod tamen a patrimoniali plurimum differt (§. 155. 264. *part. 8. Jur. nat.*). Quæ juris naturæ sunt quoad imperii exercitium, seu modum exercendi; eadem manent in ipso quoque regno patrimoniali, sicuti ex adverso nihil eorum, quæ ad modum habendi imperium pertinent, ad exercitium imperii trahendum. Abusus juris in exercitio imperii in quolibet modo habendi imperium æque obtinere potest; oppido autem falluntur, qui sibi persuadent eum in eodem contineri, si imperium habeatur jure proprietatis. Abusus juris in regno patrimoniali non consistere potest, nisi quatenus de iis, quæ ad alienationem regni & immutationem formæ Reip. spectant, non disponitur, quemadmodum officio imperantis conveniebat, nisi imperium herile cum patrimoniali confundere velis. Cum unice ad modum habendi imperium referendum, ut sit patrimoniale; per hoc, quod patrimoniale est, nihil in ipso imperio, consequenter nec in ulla ejus parte immutatur. Manet imperium, quale natura sua est, sicuti nec res ulla sive corporalis, sive incorporalis propterea mutatur, quod jure pleno dominii possideatur. Unde per se omnia in fumum abeunt, quæ contra regna patrimonialia urgentur, & supponunt, ipsum imperium ideo fuisse immutatum, ut tale non maneat, quale natura est, si pleno jure habeatur, quemadmodum res aliæ tam corporales, quam incorporales a dominis suis. Et falsum omnino est omnem abusum rei jure naturæ domino competere, quippe qui lege naturæ prohibitus (§. 170. *part.*

2. Jur.

2. *Jur. nat.*) & ab aliis saltem permittendus, aut, si mavis tolerandus, qui nullum jus in actiones domini habet (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*). Immo si accurate loqui velis, non tam datur abusus imperii, quam effrænata appetentia juris imperanti minime competentis. Quando itaque imperans facit, quæ imperii jure fieri non possunt, actus, qui exercitio imperii per naturam suam non insunt, non sunt abusus imperii, sed potius potentiæ, cui jus obtendit. Ideo quoque dominus non dicitur abuti dominio, seu jure, quod in re habet, sed re sua, & quod abusus rei ab alio ipsi permittendus, non a dominio venit, sed a libertate naturali (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamvis enim ob eandem pro lubitu de re sua disponere possit dominus (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); non tamen ea tollit obligationem naturalem re sua ita utendi, ut satisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. & §. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac ideo abusus rei manet lege naturali prohibitus (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*), etsi aliis non sit jus eum impediendi (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*). Abusus itaque rei suæ in dominio minime continetur, ut vi ejusdem domino sit licitus. Jus naturæ foret contradictorium, si daret jus ad agendum, quod prohibet. Et quamvis imperium perinde ac res aliæ corporales dicantur esse in dominio, non tamen ideo imperium & dominium confunduntur, sicuti nec res corporalis cum eodem confunditur, quia in eo esse dicitur. Alia enim est res, alius modus habendi rem. Ceterum non repugnare, ut aristocratia quoque sit patrimonialis, alias jam ostendimus (§. 156. *part.* 8. *Jur. nat.*). Ad modum habendi saltem accedit proprietas, ut regnum fiat patrimoniale, consequenter ea tantum in eodem locum habent, in aliis non, quæ ex jure proprietatis fluunt, quatenus juri utendi fruendi contradistinguitur.

§. 983.

§. 983.

De Rege captivo, si regnum non fuerit patrimoniale.

Si regnum non fuerit patrimoniale, Rex captivus pacem facere potest promittendo rem suam privatam, vel publicam sub conditione ratihabitionis, vel per eos, quibus administrationem imperii commisit: quodsi vero de ea nihil disposuit, pacem facere potest, qui proximam succedendi spem habet. Etenim de re privata Rex captivus disponit jure suo privato, non jure imperii. Quomodocunque igitur exercitium imperii liberum, dum in captivitate est, impediatur; id tamen minime obstat, quo minus ut captus privatus de suo disponere possit. Quatenus igitur pacem faciens rem suam privatam promittit, pacem facere potest. *Quod erat primum.*

Similiter etsi per captivitatem in eum statum sit redactus, ut verendum sit, ne in præjudicium Gentis suæ hosti promittere cogatur, quæ liber promissurus non erat; si tamen nil promittat nisi sub conditione ratihabitionis, id amplius verendum non est. Quamobrem pacem quoque facere potest promittendo rem publicam sub conditione ratihabitionis. *Quod erat secundum.*

Per captivitatem jus Regi non adimitur, sed tantummodo liberum ejus exercitium impeditur. Quemadmodum igitur absens id alii committere potest; ita etiam captivus potest. Quamobrem si per eos, quorum curæ administratio imperii ab eodem commissa, pax fiat, cum ad imperium quoque pertineat jus faciendi pacem (§. 978.); quin eam facere per eosdem possit, evidens est. *Quod erat tertium.*

Denique si Rex captivus de administratione nihil disposuit, perinde est, ac si mortuus esset, cum imperium nec per se, cum sit absens & dum captivus manet, liberum ejus

ejus exercitium impediatur, nec per alios exerceri possit, quoniam neminem nominavit, qui suo nomine id facere debeat. Enimvero si mortuus esset, imperium quoad exercitium, cum regnum patrimoniale non sit, *per hypothesin*, transiret in successorem (§. 279. *part. 8. Jur. nat.*). Ergo idem in eundem tamdiu transire debet, quamdiu pro quasi mortuo habendus, consequenter quamdiu in captivitate detentus administrationem imperii nemini committit, vel committere potest. Quamobrem idem quoque pacem facere potest. *Quod erat quartum.*

Quodsi legibus fundamentalibus aliter fuerit introductum, vel moribus cujusdam Gentis, id erit jus istius Gentis proprium, quo aliæ non tenentur.

§. 984.

De pace cum invasore, vel usurpatore imperii facienda.

Cum invasore, vel usurpatore imperii pacem facere licet, si ei fidem dederunt subditi. Etenim si fidem dederunt subditi invasori, vel usurpatori, præstito nimirum homagio; eidem promiserunt, consequenter sese obligarunt (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), quod actus regios pro jure factis agnoscere velint (§. 284. *part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem cum Gentes natura liberæ sint (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), ac ideo Gentibus aliis standum judicio uniuscujusque Gentis alterius in iis, quæ ad Remp. ejusdem spectant (§. 556. 157. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter quando cum Rectore civitatis agunt, sequi teneantur possessionem (§. 150. *part. 2. Jur. nat.*), pacem vero facere sit actus regius (§. 977. *h.* & §. 284. *part. 8. Jur. nat.*); quin cum invasore, vel usurpatore imperii, cui subditi fidem dederunt, pacem facere liceat, dubitandum non est.

Invasor imperii est, qui sine jure imperium vi, vel dolo occupat (§. 1073. *part. 8. Jur. nat.*). Enimvero fieri etiam potest, ut populus per injuriam Regem ejiciat, & alii imperium deferat. Is invasor respectu populi dici nequit, etsi respectu Regis, cui jus suum adimi nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), invasor dici posset. Utriusque autem respectu *Usurpator* dicitur, qui scilicet jus sibi non competens exercet, alieni juris possessor. Imperium populi est res propria (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*). Gentes igitur aliæ non habent jus impediendi, si vel maxime de eo per injuriam disponant (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*) : id quod tamen quoad invasorem non semper fit (§. 1077. *part. 8. Jur. nat.*). Quoniam vero ei, qui verum jus habet, jus suum non adimitur, quia possessionem amisit (§. 357. *part. 2. Jur. nat.*); quod diximus, Gentes sequi debere possessionem, id minime obstat, ut verum jus habenti in recuperanda possessione auxilia ferant (§. 617. 656.).

§. 985.

De pace a populi vel optimatibus facienda.

In statu populari pars major populi, in aristocratia pars major optimatum pacem facere possunt, dissentiente licet parte minore. Etenim in statu populari facere pacem populi est, in aristocratia optimatum (§. 978.). Enimvero quod in statu populari parti majori visum, id pro voluntate totius populi habetur (§. 157. *part. 8. Jur. nat.*), & quod in aristocratia parti majori optimatum visum, pro voluntate omnium habendum (§. 79. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem in statu populari pars major populi, in aristocratia pars major optimatum pacem facere potest, dissentiente licet parte minore.

Naturale esse, ut vota majora seu plurima concludant, nemo non agnoscit. Quamvis vero per pactiones id immutari possit

possit (§. 127. *& seqq. part.* 7. *Jur. nat.*), id tamen in pangenda pace vix ac ne vix quidem fieri potest, cum ea exitum habere debeat. Quomodo vero populus jus suum exercere velit, cum singuli cives ad commune consilium vocari commode non possint, moribus deferendum.

§. 986.

Quomodo pax pangi possit. *Pax fieri non potest eo modo, ut jus suum ex asse is consequatur, cui id debetur; sed nonnisi per transactionem.* Ponamus enim pacem fieri debere, quemadmodum rigor justitiæ exigit, ut ei, qui jus habet, id tribuatur (§. 926. *part.* 1. *Jur. nat.*); is, cujus justa fuerant arma, non solum consequi debebat debitum primarium, cujus causa bellum gestum fuit, verum etiam omnes sumtus in bellum factos (§. 786.); restituenda ipsi forent res vi injusta in bello ereptæ & damna quomodocunque data resarcienda (§. 788.). Immo ob injurias in bello factas pars adversa ipsi quoque teneretur ad poenam (§. 789.), de qua satisfaciendum foret, & securitati futuræ cavendum. Enimvero ex adverso quæ belligerator justus ultra modum debiti occupavit, ea restituere tenetur (§. 787.). Et quia facta quoque belligeratoris justi illicita sunt, sine quibus finem suum consequi poterat, damna quoque data alteri restituere & ob injuriam factam ad poenam tenetur, cum jam æquiparetur belligeratori injusto. Facile patet, si hoc modo pactio pacis fieri deberet, impossibile fore, ut ea habeat exitum, sed bellum aliter finiri tum non posse, nisi internecione vel unius, vel utriusque Gentis belligerantis. Pax igitur fieri nequit eo modo, ut jus suum ex asse is consequatur, cui id debetur. *Quod erat unum.*

 Verum

Verum enimvero quoniam fieri non poteſt, ut, dum de pace convenitur, facta accurata omnium cognitione, definiatur, quantum huic, vel alteri parti ſit tribuendum, aut reſtituendum, *per demonſtrata ;* ideo neceſſe eſt, ut ſepoſita quæſtione de jure inter ſe conveniant paciſcentes, quinam rem litigioſam habere debeat, & quid pars una alteri reſtituere, quid retinere, aut ad quid præſtandum una alteri obligata eſſe debeat. Quamobrem cum iſtiusmodi pactio transactio ſit (§. 879. 882. *part. 5. Jur. nat.);* pax fieri non poteſt, niſi per transactionem. *Quod erat alterum.*

Pacem non fieri niſi transigendo, experientia abunde confirmat. Ac ideo quoque quæ de pace fit pactio transactionis nomen ſortitur, ut per transactionem inter belligerantes definiri ſoleat. Si cauſa belli fuerit controverſa, non alia eſt juſta belli cauſa, niſi ut pars adverſa vi armorum ad transactionem adigatur (§. 631.), atque ideo non aliud agitur, quam ut tandem transigatur inter belligerantes. Et quis licitus ſit ſe tuendi, ſua recuperandi & poenas exigendi in bello etiam juſto modus, ex indiciis externis cognoſci minime poteſt. Ac ſuperius jam demonſtravimus, judicium de neceſſitate eorum, ſine quibus jus ſuum obtinere nequit, qui bellum gerit, ipſi relinquendum eſſe (§. 783.). Quodſi vero belligerantes inter ſe conquerantur de injuriis in bello factis, cauſa inter eos controverſa non aliter quam transactione componi poteſt. Alias enim propter eas bellum continuandum foret, donec tandem transigere cogantur.

§. 987.

Effectus transactionis pacis. Quoniam pactio pacis transactio eſt (§. 986.), transactione autem lis finitur (§. 880. *part. 5. Jur. nat.); pactione pacis perfecta bellum finitur,* conſequenter *neutri belligerantium jus aliquod ad hoſtilitatem amplius competit;* cumque transactione

ne facta prætenſio extinguatur, nec eam renovare liceat (§. 890. *part. 5. Jur. nat.*), nec detur ad rem litigioſam regreſſus, etiamſi poſthac probare poſſis, eam tuam eſſe, vel tibi deberi (§. 891. *part. 5. Jur. nat.*); *pace facta, propter eam cauſam, ob quam bellum geſtum eſt, denuo bellum ſuſcipi non poteſt.*

Ideo pax concludi dicitur æterna, vel in æternum; non quod neuter belligerantium alteri in poſterum bellum inferre velit, ſed quod inferre nolit eadem de cauſa, ob quam in præſenti geſtum. Equidem ſi transactio ſaltem ſpecialis fuerit, non renunciatur prætenſioni ad eandem rem, de qua transactum, quæ aliunde haberi poteſt, quam de quo in præſenti cogitatum (§. 889. *part. 5. Jur. nat.*); non tamen hoc obſtat æternitati pacis, modo ea cautione utaris, ut renuncietur omni prætenſioni, quomodocunque de eadem re fieri poteſt. Ita enim generalis erit transactio (§. 888. *part. 5. Jur. nat.*), qua omne jus ad eam rem, ob quam bellum geſtum, ac omne id, quod ad eandem referri poteſt, extinguitur.

§. 988.

Quænam rationes in pactione pacis attendendæ.

Similiter quia pax fieri nequit eo modo, ut jus ſuum ex aſſe conſequatur is, cui id debetur, ſed nonniſi per transactionem (§. 986.); *in pactione pacis nec cauſa belli deciditur, nec deciduntur controverſiæ, quæ de factis in bello moveri poterant* (§. 884. *part. 5. Jur. nat.*), conſequenter *neutra pars alteram injuſtitiæ & injuriarum damnat*, adeoque *in pactione pacis non rationes juſtificæ attenduntur, ſed uterque paciſcentium ad rationes ſuaſorias animum attendere tenetur* (§. 621.).

Quando conditiones offerendæ, vel oblatæ acceptandæ, in deliberationibus propriis rationes juſtificas non prorſus negligere debet, qui non minus conſcientiæ, quam utilitatis ſuæ rationem habere voluerit; non tamen eædem locum habent

in deliberationibus paciscentium communibus. In transactione de jure suo, quod quis habere prætendit, aliquid remittit (§. 883. *part. 5. Jur. nat.*), & prudentiæ est æstimare, quantum remitti consultum sit: quæ etiam potentiæ partis adversæ haud parum dari suadet, pro circumstantiis datis. Parendum necessitati, quod durum telum est.

§. 989.

Amnestia quid sit.

Amnestia dicitur injuriarum & offensionum antea illatarum in sempiternum sancita oblivio. *Amnestia* igitur *præstita*, cum omnia facta in oblivionem perpetuam & in immortale silentium deducantur, *nemo rerum ante actarum accusari, neve mulctari potest.*

Amnestiæ nomen ab Atheniensibus ortum duxit, qui, *Thrasybulo* autore, triginta tyrannis ejectis, legem tulerunt, ne quis rerum ante actarum accusaretur, neve mulctaretur, injuriarum offensionumve ultro citroque illatarum oblivione decreta, quam legem oblivionis ab iis appellatam fuisse *Cicero* refert. Nomen hoc etiam a nobis in sermone Germanico hodienum retinetur, quo oblivionem istam eine Amnestie dicere solemus, cum aliud vocabulum desit, nec novum condere libuerit. Ceterum ex definitione satis superque liquet, amnestiam decernendo id agi, ut per injuriam facta habeantur pro non factis: unde sponte sua fluit eorum impunitas.

§. 990.

Quoniam in pactione pacis neutra pars alteram injuriarum damnat (§. 988.), nec pace facta propter eam causam, ob quam bellum gestum est, denuo bellum suscipi potest (§. 987.), consequenter bellum & quicquid in eo factum est in perpetuam oblivionem & immortale silentium adducitur, injuriarum vero & offensionum antea illatarum

in

in ſempiternum ſancita oblivio amneſtia eſt (§. 989.); *in pactione pacis de amneſtia primo omnium loco conveniendum, eaque omni pactioni pacis per ſe ineſt, etiamſi non conveniatur.*

Obſervatur hoc hodie, ut de pace paciſcentes primo loco in amneſtiam conſentiant, ac ideo primus articulus amneſtiæ deſtinetur. Quamvis vero expreſſa amneſtiæ mentio non fieret, in eam tamen tacite conſentire tenentur, qui de pace facienda deliberant. Cum enim non id agant, ut cauſa belli & controverſiæ, quæ de factis in bello moveri poterant, decidantur (§. 988.), ſed ut per transactionem bellum finiatur (§. 987.), ſicque pax inter belligerantes reſtituatur (§. 959.); neceſſe omnino eſt, ut velint, belli ac eorum, quæ in bello facta ſunt, ſempiternam eſſe debere oblivionem, nec rerum actarum unum ab altero accuſari debere. Sane niſi hoc ſupponatur tanquam certum, bellum deletum dici nequit pace ſancita, cum ex eodem ſuperſint diſcordiæ bellum reſuſcitare aptæ, quod funditus extirpari jubet ſalus communis Gentium (§. 962. 963.), ſuprema utique in civitate maxima lex (§. 11.), perinde ac in quavis civitate particulari (§. 86. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 991.

In pactione pacis conveniendum, vel ut omnia reſtituantur in eum locum, quo fuerant ante bellum, vel ut maneant eo, quo ſunt loco, vel ut quædam in bello capta reſtituantur, alia retineantur, & ut quædam alia præterea præſtentur. Etenim cum in pace neutra pars alteram injuſtitiæ & injuriarum damnet (§. 988.), conſequenter nec in bello capta per injuriam erepta declarentur; ſed iis conditionibus transigendum, de quibus conveniri poteſt (§. 986.); id pro jure habendum, de quo conventum fuerit. Quamobrem cum aliter conveniri non poſſit, quam quomodo fieri poteſt, neceſſe autem ſit, ut vel omnia reſtituantur in eum locum, quo fuerant ante bellum,

Quomodo in pace conveniri poſſit.

vel

vel ut maneant quo ſunt loco, eo nimirum tempore, quo pax pangitur, vel ut quædam in bello capta ſaltem reſtituantur, alia retineantur, præterea autem aliæ quoque ſint præſtationes, ad quas Gentes ſeſe ſibi invicem obligare poſſunt, quod tanquam per ſe ſatis notum hic ſumitur; in pactione pacis conveniendum, vel ut omnia reſtituantur in eum locum, quo fuerant ante bellum, vel ut maneant quo ſunt loco, vel ut quædam in bello capta reſtituantur, alia retineantur, & præterea quædam in omni iſto caſu præſtentur.

Pacis negotium aliter exitum habere nequit, quam ut ea pangatur eo modo, quo belligerantes inter ſe convenire posſunt. Uterque dicit, ſe juſtam belli cauſam habuiſſe & nihil in bello per injuriam feciſſe. Nil igitur ſupereſt, quam ut eo modo conveniatur, quo fieri poteſt, ut quod ex pacto oritur jus ſanctitate foederum firmum efficiatur (§. 546. 547.). Quodſi dicas, transactionem iſtiusmodi ante fieri debere, quam ad bellum progrediantur controvertentes; haud difficulter patebit, id fieri vix poſſe. Quodſi enim quis nulla neceſſitate adactus nimis facilem ſe præbeat injuſta præſertim, aut nimis ſaltem dura petenti; verendum omnino eſt, ne lenitate ejus abutantur alii, ſicque ſecuritati ſuæ parum proſpiciatur. Hujus igitur cauſa præſtat præferre bellum, quam injuſta aut iniqua petenti facilem aurem præbere, ſit ita quod fortuna in bello minus favente in ea conſentire cogatur.

§. 992.

De his, de quibus in pactione nil dictum. *De quibus in pactione pacis nihil dictum, ea manent quo ſunt loco.* Quoniam enim neuter paciſcentium injuſtitiæ vel injuriarum damnatur (§. 988.); quæ in bello occupata ſunt quaſi jure occupata promiſcue cenſentur & ſimiliter quæ utrinque facta ſunt, quaſi absque injuriâ facta intelliguntur: quo inprimis etiam facit (§. 989.), quod omni pactioni pacis

cis

cis per ſe inſit amneſtia (§. 990.). Res igitur in bello captæ manent ejus, qui eas occupavit, ac damna ferre debet is, qui paſſus eſt, impenſas repetere nequit, qui fecit. De quibus igitur in pacis pactione nihil dictum eſt, ea manent quo ſunt loco.

Pacis pactione nihil in iis, quæ in bello facta ſunt, immutatur, niſi quatenus de iis certi quidpiam conventum. Alias enim bella ex bellis naſcerentur, quod perinde præcavendum inter Gentes (§. 22.), ac in civitate, ne ex litibus naſcantur lites (§. 984. *part. 8. Jur. nat.*). Quodſi expreſſe in amneſtiam conſenſum, quod fieri conſultum eſt, cum jus pactitium in dubitationem minus adduci poſſit, quam Jus Gentium voluntarium & naturale, ſive neceſſarium; revera quoque in hoc conſenſum eſt, ut ea, de quibus nihil dictum, maneant quo ſunt loco.

§. 993.

Quoniam ea manent, quo ſunt loco, de quibus in pactione pacis nil dictum (§. 992.); *quæ bello data ſunt damna, bello datis eorum nomine actio non eſt, niſi aliud convenerit.* *De damnis*

Quodſi enim aliter fuerit conventum, damna reſtituuntur ex pacto, non vero tanquam debitum jure belli contractum. Idem tenendum eſt de iis, quæ manent eo, quo ſunt loco. Retinentur nimirum ex pacto, vi clauſulæ amneſtiæ vel expreſſe adjectæ, vel pactioni per ſe inexiſtentis. Atque ita tollitur dubium injuſtæ acquiſitionis ex parte ejus, cujus bellum injuſtum, utpote qui nil jure occupat (§. 777.), niſi forſan ex cauſis ſubnaſcentibus, tum etiam ex parte alterius, cujus bellum juſtum eſt, ſi qua ultra debiti modum cepit (§. 787.). Patet præterea, jure naturæ ob incertitudinem ejus, quod jure fit in bello, nonniſi pace facta patere, quænam ab unaquaque belligerantium parte vere fuerint acquiſita, ſit ita quod durante bello apud Gentes pacatas acquiſita cenſenda

sint ejus, qui in bello occupavit (§. 892.) & pro talibus habeantur intra fines civitatis suæ. Jus dubium pactione pacis fit certum atque firmum.

§. 994.

De debitis & injuriis ante bellum, vel durante eo extra bellum contractis.

Quæ ante bellum debita fuerunt, nec non injuriæ ante idem factæ, sed ob quas bellum non fuit gestum, aut etiam debita durante bello aliunde contracta, vel injuriæ extra bellum factæ, per pacem non remissa intelliguntur, nisi de iis expresse fuerit dictum. Etenim clausula amnestiæ, sive de ea expresse fuerit conventum, sive eadem pactioni pacis saltem per se insit (§. 990.), extendi nequit ultra bellum & ea, quæ in bello facta sunt, cum paciscentes nonnisi de his cogitasse certum sit. Quamobrem nec per pactionem pacis remissa intelliguntur nisi ea, quæ ad bellum præsens spectant & in eo facta sunt. Quamobrem quæ ante bellum debita fuerunt, nec non injuriæ ante idem factæ, ob quas tamen bellum gestum non fuit, aut etiam debita durante bello aliunde contracta, vel injuriæ extra bellum factæ, per pacem remissa intelligi nequeunt. *Quod erat unum.*

Quodsi vero de iis in pactione pacis expresse fuerit dictum, clausula amnestiæ ad eadem extensa, quod tum cum ceteris simul remissa fuerint, dubitandi ratio nulla est. *Quod erat alterum.*

Quamvis in pactione pacis præcavendum, ne bellum ex bello oriatur (*not.* §. 992.); propterea tamen amnestia per se non extenditur ad ea, quæ ante vel extra bellum facta sunt. Fac enim ad arma veniendum iterum esse propter debitum aut injuriam istiusmodi; non tamen dici potest, bellum novum nasci ex præcedente, quod per pacem finitum fuerat. Inter rationes tamen suasorias locum habere hæc potest, ut amne-

ſtia expreſſe ita extendatur, ne novo cuidam bello cauſa ſuppetat.

§. 995.

De privatis debitis.

Quæ privatis deberi coeperunt ex contractibus, vel maleficio, belli tempore, pace remiſſa non cenſentur. Debitum enim hoc iſtiusmodi non ex eo venit, quod in bello factum; ſed ex pacto: quod cum etiam hoſti ſervandum ſit (§. 799.), bellum minime obſtat, ut debitum contrahatur, etſi vetet ne exigatur. Patet igitur ut ante debita iſta privatorum pace remiſſa non cenſeri (§. 994.).

E. g. ponamus debitorem meum cum patria ſua in hoſtium poteſtatem venire. Per ſe patet, uſuras, quarum dies ceſſit, tum a me exigi non poſſe. Sane ſi actionem intentare vellem, hoſtis id ſibi addicere poſſet prædæ nomine. Enimvero cum ex contractu oriatur jus meum, id ad bellum nullum reſpectum habet, nec ad idem extendi poſſunt, quæ de debitis remiſſis in pactione pacis dicuntur. Sublato igitur impedimento, poſtquam pax facta eſt, uſuras exigere poſſum. Alia vero eſt ratio, ſi hoſtis in bello debitum prædæ nomine ſibi addixit. Tum enim ad ea pertinet, quæ vi bellica detinentur. Idem intelligitur de poenis.

§. 996.

An res mobiles ſub reſtituendis comprehendantur.

Si in pactione pacis conventum fuerit, ut omnia reſtituantur in eum locum, in quo fuerant ante bellum, res mobiles ſub reſtituendis non comprehenduntur. Etenim cum curandum ſit, ut negotia exitum habeant (§. 886.); de reſtituendis quoque in pactione pacis aliter conveniendum non eſt, quam ut reſtitutio exitum habere poſſit. Enimvero ſi res mobiles reſtitui deberent, cum probare deberet is, cui

restituendæ essent, dominium suum adversus possessorem (§. 545. *part. 2. Jur. nat.*), &, si periisset, æstimatio præstanda foret, ut damnum resarciri posset (§. 572. *part. 2. Jur. nat.*), consequenter non modo probandum præterea foret, quinam rem captam teneret, verum etiam quod vi bellica sibi ablata fuisset, atque ideo facile patet, quot & quantis difficultatibus obnoxia sit rerum mobilium in bello captarum restitutio, ut inter paciscentes de pace exitum habere nequeat. Quamobrem si de rebus certis mobilibus restituendis nihil expresse fuerit dictum, nec de iis cogitasse intelliguntur paciscentes. Quodsi itaque in pactione pacis conventum fuerit, ut omnia restituantur in eum locum, in quo fuerant ante bellum; res mobiles sub restituendis non comprehenduntur.

Ad res mobiles itaque in hoc etiam casu extendenda est amnestia, sive expresse conventa fuerit, sive saltem per se pactioni pacis insit (§. 990.). Per se autem patet, si de rebus certis restituendis dictum fuerit, has restituendas esse: hic enim saltem quæritur quid valeat in eo casu, ubi in genere conventum, ut omnia restituantur, mobilium nulla expressa mentione facta. Ceterum ob eas, quas commemoravimus, difficultates aliasque, quæ supperaddi poterant, de restitutione rerum mobilium, nisi forsan certarum, quarum restitutio nihil difficultatis habet, in pactionibus pacis non conveniri, sed subinde certam restitutionis summam stipulari moris est.

§. 997.

Quando obligare incipiat pax.

Quamprimum pactio pacis fuerit perfecta, belligerantes statim obligantur; milites autem ac subditi utriusque a momento publicationis. Ostenditur eodem modo, quo idem de induciis supra demonstravimus (§. 919.).

Aliter

Aliter conveniri poſſe, veluti ut a certo die pax incipiat, per ſe patet. Tumque ſtandum eſt eo, quod conventum (§. 376. 547.).

§. 998.

Quoniam pactio belligerantes ſtatim obligat, quamprimum ea perfecta fuerit, non autem milites & ſubditos ante publicationem (§. 997.); *quod faciunt milites intra belli miniſterium, impune quidem faciunt, capta tamen poſt perfectas pactiones pacis & damna data utrinque reſtituenda.*

De reſtituendis poſt pactiones pacis perfectas captis.

Bellum nimirum ſtatim finitur (§. 987.), conſequenter quæ poſt pactiones pacis perfectas fiunt, per injuriam fiunt, adeoque qui injuriam fecit ad reſtitutionem tenetur. Ignorantia autem invincibilis cum excuſet milites, ipſi ad poenam non tenentur.

§. 999.

Quoniam pactio pacis belligerantes ſtatim obligat, quamprimum perfecta fuerit (§. 998.), conſequenter neutri belligerantium amplius jus eſt ad ullum actum bellicum (§. 987. 785.), exactio vero contributionum actus utique bellicus eſt; *poſt pactionem pacis perfectam nullas contributiones exigere licet, niſi ante debitas, ſed nondum ſolutas.*

De contributionibus poſt pactionem pacis perfectam exactis.

Conſultius tamen eſt, præſertim ubi de reſtituendis conventum, ut expreſſe conveniatur de contributionibus non amplius exigendis, ubi etiam vetari poteſt, ne exigantur jam antea indictæ, ſed nondum ſolutæ.

§. 1000.

Si res vi pacis reſtituenda, reſtituendi quoque ſunt fructus a die conceſſionis, non vero ante pacem percepti, vel debiti. Quam-

De fructibus rerum reſtituendarum vi pacis.

primum enim res restituenda, nihil in ea juris habet, qui eandem restituere debet, quod per se patet. Quamobrem nec jus percipiendi interea fructus eidem competere potest. Quoniam vero eo ipso momento quo ad restituendum obligatur, qui rem tenet, jus ejus incipit, cui eadem restituenda (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); jus quoque percipiendi fructus eodem momento ipsius esse incipit. Quamobrem si res vi pacis restituenda, restituendi quoque sunt fructus a die concessionis percepti. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam per amnestiam, quæ omni paci inest (§. 990.), remittuntur quæ in bello facta (§. 989.), fructus quoque ante pacem percepti restituendi non sunt, consequenter nec ii, qui ante pacem debiti fuerunt, quos tanquam suos exigere potest, qui rem tenet. *Quod erat alterum.*

Nimirum in pactione pacis non attenditur, utrum jure, an injuria præcepti fuerint fructus; sed, si vel maxime tanquam injuria percepti sumantur, injuria tamen remissa per amnestiam, restitutio quoque fructuum remissa

§. 1001.

De juribus rei restituendæ cohærentibus.

Si res vi pacis restituenda, jura quoque rei cohærentia restituenda. Etenim res ita restituenda, qualis in bello capta: id enim actum intelligitur, cum de ea restituenda conveniretur (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum res capta fuerit cum juribus eidem cohærentibus; ea quoque una cum re restituenda sunt.

§. 1002.

De locis munitis restituendis.

Si loca munita restituenda, ante restitutionem munimenta, quæ erant, cum occuparentur, demoliri non licet. Patet ex demonstra-

monstratione propositionis præcedentis, res tales restituendas esse, quales venerunt in hostis potestatem (§. 1001.). Quamobrem porro liquet, si loca munita restituenda, ante restitutionem demoliri non licere munimenta, quæ erant, cum ab hoste occuparentur.

Perinde nimirum foret, ac si urbem restituturus ante restitutionem domus incenderet, aut regionem restituendam vastaret. Alia vero ratio est, si qua munimenta hostis, dum locum tenuit, ipse excitavit: tum enim de his statuere potest, quemadmodum sibi visum fuerit, nisi conventum fuerit, ut locus munitus restituatur in eo statu, in quo nunc est. Similiter patet per amnestiam remissum intelligi, si munimenta durante bello fuerint diruta, cum ab hoste tenerentur.

§. 1003.

De nominibus regionum per pacem alteri relictarum.

Nomina regionum per pacem alteri relictarum accipienda sunt ex usu peritorum præsentis temporis. In pactis enim interpretandis a communi usu loquendi recedendum non est, nisi adsint rationes urgentes in contrarium (§. 470. *part. 6. Jur. nat.*), & quidem usus ejus temporis attendendus, quo pactio facta (§. 471. *part. 6. Jur. nat.*), qualis obtinet inter peritos (§. 478. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem nomina regionum per pacem alteri relictarum accipienda sunt ex usu peritorum præsentis temporis.

Vocabula signa sunt rerum. In pactione igitur pacis de rebus aliis cogitari nequit, quam quas tunc temporis, quando pax pangitur, significant inter peritos, quales sunt, qui de pace paciscuntur.

§. 1004.

§. 1004.

De rebus in pristinum statum restituendis.

Si vi pacis quædam restituenda in eum statum, in quo fuerant ante bellum; status ultimus intelligitur, qui erat, cum inciperet bellum, nisi is ad certum annum referatur. Pactio enim pacis non aliam admittit interpretationem, quam de quo fuit cogitatum (§. 512. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem quando paciscentes inter se conveniunt, ut res quædam restituantur in eum statum, in quo fuerant ante bellum, cum de alio statu cogitare non potuerint, nisi eundem ad certum annum retulerint, quam in quo res erant, cum bellum inciperet; status utique ultimus intelligitur, qui erat, cum inciperet bellum. *Quod erat unum.*

Quodsi vero ad certum annum eundem retulerint, tunc talis utique intelligendus, qualis isto anno erat (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Paciscentes non volunt, ut nihil actum sit, quando de rebus in pristinum statum restituendis disponunt. Quamobrem si se invicem intelligere debent, de alio statu sermo esse nequit, nisi qui erat, cum bellum inciperet. Hinc quod ab hoste captum a nobis durante bello recuperatum nostrum manet, non ipsi restituendum, quia nostrum erat, cum bellum inciperet.

§. 1005.

De iis, qui jure se sponte belligerantium subjecere.

Si populus sui juris, vel etiam ii, quos Gens sua defendere vel non potuit, vel noluit, durante bello, belligeranti uni se sponte subjecit; ad eos restitutio in pactione pacis conventa non pertinet. Etenim populus sui juris & qui ei æquiparantur, scilicet quos Gens sua defendere nequit, vel non vult (§. 867.), si sua sponte se subjicit belligerantium uni; id ad bellum non pertinet,

net, licet occaſione belli fiat, cum bellator eosdem ſibi non ſubjecerit actu bellico, ſed ipſimet ſuo jure ſe eidem ſubjecerint, conſequenter ex pacto jus ſuum acquiſivit belligerator. Quamobrem cum in pactione pacis transigatur de iis, quæ actu bellico facta ſunt (§. 986.), adeoque ultra ea extendi nequeat reſtitutio conventa, hæc quoque non pertinet ad populum ſui juris, vel etiam eos, quos Gens ſua defendere vel non potuit, vel noluit, ubi durante bello ſponte ſeſe belligerantium uni ſubjecerunt.

Quodſi deditio facta a non libero, vel inferiore, hoſtis quoque jus nullum acquirere potuit, conſequenter deditos, quos per injuriam tenet ſibi ſubjectos, reſtituere tenetur, etiamſi de reſtitutione nihil fuiſſet conventum. Poſſe autem etiam conveniri, ut reſtituantur in ſtatum priſtinum qui ultro ſeſe, ſed jure ſuo ſubjecere, per ſe patet. In pace enim transactione conveniri etiam poteſt de præſtationibus, quæ ad bellum, quod geſtum fuit, & ad ea, quæ in bello facta ſunt, nullum reſpectum habent, modo de iis expreſſe dicatur (§. 991.), ſicuti in transactione omni de certis præſtationibus conveniri poteſt, quæ ad rem litigioſam minime pertinent (§. 881. *part. 5. Jur. nat.*). Pax pangitur belli finiendi cauſa (§. 959.). Quamobrem paciſcentium animo non obverſantur niſi ea, quæ vi bellica facta ſunt, ac ideo quando de reſtituendis agitur, non cogitatur niſi de reſtituendis iis, quæ vi hoſtili erepta ſunt, vel etiam dolo (§. 857.).

§. 1006.

De relatione ad alias pactiones præcedentes.

Si in pactione pacis relatio fit ad alias præcedentes; ea valebunt de re conventa, quæ in his expreſſius dicta ſunt. Nemo enim non videt brevitatis tantummodo cauſa relationem ad alias præcedentes fieri, ne ibidem dicta denuo ſint repetenda. Quamobrem evidens eſt in ea conſentire paciſcentes,

quæ de re conventa in præcedentibus pactionibus expressius dicta sunt. Quoniam itaque mutuo consensu perficitur pactio (§. 819. *part. 3. Jur. nat.*); si in pactione pacis relatio fit ad alias præcedentes, ea valebunt de re conventa, quæ in his expressius dicta sunt.

Haud obscure intelligitur, quæ hic de pactionibus pacis dicuntur, eadem valere de foederibus & pactionibus aliis quibuscunque. Hæc autem relatio ad pactiones præcedentes frequentissima est, & fieri quoque potest, ut tota quædam pactio anterior renovetur, nec quæ nunc fit non sit nisi renovatio anterioris cujusdam, vel etiam præsens contineat confirmationem anteriorum vel sine ulla mutatione, vel in nonnullis mutatis. Talia nimirum dependent a voluntate transigentium.

§. 1007.

De alienando per pacem imperio & rebus, quæ sunt in dominio populi.

Si per pacem vel imperium totum, vel pars ejus alienari debet, & regnum fuerit patrimoniale, Rex id facere potest, sine populi consensu: quodsi vero fuerit usufructuarium, ad alienationem requiritur in casu priori populi, in posteriori & populi, & ejus partis, in quam sit alienatio consensus, declaratus vel verbis, vel factis, quando nempe Rex in summa necessitate constitutus pacem aliter impetrare non potest, aut ratihabitio accedit, dum populus novo acquirenti sine ulla contradictione homagium præstat. Idem intelligitur de rebus, quæ sunt in dominio populi vel universitatis cujusdam. Si enim regnum fuerit patrimoniale, Rex prouti sibi visum fuerit, imperium in personam extraneam quamcunque transferre (§. 283. *part. 8. Jur. nat.*), & nisi rationes particulares obstent, idem quoque in partes subjectivas dividere potest (§. 294. & *seqq. part. 8. Jur. nat.*). Quamobrem nil obstat, quo minus etiam per pacem vel imperium totum, vel partem ejus alienare

alienare possit sine consensu populi: id quod etiam naturæ regni patrimonialis convenit (§. 155. *part. 8.* & §. 131. *part. 2. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Enimvero si regnum fuerit usufructuarium, imperium alienare nequit, sed actus ejus ipso jure nullus est, &, si tradere velit, populus resistere potest (§. 1058. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo per pacem alienandum, populi ad hunc actum requiritur consensus, penes quem est imperii proprietas (§. 34. *part. 8. Jur. nat.*). *Quod erat secundum.*

Quoniam vero universus populus obligatur singulis, ac per consequens cuilibet suæ parti ad salutem ejus promovendam (§. 28. 17. *part. 8. Jur. nat.*): a qua obligatione cum seipsam liberare non possit (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*), imperium quoque in ipsam sine ejus consensu alienari nequit. *Quod erat tertium.*

Cum consensus tam verbis, quam factis declarari possit (§. 660. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad alienationem vero imperii per pacem a Rege usufructuario factam requiratur cum populi *per demonstrata n. 2.* tum ejus partis, in quam fit alienatio, consensus, *per demonstrata n. 3.* si a Rege usufructuario per pacem imperium alienandum sive in totum populum, sive in partem ejus, perinde quoque est, sive consensus verbis expresse, sive tacite seu facto declaretur. *Quod erat quartum.*

Si jus pangendi pacem Regi competit (alias enim cessat præsens quæstio), cum voluntate populi in ipsum fuerit translatum (§. 133. 139. *part. 8. Jur. nat.*), in id quoque se consensurum populus facto ipso declaravit, quod ad pacem impetrandam necessarium fuerit. Quodsi ergo Rex in

 extrema

extrema necessitate constitutus vel imperium totum, vel ejus quandam partem alienare cogatur, ut pacem impetret; consensum expressum non demum requirere tenetur. *Quod erat quintum.*

Denique si Rex per pacem imperium alienavit vel totum, vel in partem ejus, & populus hoc quomodocunque ratihabuerit, veluti si non contradicat, & homagium novo acquirenti ultro præstet, cum tunc perinde sit, ac si ante perfectam pacis pactionem consensisset; alienatio valida est. *Quod erat sextum.*

Cum res, quæ sunt in dominio populi, per pacem alienantur, perinde de jure populi disponitur, ac si imperium alienatur. Quamobrem facile patet, quæ de alienatione imperii demonstrata sunt, ea eodem modo intelligi de alienatione rerum, quæ sunt in dominio populi, ut ea seorsim demonstrari non sit opus.

Judicium de eo, sine quo pax impetrari nequit, utique est penes Regem, quemadmodum in genere judicium de iis, quæ ad Remp. conservandam & perficiendam necessaria sunt, penes ipsum est, nisi per leges fundamentales certus agendi modus præscriptus fuerit. Ac tanto facilius in præsenti negotio statur judicio Regis, quia Rex nullus imperium in partem quandam populi, multo minus in totum populum alii concedet, nisi summa necessitate compulsus, ut aliter pacem impetrare non possit. Vix itaque atque ne vix quidem concipi potest casus, in quo dispositioni de alienatione imperii sive totius, sive partis subjectivæ non insit tacitus populi & partis ejus, in quam fit alienatio, consensus. Accedit respectu partis, quod, sicuti parti populi jus est se imperio hostis subjiciendi, si Gens sua eam adversus vim hostilem defendere nequit (§. 868.), ita ex adverso non minus populo jus esse debeat,

debeat, ut partem quandam a se separet, si alias se conservare nequit (§. 164. *part. 7. &* §. 4. *part. 8. Jur. nat.*), præsertim cum ea non perdatur sed alterius civitatis membrum fiat. Quod vero succedit in populo, vel parte cujusdam populi, id multo facilius locum habet in rebus publicis & rebus universitatis (§. 88.), præsertim cum dominium Gentis cum imperio connexum sit (§. 305.) & eodem modo in Rectorem civitatis transeat, quo hoc in ipsum transfertur (§. 306.). Id hic inprimis notandum est, quæ de alienando imperio demonstrantur, non intelligenda esse de deditis in bello vel vi occupatis: de his enim cum transigatur in bello, quatenus ea sint restituenda, in pactione pacis nulla quæstio est, utrum sint concedenda, nec ne. Si pax aliter obtineri nequit, quam ut vel omnia maneant, quo sunt loco, vel ut non omnia restituantur, requisitio consensus populi per se cessat. Et quod res publicas & universitatis attinet, considerandum præterea est, Rectori civitatis quoque in eas competere dominium eminens (§. 92. 102.), vi cujus in casu necessitatis disponere de iis potest, prouti salus publica exigit (§. 93. 103.).

§. 1008.

De rebus & personis privatis.

In pactione pacis Rector civitatis disponere potest de rebus privatis subditorum vi dominii eminentis: immo & de personis vi potestatis eminentis. Etenim vi dominii eminentis de rebus privatis subditorum (§. 110. 111. *part. 8. Jur. nat.*) & vi potestatis eminentis de ipsis quoque personis in casu necessitatis disponere potest Rector civitatis, salutis publicæ causa (§. 113. 114. *part. 8. Jur. nat.*). Debet hoc Rector civitatis subditis suis ut pacem omni modo conservet (§. 962.), consequenter etiam ut turbatam restituat, & ut bellum vitet, quantum potest (§. 964.), consequenter etiam ut, si eidem fuerit implicitus, finire id studeat, cumque in pactione pacis non decidatur causa belli, nec decidantur controversiæ,

quæ de factis in bello moveri poterant (§. 988.), sed transigendo (§. 986.) pax fieri debeat sub iis conditionibus, quæ obtineri possunt (§. 991.); de iis, quæ in pace alteri conceduntur, pro arbitrio suo disponere nequit qui pacem facit. Quamobrem evidens est, quod, quando in pactione pacis disponendum est de rebus privatis subditorum, vel ipsis etiam personis, id fieri in casu necessitatis utilitatis publicæ causæ. Vi igitur dominii eminentis de rebus privatis subditorum & vi potestatis eminentis de ipsis etiam personis in pactione pacis disponere potest Rector civitatis.

Ad quid vero deinde civitas teneatur illis, de quorum rebus vel personis fuit dispositum, id non ad pactionem pacis pertinet, & alibi demonstratum (§. 119. *part. 8. Jur. nat.*).

§. 1009.

De sociis in bello. *In foedere pacis comprehenduntur etiam socii: si tamen cum his peculiare fuerit bellum, cum ipsis quoque pax expresse pangenda.* Qui enim in bello alteri belligerantium parti se associant sive auxilia, sive subsidia mittendo, aut alio quocunque modo eum adjuvando; quicquid in bello agunt, non suo nomine agunt, sed ejus nomine, cui se associant & cujus causam defendunt. Quicquid igitur in bello agunt, id ad bellum, quod geritur ab eo, cui se associant, pertinet. Quamobrem cum per amnestiam, quæ, licet expresse non fuerit conventa, omni pactioni pacis per se inest (§. 990.), omnia in bello facta in oblivionem perpetuam & immortale silentium deducantur, ut nemo rerum in bello actarum accusari, neve mulctari possit (§. 989.); amnestia quoque ad socios extenditur. In foedere igitur pacis iidem etiam comprehenduntur. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero si peculiare bellum cum iis fuerit gestum, quæ in hoc facta sunt, ad bellum ejus, cui associarunt, minime pertinet, licet hujus occasione illud fuerit natum. Quamobrem nec pactio, quæ de illo finiendo fit, ad hoc quoque extendi potest. Necesse igitur est, ut cum sociis quoque expresse pax pangatur. *Quod erat alterum.*

Non uno modo contingit peculiare esse cum sociis bellum. In gratiam belligerantis unius, qui eidem foedere junctus, alteri belligerantium suo nomine bellum indicere & alio in loco cum proprio exercitu adversus eum agere potest, sive aperte causam illius defendendo, sive causam aliam prætexendo. Similiter ex adverso ab eo, contra quem auxilia, vel subsidia mittuntur, aut alia adjumenta præstantur, bellum mittenti, vel adjuvanti indici & adversus ipsum hostiliter agi potest, aut etiam bello non indicto arma eidem inferri possunt, ut ipso facto peculiare cum eo bellum fit. In hisce igitur casibus pacem peculiariter pangi necesse esse a foederatis, nemo non videt. Quemadmodum etiam evidens est, foederatos pacem particularem facere posse, ut bellum, quod cum ipsis est, finiatur, nisi in foedere fuerit contentum, ne unus foederatorum absque altero faciat.

§. 1010.

Rebelles dicuntur subditi, qui arma injusta sumunt adversus Rectorem civitatis. Atque is status non bellum, sed *Rebellio* vocatur, idiomate patrio ein Aufruhr. *In rebellione* autem *id agitur, vel ut imperio exuant Rectorem civitatis, vel ut eum ad conditiones quasdam acceptandas cogant.* *Rebellio quid sit.*

Quandonam injusta & impia sint subditorum in Rectorem civitatis arma, ex principiis Juris publici universalis in parte octava Juris naturæ demonstratis definiendum. Haud raro desperatio subditos facit rebelles, si Rector civitatis suæ utilitatis

tatis causa eos nimium oneret, aut juribus ac privilegiis, quibus fruebantur, privet, & si qua sunt alia, quæ regimen ipsius intolerabile efficiunt. Quamvis enim obligentur ad obedientiam cum patientia (§. 1043. *part. 8. Jur. nat.*); patientia tamen nimis læsa tandem fit furor, ut jugum sibi intolerabile visum excutere conentur.

§. 1011.

Bellum civile quid sit.

Bellum vero *civile* dicitur, quo justa arma adversus Rectorem civitatis sumunt subditi. Quamobrem cum rebellio injustam habeat causam §. 1010.), civile autem bellum justam; *rebellio bellum civile non est & contra*, consequenter *nec subditi bellum civile excitantes sunt rebelles*. In casu dubio cives adversus Rectorem civitatis arma sumentes dicuntur idiomate patrio die Misvergnügten, vel voce a Gallis mutuata, sed tantisper immutata die Malcontanten, quasi male contenti regimine scilicet præsenti.

Cum exterarum Gentium non sit judicium de iis, quæ inter subditos & Rectorem civitatis alicujus intercedunt, utpote quæ sese regimini aliorum inmiscere non debent (§. 257.); non rebellionem vocabunt, si subditi arma sumunt in superiorem, nisi manifestissima sit horum injuria: dicent potius bellum civile, idiomate patrio innerliche Unruhe, & vi adversus superiorem agentes male contentos.

§. 1012.

An bellum civile sit licitum.

Quoniam bellum civile est, quo arma justa in Rectorem civitatis sumunt subditi (§. 1011.), arma autem justa non intelliguntur, nisi quando Rectori civitatis vi resistere licet, quod in quibusdam casibus licere alibi demonstravimus (§. 1054. *part. 8. Jur. nat.*); *bellum civile licitum est in omni casu, in quo Rectori civitatis vi resistere licet.* Quoniam subdi-

subditis saltem supplicare licet, superiore imperante, quod nimis durum, vel iniquum videtur (§. 1051. *part. 8. Jur. nat.*), &, si precibus locum dare nequit, obedire tenentur (§. 1052. *part. 2. Jur. nat.*), immo nec magistratibus competit jus injuriis ejus resistendi (§. 1053. *part. 8. Jur. nat.*); *si injuriis Rectoris civitatis vi resistatur, bellum civile non est* (§. 1011.), *sed rebellio.*

Equidem legi naturæ repugnantia imperanti obediendum non est (§. 1044. *part. 8. Jur. nat.*); si tamen inobedientiam justam punire audeat, id patienter ferendum (§. 1045. *part. 8. Jur. nat*). Poenam tamen ut effugiant innocentes, fugere licet & supplices fieri apud aliam Gentem, quæ extraditionem bonorum relictorum urgere potest. Sed de his & aliis huc spectantibus ut plura dicamus, non est hujus loci.

§. 1013.

Tumultum dicimus eum statum, quo turba confluens vim infert magistratibus, aut aliis potestatibus minoribus, vel earum rebus, tum etiam privatis eorumque rebus aut saltem inferre minatur. Idiomate patrio dicimus **einen Aufstand.** *Tumultus quid sit.*

Differt omnino tumultus a rebellione, cum in hac vis armata inferatur potestati summæ; in illo autem nonnisi potestatibus minoribus, vel privatis. Rebellio propius accedit ad bellum civile, a quo nonnisi justitia caussæ differt, quam tumultus ad rebellionem. Exemplum tumultus est in rusticis, qui una cum servis, mulieribus atque ancillis fustibus, baculis, lapidibus, ligonibus aliisque instrumentis magistratui resistunt & executionem impediunt.

§. 1014.

Quale sit delictum. Quoniam *tumultus* tranquillitatem publicam turbat (§. 11. *part. 8. Jur. nat.*); *crimen*, seu *delictum publicum est* (§. 581. *part. 8. Jur. nat.*), *& tumultum excitantes, vel foventes eidemque sese immiscentes criminis rei sunt*, consequenter *pro diversitate circumstantiarum a superiore puniendi* (§. 626. *part. 8. Jur. nat.*).

Merentur nimirum poenam tum tumultus autores, tum qui iisdem se associant & ad tumultum quomodocunque concurrunt, etsi subinde necesse sit poenam remitti per amnestiam (§. 989.).

§. 1015.

De iis, quæ rebellibus & tumultuantibus promittuntur. *Quæ rebellibus & tumultuantibus rebellionis aut tumultus sedandi causa promittuntur a summa potestate; ea sunt servanda.* Ostenditur eodem modo, quo supra demonstravimus, quæ hosti tanquam hosti, prædoni & latroni tanquam prædoni & latroni promittuntur, servanda esse (§. 799.).

Equidem cum rebellibus & tumultuantibus pacis factio non est, cum pacem non faciant nisi summæ potestates inter se (§. 977.); non tamen hoc obstat, quo minus sedandæ rebellionis, aut sedandi tumultus causa pactio fiat, si aliter sedari non possit, saltem non consultum sit. Pactiones autem istæ, vel etiam nuda ex parte superioris promissa non minus servanda sunt, quam pactiones cum hoste durante bello.

§. 1016.

De amnestia rebellibus & tumultuantibus promissa. Quæ rebellibus & tumultuantibus rebellionis aut tumultus sedandi causa promittuntur a summa potestate, cum servanda sint (§. 1015.); *si amnestia promissa fuerit, nullus quoque eorum, quæ in rebellione vel tumultu facta sunt, accusari, neve multari potest* (§. 989.).

Amne-

Amnestiam exempli loco in medium afferre lubet: pro diversitate enim circumstantiarum alia quoque promitti possunt, veluti ut onera quædam cessent, ut privilegia debeant esse restituta & quæ sunt alia, quæ causam rebellioni & tumultui dederunt, salva etiam poena in auctores rebellionis & tumultus.

§. 1017.

An pactio pacis populum & successores obliget.

Pactio pacis etiam obligat Gentem, sive populum, & successores. Evidens est, pactionem pacis utilitatis publicæ manentis causa fieri (§. 959.) & esse foedus reale (§. 419.). Enimvero foedus a Rectore civitatis utilitatis publicæ causa initum reale Gentes quoque & successores obligat (§. 424.). Pactio igitur pacis etiam obligat Gentem, sive populum, & successores Rectoris civitatis.

Pacem facere pertinet ad exercitium imperii, quod est Rectoris civitatis præsentis. In actus igitur ad id spectantes, qui relicti sunt & relinqui debuerunt judicio Rectoris civitatis præsentis, nullum jus competit successoribus, ut ideo eorum consensus non sit requirendus, qui spem succedendi habent, ad pactionem pacis. Quamobrem successores obtendere nequeunt, quasi pax in eorum præjudicium sit facta. Fieri non potuit nisi sub his conditionibus, quæ pro datis circumstantiis obtineri potuerunt.

§. 1018.

De mora in præstandis conventis non ferenda.

Quæ in pactione pacis conventa fuerunt, ut dentur, reddantur, vel restituantur; ea præstanda sunt sine mora. Etenim si nullum adjectum fuerit tempus, utique conventum intelligitur, ut præstentur statim; si vero tempus fuerit adjectum, ut præstentur intra tempus conventum. Quodsi ergo arbitrio ejus, qui præstare debet, non relictum, quando præ-

ſtare velit, pacta vero ſervanda ſunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*): quæ in pactione pacis conventa fuerunt, ut dentur, reddantur, vel reſtituantur, ea quoque ſine mora præſtanda ſunt.

Vide, quæ de debito præciſe ſolvendo alibi demonſtravimus (§. 665. 666. *part. 5. Jur. nat.*), itemque de mora in ſe illicita (§. 652. *part. 3. Jur. nat.*) & ejus purgatione (§. 653. 654. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 1019.

De poſtliminio eorum, quæ per pacem reſtituuntur.

Quæ per pacem reſtituuntur, poſtliminium habent. Etenim Gens quælibet, conſequenter & Rector civitatis (§. 39.), jura ſubditorum ſuorum adverſus vim hoſtium externam defendere tenetur (§. 4. 28. *part. 8. Jur. nat.*), conſequenter etiam operam dare, ut ab hoſte capta recuperentur. Quocunque igitur modo recuperentur, in priſtinum ſtatum reſtituenda, cum nulla ad ſit ratio, cur in eo quicquam immutandum, quod enim capta fuerunt ab hoſte, ratio nulla eſt (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem quæ per pacem reſtituuntur, poſtliminium habent (§. 896.).

Cum jure naturæ captivi non fiant ſervi (§. 814.), ſed pace facta dimittendi (§. 815. & *ſeqq.*), conſequenter vel permutandi, vel certo pretio, de quo conveniri conſultum eſt (§. 817.), dirimendi, quemadmodum etiam inter chriſtianos moris eſt; jure naturæ ceſſat quæſtio, num & quando in pace captivis fit poſtliminium. Debet ipſis hoc civitas, ut eos a captivitate liberet & in priſtinum ſtatum reſtituat.

§. 1020.

Quando pax rumpi dicatur.

Pax rumpi dicitur, ſi pactio pacis non ſervetur, ſeu ſi quis quid facit, quod vi ejuſdem facere non poterat, nec debebat,

debebat, aut non facit, quod vi ejusdem facere debebat. *Ruptio* ideo *pacis* vocatur, idiomate patrio, ein Friedens-Bruch, factum tam positivum, quam negativum pactioni pacis contrarium. In genere autem *foedus* quodlibet *rumpi* dicitur eodem sensu. Et qui pacem, vel foedus rumpit, *Ruptor pacis* vel *foederis* appellatur.

Ruptio pacis foedissima injuria est, cum fidem fallat ruptor (§. 759. *part. 3. Jur. nat.*), quæ inter Gentes sancta esse debet (§. 550.), non sine perfidiæ nota (§. 766. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 1021.

Quoniam pace facta propter eam causam, ob quam bellum gestum est, denuo bellum suscipi nequit (§. 987.), nec vi amnestiæ, quæ omni paci inest, etiamsi expresse de ea non fuerit conventum (§. 990.), ob ea, quæ in bello isto facta fuerunt (§. 989.), pacem vero rumpit, qui facit, quod vi pactionis pacis facere non debebat (§. 1020.); *Qui ob eandem causam, ob quam bellum gestum fuerat, vel ob ea, quæ in eodem facta fuerunt*, consequenter *sine ulla nova causa vim bellicam infert; pacem rumpit.* *De bello veteri resuscitato.*

Qui sine nova causa in arma denuo ruit, facit contra id, quod omni paci inest. Quia in hoc casu pacis violatio adeo evidens est, ut haud facile quis pace facta arma repetat, nisi nova causa obtenta. Nimis odiosum nomen est Ruptoris pacis inter Gentes, quam ut quis idem non curaret.

§. 1022.

Articuli pacis dicuntur singulæ conventionis partes, quibus distinguuntur ea, de quibus sigillatim quidpiam fuit conventum. *Articuli* autem *connexi* sunt, in quibus conveni- *Articuli pacis quid sint.*

tur de rebus ad eandem causam pertinentibus: *diversi*, in quibus convenitur de rebus ad diversam causam spectantibus. Quamobrem cum sint tot diversa pacta, quot res ad diversas causas pertinentes; *articuli pacis connexi ad pacem eandem spectant, diversi vero separatam quandam faciunt.*

Non singulare hoc est in instrumentis pacis: fieri enim etiam potest, ut in aliis instrumentis de rebus diversis simul agatur, veluti si quis domum vendit & ex alia causa centum promittit. Diversus hic est contractus emtionis venditionis & diversa stipulatio, ex qua centum debentur.

§. 1023.

De ruptione pacis in articulis diversis.

Quoniam tot sunt paces diversæ, quot articuli diversi & nonnisi connexi ad eandem pacem spectant (§. 1022.); *si pax rumpitur in articulis diversis, in cæteris durat.*

Eodem sane modo in casu simili, quem illustrationis causa allegavimus (*not.* §. 1022.), qui domum tradit, ast centum solvere non vult, contractum venditionis non violat, sed saltem stipulationem. Plurimum refert accurate discernere, utrum pax tota rupta sit, uno pacis articulo rupto, nec ne. Atque ideo articuli connexi a diversis probe a se invicem sunt distinguendi, ne obligationes diversæ & separatæ, quarum una ab altera non pendet, confundantur in unam communem. Injuria nimirum si committatur in articulo uno, sed diverso, & propterea in arma veniatur, bellum nullum respectum habet ad ea, de quibus in ceteris articulis conventum. In pactione pacis proprie non transigitur, nisi de belli causa & iis, quæ in bello facta sunt; per stipulationem vero accedunt præstationes aliæ ad istam nullum respectum habentes (§. 991.).

§. 1024.

§. 1024.

Pax rumpitur, etiamsi minoris momenti capita violentur. Etenim pax rumpitur, quando quid fit contra id, quod in pace dictum est (§. 1020.). Quamobrem cum hoc obtineat, si minoris quoque momenti capita violantur; pax rumpitur, etiamsi minoris momenti capita violentur. *An pax rumpatur ob leviorem transgressionem.*

Nimirum fides ut sancta sit, consequenter quod promissum est inviolabile (§. 546.), non inde venit, quod res majoris momenti promissa, sed quia promissa. Fallitur fides, etiam si non servetur promissio rei minoris momenti (§. 759. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 1025.

Pax non rumpitur, si ob novam causam bellum inferatur. Pactione pacis saltem conventum, ne propter eam causam, ob quam bellum gestum est, denuo bellum suscipiatur (§. 987.). Quodsi ergo bellum inferatur ob novam causam, id contra pactionem pacis non fit, consequenter nec pax rumpitur (§. 1020.). *De bello ob novam causam illato.*

Perinde est, sive injuria, quæ novo bello causam dat (§. 617.), commissa fuerit ante bellum anterius, sive in eodem, sive post idem. Vide etiam, quæ supra annotavimus (*not.* (§. 987.), quomodo eadem causa formam novæ induere possit.

§. 1026.

Quoniam pax non rumpitur, si ob novam causam bellum inferatur (§. 1025.), perinde vero sit, sive tuo nomine alteri bellum inferas, sive alii te associes, cum in utroque casu hostiliter adversus eum agas, cum quo pax fuerat conven- *De foedere belli inito adversus eum, cum quo pacem fecisti.*

conventa; *pax non rumpitur, etiamsi posthac alii te associes, qui bellum ei, cum quo pacem fecisti, infert.*

Patet itaque, illicitum non esse, ut foedus belli pangatur adversus eum, cum quo pacem feceras, nec hunc te perfidiæ accusare posse, nisi pax ita inita fuerit, ne posthac ulli adversus alterum in bello te associes. Tunc enim obligatio nascitur ex pacto speciali, quo tibi ademtum est jus alias natura competens. Est tamen hæc pactio articulus diversus, non connexus, nisi expresse addatur, pacem ruptam esse debere, si hoc fiat, ita ut ab eo tanquam a conditione potestativa suspendatur concessio ceterorum, de quibus conventum (§. 1022.).

§. 1027.

De sociis & subditis contra pacis pactionem facientibus.

Si qui fuerant in bello socii, aut subditi tui sine consensu tuo, vel subsecuta ratihabitione faciant, quod est contra pactionem pacis; pax non rumpitur. Etenim quamprimum bellum finitur, consequenter facta pace (§. 975.), qui fuerant in bello socii tales esse desinunt. Quoniam itaque ipsorum factum a voluntate tua non amplius pendet, nec id tibi imputari potest (§. 650. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem si faciunt, quod est contra pactionem pacis, a te pax rupta dici minime potest (§. 1020.). *Quod erat unum.*

Similiter patet, si quis subditorum tuorum sine consensu tuo, vel absque subsecuta ratihabitione faciat, quod est contra pactionem pacis; id non pendere a voluntate tua. Unde porro ut ante sequitur, pacem non rumpi. *Quod erat alterum.*

Tenentur subditi ei, cum quo pax facta, ad damni reparationem (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*), tibi vero ad poenam (§. 647. *part. 8. Jur. nat.*). Atque hinc patet, quid fieri debeat, ne factum subditorum ratihabendo facias tuum. Ratihabitio autem

autem ut sit manifesta, recte *Grotius* lib. 3. c. 20. §. 30. observat, tria requiri, nimirum scientiam, puniendi potentiam & neglectum, illam vero evincere facta manifesta aut ab eo, cui injuria facta, denunciata, eam præsumi, nisi subditorum seditio fuerit manifesta, hunc denique ostendere elapsum temporis spatium, quale ad crimina punienda in quaque civitate sumi solet.

§. 1028.

De subditis, si aliis bellum gerentibus militent.

Si subditi tui aliis bellum gerentibus militent citra tuum decretum; pax non rumpitur. Etenim si in civitate prohibitum non est, ut subditi sive mercede conducti, sive gratis aliis militent, quod alias permissum, pactione pacis sublatum intelligi nequit, nisi expresse fuerit conventum, ne permittatur, ut posthac contra se militent. Quoniam itaque nihil fit contra pactionem pacis, si militent; nec propterea pax rupta dici potest (§. 1020.).

Equidem *Grotius* l. c. §. 31. id non permittendum esse censet, nisi probabilibus argumentis appareat, actum aliud; nullam tamen sententiæ suæ rationem affert. Ex adverso autem nulla apparet ratio, cur per pacem licitum esse non debeat, quod alias fuerat licitum, cum de eo in pactione pacis nihil in contrarium fuerit conventum. Alia vero est ratio, si decreto publico militent, tunc enim adjuvas hostes ejus, cum quo pax inita.

§. 1029.

Si subditi contra articulos pacis lædantur.

Si subditi tui contra articulos pacis læduntur, pax rumpitur. Pax nimirum initur non modo pro tota civitate, sed singulis quoque ejus membris, sive subditis, quos contra injurias exterarum tueri debet Gens universa (§. 28. *part. 8. Jur. nat.*). Quodsi ergo subditi tui contra articulos pacis læduntur, id

omnino fit contra pacem (§. 1022.), consequenter pax rumpitur (§. 1020.).

Sicuti bellum pertinet ad singulos subditos (§. 723.); ita similiter pax. Et sicuti foedus pacis obligat singulos subditos; ita quoque singulorum securitati eodem prospicitur. Tenenda vero hic sunt, quæ de subditorum lædentis factis paulo ante demonstrata sunt (§. 1027.).

§. 1030.

De sociis in pace comprehensis.

Si sociis in pace comprehensis vis armorum infertur; pax rumpitur. Patet enim per se, id fieri contra pactionem pacis, consequenter pacem rumpi (§. 1020.).

Valet hoc, etiamsi cum ipsis non fuerit contractum. Etenim ex pacto nobis competit jus contra id læso auxilia ferendi & lædentem ad implendum promissum adigendi, etsi ex eo nullum jus quæsitum fuerit socio læso.

§. 1031.

De sociis ob propriam causam bellum gerentibus.

Si socii non ob causam tuam, sed ob propriam bellum gerunt; pax tecum facta ad ipsos non pertinet, nec ad te, quæ cum ipsis facta est. Etenim tum patet, bellum tuum & bellum sociorum esse bella separata. Quodsi ergo tu pacem facis, de causa belli tui & de iis, quæ in eo facta sunt, tantum transigitur, non vero de causa belli sociorum & iis, quæ in eodem facta sunt. Ac idem intelligitur, si pacem faciant socii. Quamobrem pax a te inita non pertinet ad socios, qui bella separata gesserunt, nec pax ipsorum ad te.

In hoc casu pax fieri nequit, nisi consensu tuo & sociorum, & licet in eodem instrumento contineantur articuli pacis, ii tamen qui ad causam tuam referuntur diversi sunt ab iis, qui causam sociorum concernunt (§. 1022.). Guarandam

dam tamen sibi invicem præstare possunt (§. 451.), & tunc singuli ad ferendum auxilium contra eum, qui cum uno pacem rupit, obligantur (§. 443.).

§. 1032.

Si per te non stat, quo minus quod in pactione pacis promissum adimpleas; pacem non rumpis. Etenim cum nemo se alteri obligare possit ultra id, quod possibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); si per te non stat, quo minus quod in pactione pacis promissum adimpleas, eo ipso nil fit contra pactionem pacis, consequenter nec pacem rumpis (§. 1020.).

Si per te non stet, ut promissum adimpleas.

Non tuum est factum, quod adimplere non possis; sed casus, quem nec prævidere, cum paciscereris, nec evitare, ubi pactio perfecta fuerat, poteras. Casus autem, quem evitare non potuisti, tibi imputari nequit (§. 638. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Pertinet huc, si ipse bello implicitus auxilia, vel subsidia promissa mittere nequeas (§. 665.), aut si res, quæ dari debebat, interierit, vel a furibus aut prædonibus, vel etiam ab hoste quodam ablata fuerit.

§. 1033.

Si pax ab uno rumpitur, nec alter pactionem pacis servare tenetur; si tamen velit, potest. Etenim pactio pacis foedus est (§. 369. 962. 977.). Enimvero si pars una foedus violaverit, pars etiam altera ab eo discedere potest (§. 430.). Quamobrem etiam si pax ab uno rumpitur, alter a pactione pacis discedere potest, consequenter eandem servare non tenetur. *Quod erat unum.*

De pace ab una parte rupta.

Enimvero qui foedus pacis rumpit, cum tu ad id servandum non amplius maneas obligatus *per demonstrata*, jus suum, quod ex eo habet, amittit; cum tamen nec ab obli-

gatione, qua tibi tenetur, facto suo se liberare (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*), nec jus ex pactione pacis tibi quæsitum auferre possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); si tu pactionem pacis adhuc servare velis, potes. *Quod erat alterum.*

Tuum igitur est expendere, quid consultius sit, utrum ut pactio pacis dissolvatur, an ut ea subsistat, & tu tantummodo ad implementum, aut damni dati reparationem agas. Et si vel maxime additum sit, ut tali facto pax rupta habeatur; id tamen minime obstat, cum absurdum alias foret obligationem conferri in arbitrium paciscentium.

§. 1034.

De poena pactioni pacis adjecta.

Si poena adjicitur pactioni pacis, optio est ejus, cui injuria facta est, utrum & ipse ab illa recedere, an poenam oblatam acceptare velit. Quando poena pactioni pacis adjicitur, non alternative contrahitur, ut aut poena præstetur, aut pactio pacis dissolvatur: hoc enim pactioni pacis non convenit, quo intenditur, ne propter eandem causam, ob quam bellum gestum est, denuo bellum suscipiatur (§. 987.), nec quis rerum in eodem gestarum accusari, vel mulctari possit (§. 989. 990.). Quoniam itaque per poenam adjectam ei, cujus jus ex pacto quæsitum violatum, consequenter cui injuria facta est (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*), non adimitur jus recedendi a pactione pacis, quam alter rupit, hoc tamen si nolit, ab eodem quoque recedere non obligetur (§. 1033.); non aliud adjecta poena actum intelligitur, quam ut is, cui injuria facta est, optet, utrum & ipse a pactione pacis recedere, an poenam oblatam acceptare malit.

Securitati pacis parum consuleretur, si quis poenam offerendo se liberare posset. Quoniam vero bellum suscipere non semper consultum est, ejus, cui injuria facta, interest,

ut

ut bellum, quod suscipere non vult, vitet, alter tamen non impune id violaverit. Ita nimirum adjecta poena non imminuit obligationem servandi pacem, eamque confert in arbitrium paciscentium; sed saltem meliorem reddit conditionem ejus, cui injuria fit, ut pace rupta ipsi non adimatur jus ex pactione ejus quaesitum, nec, si parum consultum fuerit bellum suscipere, ut injuriam sibi factam impune tantum ferre teneatur, sine ulla reparatione.

§. 1035.

An contra pactionem pacis valeat exceptio metus vel vis.

Pactioni pacis non obstat, quod vi bellica, aut metu fuerit extorta. Ponamus enim ideo pactionem pacis validam esse non debere, quod dicatur vi bellica, aut metu extorta. Nulla pax valebit, nisi inter eos inita, qui potentia pares sunt: id quod cum probatu difficile sit, praesertim inter Gentes, quae judicem non habent, ut cognitioni sit locus, nulla erit pax, ad quam servandam quis obligatus esse possit, consequenter de eadem causa bellum semper renovari poterit. Quod omnino absurdum.

Directe etiam ostenditur hoc modo. Vi amnestiae, quae omni paci per se inest & primo omnium loco expresse communiter conveniri solet (§. 990.), omnia in bello facta in oblivionem perpetuam & immortale silentium deducuntur (§. 989.), consequenter eo ipso tacite renunciatur exceptioni, quasi vi bellica aut metu transactio fuerit extorta. Quamobrem vis ac metus adversus eandem allegari nequit. Pactioni igitur pacis non obstat, quod vi bellica vel metu fuerit extorta.

Justus omnino metus est, qui armis justis debetur. Ast cum in pactione pacis justitia belli seponatur, ac ita transigatur, quasi a neutra belligerantium parte per injuriam quic-

quam in bello fuerit factum (§. 988.); a transigentibus nec attenditur, utrum justo, an injusto metu ad pacem sub hisce conditionibus faciendam pars alterutra permoveatur. Quamobrem nec opus est, ut dicatur, jure Gentium introductum esse, ut omnis metus in bello incussus habeatur pro justo.

§. 1036.

De mediatione.

Si ad pacem faciendam adhibeantur mediatores; uterque belligerantium in eosdem consentire debet. Mediator enim caussam utriusque partis agit (§ 924. *part. 5. Jur. nat.*), & a voluntate partium pendet, utrum sponte sese offerentem admittere velint, nec ne (§. 926. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter etiam a voluntate partis unius, num admittere velit a parte altera oblatum. Necesse igitur est, ut in eos, qui ad pacem faciendam adhibendi sunt mediatores, utraque pars belligerantium consentiat (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Quæ de mediatione tenenda sunt, ea alibi jam demonstravimus (§. 925. & *seqq. part. 5. Jur. nat.*), &, si qua præterea notanda veniant, ex iis facile deducuntur.

§. 1037.

An mediatores guarandam præstare teneantur.

Mediator guarandam præstare non tenetur. Mediator enim tantummodo se obligat conferre operam suam ad rem controversam inter litigantes componendam, jure autem eam componendi destituitur (§. 923. *part. 5. Jur. nat.*), consequenter si ad pacem faciendam adhibetur, nonnisi ut monendo, suadendo, hortando ad perficiendam transactionem permoveat de conditionibus pacis tractantes studere debet (§. 929. *part. 5. Jur. nat.*). Quoniam vero dum hoc facit, minime promittit auxilium contra eum, qui con-

venta

venta non servaverit; nec ad guarandam se obligat (§. 443. *h.* & §. 393. *part. 3. Jur. nat.*). Guarandam igitur præstare non tenetur.

Nec obstat, si instrumentum pacis subscripserit. Subscribit enim tanquam testis, non tanquam guarandus, seu, ut alii loqui amant, guaranta, nisi expresse ad guarandam se obligaverit: id quod fieri posse, per se patet.

§. 1038.

Mediatori non competit jus instrumentum pacis interpretandi. *An mediatori competat jus interpretandi instrumentum pacis.*
Mediator enim tantummodo eligitur, ut ad pacem faciendam operam suam conferat (§. 923. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum in ipsum non conferatur jus interpretandi instrumentum pacis, nemo autem plus juris acquirere possit, quam transferens eidem conferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. cis. nat.*), nec contra transferentem pro vero habendum sit, nisi quod sufficienter indicavit (§. 427. *part. 3. Jur. nat.*); guarando quoque jus instrumentum pacis interpretandi competere nequit.

Si jus interpretandi instrumentum pacis mediatori competere deberet, consensu pacem facientium in eum translatum esse deberet. Sed deficit consensus expressus, quia nihil de eo dictum in instrumento pacis; deficit etiam tacitus, quia id in mediatione non continetur. Aliud nimirum est dare operam, ut in conditiones pacis consentiant pacem facere volentes, ne re infecta a tractatibus discedatur; aliud vero declarare, quid per verba dubia in instrumento pacis sit intelligendum, seu idem interpretari (§. 459. *part. 6. Jur. nat.*). Consensus partium in articulos foederis pacis, quo idem fuit confectum, non dependet a modo, quo verba, quorum significatio in dubitationem adducitur, intellexerit mediator.

§. 1039.

§. 1039.

De publicatione pacis. *Publicatio pacis* est actus, quo tam militibus, quam subditis significatur, pacem factam, consequenter bellum finitum (§. 975.). Quamobrem cum bello finito omnes actus bellici cessare debeant (§. 785.), ita ut quæ intra belli ministerium post pacem perfectam ab iis capta, restituenda, & damna ab iisdem data resarcienda sint (§. 998.), nec novæ contributiones imperari & exigi possint (§. 999.); *militibus pax sine mora publicari debet.* Quoniam vero respectu subditorum non eadem adest necessitas; *pax subditis publicari potest, quando commodum visum fuerit.*

Fama pacis factæ ad subditos pervenire solet, antequam publicetur, præsertim cum militibus fuerit publicata. Quoniam tamen bellum publica autoritate subditis publicatur (§. 737.), & declaratio belli respectu eorum instar legis est, quatenus in ea certa præcipiuntur, vel prohibentur (§. 741.); ideo necesse est publica quoque autoritate pacem publicari, cum potestatis summæ sit sicuti dare leges (§. 813. *part. 8. Jur. nat.*), ita etiam tollere, seu abrogare (§. 818. *part. 8. Jur. nat.*). Modus publicandi arbitrarius est.

§. 1040.

De effectu publicationis respectu subditorum. Quoniam belli publicatione subditis significatur, bellum esse finitum (§. 1039.); *Quæ per bellum illicita erant, a die publicationis iterum licita sunt, nec subditi ejus, cum quo fuerat bellum, amplius ab iis pro hostibus habendi, &, si qua ipsis jura per pacem fuerunt acquisita, iisdem uti jam possunt, & quæ in specie conventa, instar legis observare tenentur.*

Eundem nimirum effectum habet pacis publicatio, quam habuerat belli publicatio & declaratio.

CAPUT

CAPUT IX.

De Jure Legationum.

§. 1041.

Legati dicuntur personæ, quæ a Gente una seu ejus Recto- re ad Gentem aliam seu Rectorem ejusdem publici cujusdam negotii causa mittuntur. Idiomate patrio dicuntur Gesandten. *Legatus quinam dicatur.*

Legatorum distinctio quoad eorum dignitatem juris naturæ non est, sed a Gentium moribus venit, atque ideo in præsenti non attendenda.

§. 1042.

Quoniam legatis, qui ad aliam Gentem mittuntur, certa quædam negotia publica committuntur (§. 1041.); *naturaliter legati sunt mandatarii Gentis suæ, seu ejus, qui jus Gentis habet, Rectoris nimirum civitatis.* *Quid naturaliter sint.*

Hinc etiam mandato instructi mittuntur, & hactenus de iis valent, quæ de mandatariis alibi demonstravimus (§. 649. & seqq. part. 4. Jur. nat.).

§. 1043.

Agentes appellari solent personæ, quæ negotia privata Rectoris civitatis, vel etiam subditorum ipsius ejusdem nomine apud Gentem aliam curant. Cum a voluntate constituentis dependeat, quænam iis committere velit; *nil obstat, quo minus etiam negotia quædam publica levioris præsertim momenti agentibus committantur.* *Agentes quinam sint.*

De his in præsenti nihil nobis dicendum. Si enim sunt

peregrini, jure non alio utuntur quam peregrinorum in territorio alieno degentium: si vero sunt cives, quales esse possunt, eodem jure censentur, quo cives alii. Legatorum vero nomen respectivum est, quod respectum habet ad eum, ad quem mittuntur: quatenus vero in ministerio mittentis versantur, *Ministri mittentis* nuncupari solent, plerumque cum addito, *in aula ejus, ad quem missi sunt.* Ita legatus missus a Rege Sueciæ ad Regem Galliarum vocatur *Minister Suecus in aula Regis Christianissimi.* Legati Papæ peculiari nomine *Nuncii papales*, vel *apostolici* vocantur. Sed quæ mere arbitraria sunt, ab instituto nostro aliena sunt, ac ideo de iis ut multa dicamus nulla prorsus ratio est.

§. 1044.

De jure mittendi legatos.

Gentibus competit jus perfectum mittendi legatos ad alias Gentes. Genti unicuique competit jus perfectum officia humanitatis ab alia Gente petendi, si quod petit ipsa facere nequit (§. 170.), nec citra injuriam prohiberi potest, vel etiam male tractari, quod petat (§. 171.). Competit jus etsi imperfectum commercia cum alia Gente exercendi (§. 189.), ad quod eam sibi perfecte obligare potest per pacta (§. 191.). Similiter boni publici causa foedera facere (§. 370.), & hoc modo ad certas præstationes ac ad certa permittenda sese sibi invicem perfecte obligare possunt (§. 377.), officio naturali convenienter, quo Gens una ad conservationem & perfectionem alterius in eo, quo sibimetipsi non sufficit, conferre debet, quod potest (§. 166.), ut tanquam membra civitatis maximæ (§. 9. 10.), commune bonum promoveant (§. 12.). Gens nulla pati tenetur, ut ab altera lædatur (§. 173. 268.), veluti ne jus quoddam suum sibi auferat (§. 267.), ne regimini suo se immisceat (§. 269.) & quæ sunt alia bene multa in anterioribus passim demonstrata:

ta:

ta: ad violenta tamen remedia, qualia sunt repressaliæ (§. 589.), androlepsia (§. 589.) ipsum denique bellum publicum (§. 619.), non ante progrediendum, quam ubi jus suum, vel reparationem injuriæ sibi factæ aliter obtinere nequit (§. 586. 589. 630. *& seqq.*). Immo ubi bellum exarsit, cum Gentes ad pacem inter se colendam obligentur (§. 961.), nec bellum in infinitum continuare liceat (§. 969. *& seqq.*), inter arma cogitandum est de pace & conditiones, sub quibus ineundum, Gens una alteri offerre debet. Patet itaque plurima esse negotia publica inter Gentes agenda, quæ ut exitum habere possint curandum (§. 886.). Enimvero per se manifestum est, negotia hæc perfici non posse, nisi deliberationibus mutuis atque decretis. Quoniam vero Gentes ipsæ convenire nequeunt, nec id permittunt impedimenta plurima, quæ pro diversitate circumstantiarum variant, Rectoribus civitatum, qui illarum jus habent (§. 39.); necesse est, ut ad se invicem certas personas mandato instructas negotii publici perficiendi causa mittant, consequenter legatos (§. 1041.). Quamobrem cum naturaliter homini competat jus ad eos actus, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), idque perfectum (§. 905. *part. 1. Jur. nat.*); Gentibus competit jus perfectum mittendi legatos ad alias Gentes.

Gens Gente non minus opus habet, quam homo homine. Et, si vel maxime supponas, esse quandam Gentem, quæ sibimetipsi sufficiat, dantur tamen aliæ, quæ ipsius auxilio indigent, non denegando, nisi in casu collisionis officiorum erga seipsam & erga alias (§. 206.). Necessitas itaque negotiorum publicorum inter Gentes expediendorum in dubium revocari nequit, modo animum adveitas ad ea, quæ in ante-

rioribus demonſtrata ſunt, ſi vel maxime inſuper habere volueris obligationem, qua ſibi invicem tenentur tanquam membra civitatis maximæ (§. 12.), quam ipſa natura inter eas inſtituit mutui adjutorii cauſa in ſe ſuoque ſtatu perficiendo & boni communis gratia conjunctis viribus promovendi (§. 8.). Neceſſitas iſta negotiorum adjunctam ſibi habet neceſſitatem legationum, ſine quibus iſta perfici nequeunt. Utraque igitur rationem ſufficientem habet in ipſa Gentium natura, qua Jus Gentium inviolabile conſtitutum eſt. Hæc qui diſtincte cognoſcit, quemadmodum cognoſcuntur, ſi in anterioribus demonſtrata perpendantur, de jure mittendi legatos dubitare non poteſt.

§. 1045.

De legatis admittendis. Quoniam Gentibus competit jus mittendi legatos perfectum (§. 1044.), contra jus vero iſtud ſit, ſi non admittantur legati (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *Legati admittendi ſunt ab eo, ad quem mittuntur* (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum injuria ſit, quicquid ſit contra jus perfectum alterius (§. 859. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ſi non admittuntur, mittenti injuria ſit, niſi id ſiat in caſu colliſionis officiorum Gentis erga ſeipſam & erga Gentes alias* (§. 206.).

Qui meri arbitrii eſſe ſtatuunt, utrum quis legatos admittere velit, nec ne, judicium præcipitant, prouti abunde apparet ex iis, quæ modo demonſtrata ſunt. Præcipitantia autem in judicando vix evitari poteſt, niſi ſyſtema veri nominis animo hæreat firmiter infixum, ut omnis veritatum nexus intime perſpectus oculis quaſi ſemper oberret. *Grotius* l. 2. c. 18. §. 3. cauſas, ob quas legatos admittere non tenemur, in tres diſtinguit claſſes, quarum alia eſt ex eo, qui mittit, alia ex eo, qui mittitur, alia denique ex eo, ob quod mittitur. Cum enim perperam jus totum legationum ex factis Gentium deducat, quaſi nihil ejus ad jus Gentium neceſſarium ſeu naturale

rale pertineat, triplex istud causarum justarum, ob quas legati rejici possunt, genus inde derivat. Facile largior, si dijudicare volueris, utrum legatorum admissio pugnet cum officiis Gentis erga seipsam, considerandas esse circumstantias particulares, quæ in dato casu deprehenduntur tam in mittente, quam in eo, qui mittitur, & in eo, ob quod mittitur, una cum circumstantiis præsentibus tuis; sed ut firmum sit judicium, nec a veritate alienum, necesse est, ut officium aliquod erga teipsum, vel Gentem tuam, violetur, legatis sub circumstantiis istis non admissis. Ita facile patet, non admittendum legatum, qui ad perturbandum civitatis statum mittitur, nec si mittatur criminis perduellionis reus, quia hoc vergit in contemtum ejus, ad quem mittitur, immo & injuriam, quatenus violatur jus puniendi atrocissimum hoc crimen illi competens. Similiter cum actus temerarii jure naturæ illiciti sint (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*); recte rejiciuntur legati, si nobis de eo, ob quod mittuntur, jam constet, nos autem in id consentire nolumus. Sed nolumus hisce particulatim definiendis immorari. Id saltem monemus, ubi manifesta est necessitas admittendi legatos, veluti si pacem offerant, nullam quoque causam prætexi posse, cur eos admittere nolimus. Ast tum quoque manifestum est, nullum esse officium ejus, ad quem mittitur, erga seipsum, vel Gentem suam, cum quo admissio legati pugnet. Præterea hoc quoque notandum est, aliud esse legatum simpliciter rejici, aliud vero rejici saltem eum, qui mittitur, id quod tenendum, ubi causa rejectionis desumitur ab eo, qui mittitur. Cumque tunc persona alia mitti possit, jus admittendi legatos nondum violatur, si quis velit, ut persona alia mittatur, nec propterea de injuria sibi facta conqueri potest mittens. In factis Gentium, vel Rectorum earundem non modo distinguenda sunt ea, quæ jure fieri debuerunt, ab iis, quæ moribus saltem introducta sunt tam licitis, quam illicitis, verum etiam ab his, quæ prudentia suasit.

§. 1046.

An inæquali foedere juncti legatos mittere possint.

Inæquali foedere juncti legatos mittendi jus habent. Qui enim inæquali foedere alteri jungitur, is ad plura præstanda eidem obligatur, quam ab altero ipsi præstatur (§. 398.). In hoc vero nulla continetur ratio, cur ei ademtum esse debeant jura, quæ aliis Gentibus competunt, & cur non maneant Gens libera, quemadmodum fuerant ante (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum Gentibus competat jus mittendi legatos ad Gentes alias (§. 1044.); idem quoque jus competere adhuc debet Genti, quæ alteri inæquali foedere jungitur, ad hanc ipsam scilicet Gentem, cui jungitur.

Ex foedere nimirum inæquali alteri Genti non nascitur jus nisi ad ea, quæ in foedere promissa sunt, ut scilicet eidem plura præstentur, quam ipsa vicissim præstare tenetur. Cum itaque non plus juris in eam, quæ foedere inæquali ipsi jungitur, sibi arrogare possit, quam vi foederis acquisivit; rationes omnes subsistunt, ob quas jus mittendi legatos Gentibus competit vi demonstrationis superioris. Omnis vero disceptatio de eo, cuinam competat jus legatos mittendi, parum momenti habet in Jure naturæ, & juri Gentium consuetudinario potissimum originem debet, quo multa introducta sunt, quæ juris naturæ non sunt, sive jura legatorum spectes, sive eorundem dignitatem & eminentiam. Jus mittendi legatos non tam pendet a persona mittentis, quam a negotio, cujus causa mittitur legatus. Hujus enim necessitas jus legatos mittendi parit. Quæ vero meri arbitrii humani sunt, non vero ipsis rerum notionibus insunt, nec in eo jure, quod natura constitutum est, attenduntur.

§. 1047.

De legatis assiduis.

Legati assidui dicuntur, qui per plures annos in aulis exteris resident.

Le-

Legationes assiduæ, quales hodie in usu sunt, recentioribus demum seculis introductæ, antea ignoratæ, & nostro inprimis seculo luxurioso, præsertim cum regalis luxus splendor legatis convenire existimetur, infinito sumtu sustentandæ.

§. 1048.

Quoniam negotia Gentium nec quotidiana, nec continua sunt, quod ex iis causis, quæ necessitati legationum locum faciunt, vi demonstrationis anterioris (§. 1044.) satis patet, & mos antiquus, cui legationes assiduæ ignoratæ fuerunt, abunde docet (*not.* §. 1048.), præterea legati assidui, cum in aulis exteris resideant, quæque ibi aguntur observent ac in ea inquirant, & ad eum, qui misit, perscribant, exploratorum numero sunt (§. 883.), consequenter ratio illa cessat, ob quam jus legatos mittendi Gentibus competit (§. 1044.); *jus* quoque *habendi legatos assiduos in aulis exteris naturale non est*, *nec jus Gentium voluntarium*, quod ex fine civitatis maximæ metiendum (§. 14.), mutuo nimirum adjutorio in se statuque suo perficiendo, communi bono conjunctis viribus promovendo (§. 8.), *legationes assiduas exigit*, consequenter eædem *ad jus Gentium consuetudinarium pertinent.* *Cujusnam sint juris.*

Jus Gentium consuetudinarium non valet nisi inter Gentes, quæ tacito quodam consensu id approbant (§. 24.), consequenter tamdiu, quamdiu ipsis visum fuerit, cumque Gentes liberæ sint (§. 55. *part. 8. Jur. nat.*), adeoque nulla dependeat in agendo a voluntate alterius (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), nulla quoque Gens in gratiam aliarum approbare tenetur id, quod sola consuetudine introductum, consequenter si qua eo diutius stare nolit, ipsi ut suo stet judicio permittendum.

§. 1049.

§. 1049.

An legati assidui sint admittendi.

Cum jus legationum assiduarum in aulis exteris naturale non sit, nec jus Gentium voluntarium illas exigat (§. 1048.); *salvo jure Gentium necessario & voluntario legationes assiduæ denegantur*, consequenter cum jus perfectum mittere volentis nullum violetur, *nec injuria fit mittere volenti, si non admittantur* (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*).

Consuetudinem non obstare patet per ea, quæ modo annotavimus (*not.* §. 1048.). Quodsi enim quis in id, quod sola consuetudine obtinet, consentire nolit; inde tantummodo sequitur, quod nec ipse vi ejusdem jus quoddam sibi arrogare possit, quod alteri non concedit, consequenter in præsenti casu nec admittendi sint legati assidui, si quos ipse mittere velit. Dici non potest hoc fieri jure talionis, quale nullum esse alibi demonstravimus (§. 640. *part. 8. Jur. nat.*): fit hoc jure libertatis naturalis Genti unicuique competente, quo nec qui nunc mittit legatos assiduos alterius admittere voluit. Sublato nimirum jure consuetudinario, quod tacito quodam consensu uti perfectum, ita conservatur, nullum quoque est jus mittendi legatos assiduos, nulla etiam obligatio eos admittendi. Quare nec peculiari quodam jure opus est, quo eos non admittere liceat. Debet haud raro Rector civitatis hoc Genti suæ, tum ne assiduos legatos mittat, tum ne ab altero missos, vel mittendos admittat, prouti ex iis intelligitur, quibus evicimus, legationes assiduas nec juris naturæ, nec juris Gentium voluntarii esse (§. 1048.).

§. 1050.

Quinam mittendi legati.

Legati mittendi sunt, qui dignitate eminent in Rep. mittentis. Quilibet enim Rector civitatis Rectorem alterius civitatis spectare debet tanquam sibi æqualem (§. 250.). Quamobrem cum unusquisque alteri honorem exhibere debeat, quam

quam meretur (§. 648. *part. 1. Jur. nat.)*, consequenter Rector civitatis, quando ipsi cum altero negotium est, verbis quoque & factis significare debeat, quod ipsum habeat sibi æqualem, seu tanquam æque Rectorem civitatis (§. 538. *part. 1. Jur. nat.)*, legati vero mittantur ad Rectorem civitatis alterius negotii cujusdam publici cum ipso perficiendi causa (§. 1041.); ipsa quoque missione legatorum significare debemus, quod eum, ad quem mittuntur, agnoscamus tanquam æque Rectorem civitatis, consequenter eum, qui supra alias personas, tam privatas, quam publicas eminet. Quoniam itaque tum mittens tanquam Rector civitatis cum Rectore civitatis agit (§. *cit.)*; id maxime decet, ut mittantur legati, qui dignitate eminent in Rep. mittentis (§. 332. *part. 1. Theol. nat.)*, consequenter decoro Gentium mutuo hoc convenit (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Datur vero etiam lex naturalis decori (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.)*, eaque nos obligat ad actionem decoram indecoræ præferendam (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.)*. Mittendi igitur sunt, qui dignitate eminent in Rep. mittentis.

Non igitur nudi moris est, ut primariæ dignitatis viri mittantur legati: sed juri naturæ maxime convenit, quod in legationibus non tantummodo vult rationem haberi negotii, cujus causa mittuntur legati, verum etiam personarum, quæ idem tractant. Tractatur negotium a legato vel cum Rege ipso, vel cum primariis ejus ministris, quibus hæc cura demandata est. Quodsi ergo mittens eum, ad quem mittit legatum, tanquam sibi æqualem agnoscere debeat (§. 250.); nec ipse negotio tractando adhibere debet nisi dignitate si non pares, non tamen nimium impares, adeoque primariæ dignitatis in Rep. sua viros. Quæ prudentiæ sunt, ea ad Politicam pertinent. Convenit autem eidem, ut subinde etiam aliquid de-

tur ſicuti opinioni, ita & moribus, qui inde pendent, quantum illæſis officiis fieri poteſt.

§. 1051.

Quomodo legati excipiendi & tractandi.

Legati honorifice excipiendi & tractandi ſunt. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Requirit hoc non modo naturalis Rectorum civitatis æqualitas (§. 250.); ſed etiam hic attendenda veniunt, quæ ex accidente ſuperveniunt, præſertim manentia, quæ transeunt ad ſucceſſores (*not.* §. 249. 250.).

§. 1052.

Si ab hoſte veniant.

Quoniam legati honorifice excipiendi & tractandi ſunt (§. 1051.), obligatio vero hæc, cum a lege naturæ veniat, naturalis adeoque immutabilis ſit (§. 186.), conſequenter per hoc non mutatur, quod mittens & is, ad quem mittitur, ſint hoſtes; *legati* quoque *ab hoſte miſſi honorifice excipiendi & tractandi ſunt.*

Nulla eſt colliſio honoris, quem Rectores civitatis ſibi mutuo debent, & belli. Manet uterque tam is, qui mittit, quam alter, ad quam mittitur, Rector civitatis ſuæ, etiamſi inter ipſos ſit bellum, quippe quod qua tales gerunt (§. 614.), conſequenter etiamſi ſint hoſtes (§. 722.). In bello vi perſequimur jus noſtrum adverſus alterum (§. 1002. *part. 1. Jur. nat.*), aſt violenta hæc juris perſecutio non exigit, ut alteri denegemus honorem, qui ipſi debetur. Hæc enim denegatio nihil facit ad conſecutionem juris noſtri. Quemadmodum inimicum diligere & amare debemus tanquam nosmetipſos, nequaquam vero odiſſe (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*), nec inimicitia tollit officia, quæ aliis debemus (§. 620. 654. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec honorem debitum (§. 648. *part. 1. Jur.*

1. *Jur. nat.*); ita multo minus bellum, quod geri poteſt ac debet abſque odio partium (§. 1119. *part. 1. Jur. nat.*), obſtat, quo minus hoſtis hoſti honorem, quem debet, exhibeat (*not.* §. 722.). Plebejus error eſt, unde manent plebeji mores, quaſi honore indignus ſit is, cum quo lis nobis intercedit. A plebejo autem hoc errore tanto majore intervallo remoti eſſe debent mores eorum, quos fortuna ultra ſortem ceterorum hominum ad Deos evexit.

§. 1053.

An in eos contumelias edere liceat, vel eos contemnere.

Quoniam legati ab hoſte miſſi honorifice excipiendi & tractandi ſunt (§. 1052.), contumeliæ autem honori contrariantur (§. 811. 812. 538. *part. 1. Jur. nat.*); *legatis ab hoſte miſſis contumeliæ imponendæ non ſunt* (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter *qui contumelias in eos edit, mittenti injuriam facit* (§. 860. *part. 1. Jur. nat.*). Idem eodem modo *intelligitur de contemtu legatorum ab hoſte miſſorum* (§. 787. 860. *part. 1. Jur. nat.*).

Cum Gentes inter ſe utantur jure naturæ, ad eas quoque applicari poterant, immo debent, quæ de aliis non contemnendis (§. 790. *part. 1. Jur. nat.*), nec contumeliis onerandis alibi demonſtravimus (§. 852. *part. 1. Jur. nat.*). Nullam eſſe excuſationem, quod par pari referatur, vix eſt ut moneam (§. 810. *part. 1. Jur. nat.*), niſi eſſent, qui ſpecioſo juris talionis titulo injuriam excuſant.

§. 1054.

Jus naturæ quod conſulat dignitati mittentis & admittentis legatos.

Cum Juris naturæ ſit, ut non modo legati mittantur perſonæ, qui dignitate in Rep. eminent (§. 1050.), verum etiam ut miſſi honorifice excipiantur & tractentur (§. 1051.), ſi vel maxime ab hoſte mittantur (§. 1053.); *jus naturæ*

naturæ & mittentis, & ejus, ad quem mittitur legatus, dignitati consulit.

Jus naturæ ex ipso hominum essentia & natura tanquam ex fonte suo fluit (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), prouti clarissime perspicitur ex systemate veri nominis, quale a nobis conditum. Quos igitur æquales facit, iis quoque æqualiter consulit.

§. 1055.

De charactere repræsentativo legati.

Character repræsentativus dicitur signum repræsentationis mittentis apud eum, ad quem mittitur. Quoniam naturaliter legati sunt mandatarii Rectoris civitatis, a quo mittuntur (§. 1042.), consequenter personam mittentis repræsentant quoad negotium ab eodem ipsis commissum, quatenus id nomine ac jure mittentis gerunt, quasi ab ipso præsente gereretur (§. 661. *part. 4. Jur. nat.*); *jure naturæ character repræsentativus consistit in facultate nomine ac jure potestatis summæ negotium aliquod publicum apud aliam potestatem summam gerendi.* Hujus itaque juris non est, si repræsentatio extendatur ad ipsam dignitatem mittentis, seu majestatem ejusdem (§. 206. *part. 8. Jur. nat.*), consequenter *jure naturæ legatus non est eadem persona moralis cum mittente*, ita ut perinde sit ac si mittens ipse esset præsens & alter, ad quem mittitur, eandem spectare debeat tanquam sibi æqualem seu æque Rectorem civitatis (§. 250.). Quamobrem *Character repræsentativus specialis*, qui dicitur & in facultate personam mittentis ferendi, *juris naturæ non est*, cumque nulla sit necessitas sive ex negotio gerendo, sive ex dignitate mittentis, quæ sine illo salva esse potest (§. 1052.), *juris Gentium voluntarii non est* (§. 22.); sed, *si moribus introductus*, *juris Gentium consuetudinarii* (§. 24.), *si pactis*, *pactitii* (§. 23.). Cum fictus ille & commentitius cha-

character specialis appelletur in oppositione ad naturalem, qui per naturam rei legato inest; hic *communis* vocatur, quia legato omni per se competit, nec ab eo separari potest.

Jus, quod ipsa natura constitutum est, ignorat ea, quæ rebus ac personis opinione hominum vel per errorem, vel animi facilis impetu affinguntur. Nunquam istud deflectit a necessario rerum omnium nexu, ut in tota compage omnium actionum humanarum deprehendatur rectitudo, quam exigit in singulis (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quæ perfecta esse nequit, nisi referatur ad ceteras actiones cum data connexas. Ideo nec admittit, ut sine ratione a rigore suo discedatur in legibus positivis seu civilibus & sicuti præscribit, unde rationes desumendæ sint in jure civili, ut ab eo discedere liceat (§. 991. *part. 8. Jur. nat.*); ita idem observari jubet in jure Gentium voluntario (§. 22.), nec promiscue probat pactitium & consuetudinarium (§. 23. 24.), utpote nunquam sibi contrarium. Nostrum autem jam non est, characterem repræsentativum specialem ad trutinam rationis exigere. Pertinet hoc ad prudentiam civilem, quam dirigit jus publicum universale.

§. 1056.

De iis, quæ ex charactere repræsentativo speciali fluunt, vel eidem superadduntur.

Quoniam character repræsentativus specialis juris naturæ non est, nec juris Gentium voluntarii (§. 1055.); *Quæ ex charactere repræsentativo speciali de legatis per necessariam consequentiam deducuntur; ea nec juris naturæ, nec juris Gentium voluntarii sunt, & multo minus ea, quæ gratis ad eum amplificandum adjiciuntur.*

Sicuti male ratiocinantes multa comminiscuntur propter rationes intrinsecas, deficientibus intrinsecis ex ipsis rerum no tionibus derivatis; ita idem contingit circa characterem legatorum repræsentativum specialem. Cum is totus nitatur fin-

gendi libertate, eidem quoque affingere licet; quod visum fuerit, & apud contradictorii ingenii homines excusationem quoque habent, quæ contradictionem involvunt, modo physice impossibilia non sint.

§. 1057.

An eum agnoscere teneantur Gentes.

Similiter quia character repræsentativus specialis nec juris Gentium naturalis, sive necessarii, nec voluntarii est (§. 1056.); *eum agnoscere Gens nulla obligatur, nisi ex pacto.*

Non a sola voluntate mittentis dependet, quem characterem imprimere velit legato suo: nemo enim alterum sibi obligare potest ultra voluntatem suam & jus quoddam, quod sine ea concipi nequit (§. 23. *part. I. Jur. nat.*), contra eum acquirere (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Quodsi ergo quis agnoscere eundem nolit, nec facere ea, quæ ex eodem consequuntur, aut eidem affinguntur; mittenti injuriam non facit (§. 859, *part. I. Jur. nat.*), modo legato non debitum deneget honorem (§. 1051.), nec contemtui habeat, aut prorsus contumelias in eum edat (§. 1053.).

§. 1058.

Quomodo spectentur legati quoad actus privatos.

Jure Gentium naturali legati quoad actus privatos spectantur tanquam peregrini in territorio alieno commorantes. Jure enim Gentium naturali legati repræsentant personam mittentis quoad negotium, cujus causa mittuntur (§. 1055.), consequenter quoad eos actus, qui negotium istud gerendum requiruntur, differunt a peregrinis aliis, qui privati sui negotii causa in territorio alieno commorantur, quoad actus vero suos privatos, qui ad negotium istud nullum respectum habent, a peregrinis aliis non differunt. Quamobrem quoad hosce actus spectari quoque aliter nequeunt quam peregrini in territorio alieno commorantes.

Legatus

Legatus qua legatus non admittitur nisi negotii publici caussa, quod ipsi demandatum (§. 1041.). Quamobrem nec qua legatus spectari potest nisi quoad actus ad negotium istud gerendum requisitos; quoad ceteros itaque huc non spectantes seu privatos cum spectari nequeat tanquam legatus, nil relinquitur, quam ut spectetur tanquam peregrinus, qui in territorio alieno commoratur, nec admissio qua legati quoad actus privatos quicquam immutat. Admissio nil involvit, nisi quod is, ad quem mittitur, ea facere velit, quæ negotium ipsi mandatum exigit, observato honore legato debito (§. 1051.). Si qua præterea prudentia suadet, id juris non est.

§. 1059.

De extraterritorialitate legati.

Quoniam legati jure Gentium naturali quoad actus privatos spectantur tanquam peregrini in territorio alieno commorantes (§. 1058.); *extraterritorialitas, qua legati cum suo comitatu & vasis, seu rebus suis finguntur extra territorium commorari, & ædes, quas inhabitant, extra territorium sitæ, juris Gentium naturalis non est*, cumque sine ea negotium ipsi mandatum perfici possit, nulla quoque ratio extrinseca est, cur a jure naturæ hac in parte discedendum, atque ideo *extraterritorialitas ista nec juris Gentium voluntarii est* (§. 22. *h.* & §. 991. *part. 8. Jur. nat.*); consequenter *ea aliter acquiri nequit, quam ex pacto sive expresso, sive tacito, non sine exceptione in casu collisionis cum officio ejus, ad quem missus est, erga Gentem suam* (§. 206.).

Qui extra territorialitatem legati ex charactere repræsentativo commentitio, seu speciali inferunt, oppido falluntur, cum ex eo minime sequatur. Sane ipse Rex non est Rex nisi in suo territorio, in alieno autem territorio spectatur tanquam privatus, nisi quatenus ipsi exhibetur honor tanquam æque Rectori civitatis debitus (§. 250.). Sicuti enim in territorio pro-

proprio quoad actus privatos spectatur tanquam persona privata (§. 285. *part. 8. Jur. nat.*); ita multo magis tanquam privatus spectari debet in territorio alieno, in quo ipsi ad actum quendam regium jus nullum est, quod per se patet. Finge igitur, legatum repræsentare quoad dignitatem personam mittentis, non tamen inde extundes extraterritorialitatem. Referenda hæc est ad ea, quæ charactæri repræsentativo commentitio affinguntur. Alia vero quæstio est, annon nonnulla, quæ ex extraterritorialitate perperam inferuntur, per pacta definiri consultum sit. Sed id a præsenti instituto alienum.

§. 1060.

De jurisdictione in personam comitatum & vasa legati.

Cum jure Gentium naturali legati spectentur tanquam peregrini in territorio alieno viventes quoad actus privatos (§. 1058.), peregrinorum vero actiones legibus loci sint subjectæ, & eadem vis legum in ipsos sit, quam in cives (§. 300.), si peregrini delinquunt, juxta leges loci puniendi, & eorum controversiæ de jure a judice loci juxta easdem leges decidendæ (§. 302.); *legati* quoque *quoad actus privatos cum comitatu & vasis seu rebus suis jure Gentium naturali jurisdictioni loci subsunt tam civili, quam criminali*, & ut ante (§. 1059.) patet, *nec jure Gentium voluntario in hisce aliquid fuisse immutatum.* Unde porro liquet, *vasa* quoque *ipsorum ob debita contracta oppignorari posse.*

Ad comitatum referuntur uxor, liberi, famuli, officiales, quales sunt minister sacrorum, medicus, secretarius legationis; ad vasa vero res quæcunque ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem facientes.

§. 1061.

De independentia legati ab imperio ejus, ad quem missus.

Cum legati quoad actus privatos una cum comitatu & vasis suis subsint jurisdictioni ejus, ad quem mittuntur (§. 1060.);

(§. 1060.); *independentia legati ab imperio ejus, ad quem mittitur, quamdiu in territorio ejus commoratur, juris Gentium naturalis & voluntarii non est*, consequenter *nec ejusdem juris est, ut habeat jurisdictionem in suum comitatum, multo minus asyli jus ædibus, quas inhabitat, adhæret.*

Dependent a se invicem independentia ab imperio ejus, ad quem mittitur legatus, & extraterritorialitas. Quamobrem quæ de hac docta sunt (§. 1059.), de illa etiam tenenda.

§. 1062.

De ficta sanctitate legati.

Quia independentia legati ab imperio ejus, ad quem missus, nec juris Gentium naturalis, nec voluntarii est (§. 1061.), ideo *nec inviolabilitas, seu sanctitas independentiæ legati ab imperio ejus, ad quem missus, juris omnium Gentium communis est.*

Qui sanctitatem illam legati pro jure omnium Gentium communi venditant, fingunt jus, quod non est. Si quid ejus legato competit, id omne ex concessione ejus est, ad quem missus, cumque aliunde quam ex pacto sive expresso, sive tacito ortum suum habere nequeat, si quid contra illam admittitur, injuria in violatione pacti consistit. Quodsi ergo quid adversus illam committitur, dici non potest, jus Gentium esse violatum, sed id factum esse vel contra fidem expresse datam, vel contra morem receptum, prouti ista independentia vel pacto fuerit conventa, vel moribus observetur.

§. 1063.

De securitate peregrinis in territorio suo præstanda.

Peregrini, quamdiu in territorio alieno commorantur, tuti esse debent ab omni injuria, & Rector civitatis adversus eam eosdem defendere tenetur, seu peregrinis in territorio alieno commorantibus præstanda est securitas. Peregrini enim, quamdiu in territorio alieno commorantur, sunt cives temporarii (§. 303.). Quam-

obrem cum Rectori civitatis curæ esse debeat, ut quilibet sit tutus ab injuria aliorum (§. 532. *part. 8. Jur. nat.*); peregrini quoque, quamdiu in territorio alieno commorantur, tuti esse debent ab omni injuria. *Quod erat primum.*

Enimvero in Rep. quoque curandum, ut unicuique jus suum tribuatur (§. 535. *part. 8. Jur. nat.*), & si injuria reparari non potest, qui eam fecit puniendus est (§. 573. *part. 8. Jur. nat.*). Quoniam itaque Rector civitatis cives defendere debet adversus injurias aliorum; peregrinos quoque, quamdiu in territorio suo commorantur, adversus injurias quascunque defendere tenetur (§. 303.). *Quod erat secundum.*

Utrumque etiam ostenditur hoc modo. Rector civitatis ferre non debet, ut quis subditorum civi alterius Gentis damnum det, aut injuriam faciat (§. 317.), &, si factum fuerit, eum adigere ad damnum datum resarciendum, eundemque punire (§. 318.): quod nisi fecerit, cum factum tacite approbet, Gens ipsa læsisse, aut injuriam intulisse putanda est (§. 316.). Quamobrem cum peregrini in territorio alieno commorantes maneant cives Gentis suæ (§. 324.), hoc non obstante, quod quoad certas actiones spectentur tanquam cives temporarii in illo territorio (*not.* §. *cit.*); peregrini quoque, quamdiu in territorio alieno commorantur, tuti esse debent ab omni injuria & Rector civitatis eosdem adversus injurias defendere tenetur.

Denique peregrinis in territorio alieno commorantibus præstandam esse securitatem, in genere hoc modo demonstratur. Quoniam dominus territorii non permittere intelligitur peregrinis, ut in territorio suo commorentur, nisi sub hac conditione, ut legibus loci subjecti sint eorum actiones (§. 299.), & ad hoc tacite se obligant in idem ingredientes (§. 300.);

300.); inter dominum territorii & peregrinum in eodem versantem tacitum intercedit pactum, quo hic subjectionem temporariam, ille protectionem promittit (§. 555.). Quamobrem cum tacitæ istiusmodi pactiones servandæ sint (§. 556.); dominus territorii peregrinos protegere tenetur, consequenter non pati, ut contra jus natura omnium hominum commune lædantur (§. 695. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero si non patitur, ut peregrini in territorio suo commorantes ab aliis lædantur securitatem iisdem præstat (§. 917. *part. 1. Jur. nat.*). Rector igitur civitatis peregrinis in territorio alieno commorantibus securitatem præstare tenetur. *Quod erat tertium.*

Peregrini in territorio alieno tuti sunt ab injuria jure naturæ, quatenus natura homini cuilibet jus securitatis competit (§. 918. *part. 1. Jur. nat.*), & dominus territorii ejus tuitionem concessione aditus in idem & juris commorandi in eodem in se suscepit, quæ ideo nititur fide tacita, quæ inter Gentes sancta (§. 456.), consequenter ab omni violatione prorsus immunis esse debet (§. 556.). Quoniam eo ipso, dum Rector civitatis peregrinos in territorium suum admittit & ut in eo commorentur permittit, eos recipit in numerum civium suorum ad tempus, quo nimirum in illo commorantur (§. 303.); eandem ipsis protectionem debet, quam civibus suis. Et quoniam peregrinis natura competit jus ob causas justas aliquantisper in territorio alieno commorandi (§. 692. *part. 6. Jur. nat.*), quod denegari non potest nisi in casu collisionis officiorum erga Gentem suam & erga Gentes alias (§. 206. *h.* & §. 64. *part. 1. Jur. nat.*); ipso quoque naturæ jure securitatem præstare debet peregrinis, quibus concedit, ut jure suo usi in territorio suo commorentur, cum justam prohibendi causam minime habeat. Jure itaque naturæ satis cautum

eſt ſecuritati peregrinorum in territorio alieno juſtam ob cauſam commorantium.

§. 1064.

De ſecuritate legatorum.

Legatis competit ſecuritas non modo communi peregrinorum, verum etiam peculiari legatorum jure, etiamſi ab hoſte veniant. Legati duplicem repræſentant perſonam, privatam nimirum quoad actiones ſuas privatas, publicam vero qua legati, utpote negotii cujusdam publici cauſa miſſi a Gente ſua ad Gentem aliam (§. 1041.).

Quoniam legati jure Gentium naturali quoad actiones ſuas privatas ſpectantur tanquam peregrini in territorio alieno commorantes (§. 1058.), peregrinis autem in territorio alieno commorantibus præſtanda eſt ſecuritas (§. 1063.); eadem quoque legatis præſtanda. Competit igitur legatis ſecuritas communi peregrinorum in territorio alieno jure. *Quod erat primum.*

Enimvero cum jus naturæ etiam conſulat dignitati mittentis (§. 1054.), ac ideo legati ſint honorifice excipiendi & tractandi (§. 1051.); injuria legatis illata gravior cenſeri debet, quam peregrino privato, quatenus ea derivatur quodammodo in mittentem, cujus dignitas non modo motivum ſingulare eſſe debet facientibus ſibi ab injuria committenda cavendi, verum etiam ei, ad quem legatus miſſus eſt, eam graviter moleſteque ferendi atque omni modo præcavendi. Et quando legatus admittitur, conſequenter is, ad quem mittitur, in hoc conſentit, ut tanquam legatus ad ſe veniat (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*), tacite quoque uti honorem legato debitum, ita quoque ſecuritatem illam eminentem promittit. Quamobrem cum etiam ex pacto tacito

tacito non minus, quam ex expresso oriatur obligatio (§. 560.), quæ cum ad naturalem accedat, eandem fortiorem efficit; legatis peculiari eorundem jure eminens quædam securitas competit. *Quod erat secundum.*

Denique cum ex demonstratione superiori, qua jus mittendi legatos evicimus (§. 1044.), appareat, non minorem esse necessitatem mittendi legatos belli, quam pacis tempore, & quamvis ab hoste veniant, non tamen venire tanquam hostes, utpote non venientes eo animo, ut hostile quid moliantur, ac ideo quoque perinde ac legati pacis tempore venientes honorifice excipiendi & tractandi sint (§. 1052.); eodem prorsus, quo ante *n. 1. & 2.* modo patet, legatis, etiamsi ab hoste mittantur ad hostem, competere securitatem non modo communi peregrinorum, verum etiam peculiari legatorum jure: id quod tanto manifestius est, si ab eo, qui eosdem admittit, detur commeatus (§. 937.), cum in præsenti casu etiam ex causa concessionis securitas in territorio hostili morandi eidem competit, etiamsi alias in eodem non contineatur (§. 947.). *Quod erat tertium.*

Non ex commentitio aliquo charactere repræsentativo, nec ex ficta quadam extraterritorialitate derivanda est securitas legatorum tam communis, quam singularis; sed ex ipsis genuinis Juris naturæ principiis: id quod a nobis factum esse confidimus. Ceterum ex ipsis, quas in medium attulimus, demonstrationibus apparet, jus quoque legationum naturale dari, quo Gentes inter se uti obligantur, non vero totum ab earum arbitrio venire. Et inde porro intelligitur, quandonam contra jus Gentium violentur legati, quod cum in se immutabile sit (§. 5.), sanctum haberi debet inter Gentes (§. 546.), ita ut justæ sint gravissimæ de eo violato querelæ, nec violationi

prætexere liceat excusationem, quam mores facilius admittere videntur.

§. 1065.

De sanctitate legatorum.

Quoniam securitas legatis competit singulari ipsorum jure (§. 1064.), ut eam ab omni violatione immunem esse jubeat publica Gentium salus, quemadmodum necessitas legationum, quæ jus mittendi legatos parit tam belli, quam pacis tempore (§. 1044.), abunde loquitur, demonstrationes anteriores (§. 1064.), uberius confirmant, sanctum autem est, quod ab omni violatione immune esse jubet publica Gentium salus (§. 546.); *securitas legatorum sancta est, ac ideo quoque persona eorum sancta habenda, quæ ab eadem etiam in eorum vasa & comitatum derivatur.*

Atque hæc est vera illa sanctitas, quam jus omnium Gentium tuetur, quæ arbitrio hominum effecta non est, sed ipsum Deum, qui legis naturæ autor est, autorem habet (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Huic autem sanctitati minime obstat, quod legati non sint independentes ab imperio ejus, ad quem mittuntur (§. 1061.), sed ejus potius jurisdictioni subsint quoad actiones suas privatas (§. 1060.): castissimum enim istud jus non minus consulit securitati ejus, ad quem mittitur legatus, & civibus ejusdem, quam legatorum, sicuti ex æquo consulit & dignitati mittentis, & ejus, ad quem mittitur legatus (§. 1053.). Simplicissimum quoque idem jus est, ut nullis indigeat exceptionibus, quales jura hominum arbitrio statuta exigunt. Et quamvis sanctitas legatorum, quam evicimus, etiam nitatur fide tacita admittentis, hanc tamen cum jus naturæ urgeat, prouti ex anterioribus demonstrationibus palam est, eam quoque ipsammet sanctam facit (§. 556.). Non opus est, ut legatus sit independens ab imperio ejus, ad quem mittitur, nec subjectus jurisdictioni; semet ipsum enim inde-

independentem præstare potest, si abstineat ab iis actibus, qui subsunt jurisdictioni; quod nisi fecerit, parum consulit tum suæ, quam mittentis dignitati. Parum decet legatum injuriam inferre iis, inter quos vivit, nec solvere id, quod ex contractu debet, ut litem adversus ipsum agi, aut discessuri vasa oppignorari opus sit. Multo autem adhuc magis dedecet ita delinquere, ut animadversione publica sit opus, vel crimina patrare, quæ poenam graviorem merentur. Qui sanctus haberi vult, odisse debet injurias aliis inferendas. Et qui honorari vult mittentis causa, omni animi contentione id agere debet, ut ipso honore se dignum præstet. Quodsi his non obstantibus lædatur legatus, injuria ipsi facta tanto gravior est & omnium recte sentientium judicio existimabitur.

§. 1066.

De jure pactitio & consuetudinario legationum.

Si quæ Gentes de certis juribus legationum & de modo honorifice tractandi legatos inter se convenerint, vel quædam moribus introduxerint; ea obligant nonnisi paciscentes & eas, quarum longo usu introducti sunt hi mores, quamdiu voluerint. Cum nemo obligare possit alios ultra voluntatem suam, aut jus quoddam contra eos acquirere (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*), per pacta autem Gentes sese invicem sibi perfecte obligare possunt (§. 377. *h.* 393. 368. *part. 3. Jur. nat.*); si quæ Gentes de certis juribus legationum & de modo honorifice tractandi legatos inter se convenerint, vel moribus introduxerint, qui pacto tacito æquipollent, ea obligant paciscentes, sed non alias Gentes, quæ pacto isti non accesserunt, & eas, qui mores istos receperunt, non vero alias, quæ in eos tacite non consenserunt. *Quod erat unum.*

Enimvero cum pacta a contrahentibus dissolvi possint, si iisdem stare nolint (§. 839. *part. 3. Jur. nat.*), nec ulla ratio cogit, ut mores a veteribus introducti constanter ac perpe-

perpetuo obſerventur; ſi quæ Gentes de certis juribus legationum & de modo honorifice tractandi legatos inter ſe convenerint, vel quædam moribus introduxerint, ea tamdiu valent, quamdiu voluerint. *Quod erat alterum.*

Jus legationum, quale nunc in uſu eſt, fere totum ad conſuetudinarium & pactitium referendum, & charactere repræſentativo atque extraterritorialitate continetur, quos juris legationum fontes ignorat Jus Gentium naturale & omnium commune voluntarium, quemadmodum ex anterioribus patet. Noſtrum non fuit hiſtoriam juris legationum conſcribere; ſed quæ immutabilis naturæ lex de legationibus præcipit, vel vetat, demonſtrare & a pactitio & conſuetudinario jure diſcernere.

§. 1067.

De literis credentialibus.

Literæ credentiales dicuntur, quas mittens dat legato ad eum, ad quem mittitur, & in quibus eum legatum ſuum declarat. Quoniam cum legato tractanda ſint certa negotia (§. 1041.), adeoque ei, ad quem mittitur legatus, conſtare debeat de voluntate mittentis; *legatus literis credentialibus inſtruendus*, cumque ſit mandatarius mittentis (§. 1042.), *eædem mandatum manifeſtum continent* (§. 652. *part. 4. Jur. nat.*).

Hinc facile intelligitur, quænam literis credentialibus ſint inferenda.

§. 1068.

Quando legatus eſſe deſinat.

Si legatus a mittente revocatur, vel mittens, aut is, ad quem miſſus, moritur; legatus deſinit eſſe legatus. Quando enim a mittente revocatur, mittens declarat, nolle ſeſe, ut, qui legatus miſſus fuerat, legati munere diutius fungatur. Quamobrem cum omne jus legatus habeat a mittente & dependenter

denter a voluntate ipsius cum eo agat, ad quem missus est nomine mittentis tanquam mandatarius (§. 1042.); si mittens legatum revocat, legatus esse desinit. *Quod erat primum.*

Similiter quia mandatarius mittentis est legatus (§. 1042.), mandatum vero morte mandantis extinguitur (§. 754. *part. 4. Jur. nat.*); mortuo mittente, qui fuerat legatus, esse desinit. *Quod erat secundum.*

Denique cum legato saltem demandatum sit de negotio sibi commisso agere cum eo, ad quem mittitur (§. 1041.), is autem tanquam mandatarius mittentis (§. 1042.) contra fines mandati nihil agere possit (§. 673. *part. 4. Jur. nat.*), adeoque non constet, num mittens cum successore ejus de eodem negotio agere, vel per eum, quem miserat, agere velit; mortuo eo, ad quem legatus missus fuerat, legatus esse desinit. *Quod erat tertium.*

Necesse est, ut constet, quamdiu legatus pro tali habendus, cum nihil cum ipso valide agatur, nisi quamdiu legati personam sustinet. Ac ideo si legatio continuanda apud successorem ejus, ad quem missus fuerat legatus, novis literis credentialibus habet opus (§. 1067.), quibus etiam indiget, si mittens fuerit mortuus. Id inprimis necesse est in legationibus assiduis, quæ hodie in usu sunt.

FINIS JURIS GENTIUM.

CONSPECTVS JURIS GENTIUM.

FINIS CONSPECTUS.

INDEX

INDEX

Verborum & Rerum præcipuarum, in quo numeri paragraphos denotant.

A.

Bellum

D.

Frie-

Immuni-

apud

K.

L.

Sup-

Vasallus

FINIS INDICIS.